SYLLOGE
VARIORVM
TRACTATVVM

Anglico quidem idiomate & ab Auctoribus Anglis conscriptorum sed in linguam Latinam translatorum;

Quibus

CAROLI
MAGNÆ BRITAN. FRANCIÆ ET HIBERNIÆ REGIS

Innocentia Illustratur

Et

Parricidium injustissimè & immanissimè in illum perpetratum

A

Pseudo-Parlamento & perduelli Exercitu
Luce clarius declaratur.

ACCESSIT

RESPONSVM PERNECESSARIVM

Ad

Declamationem seu Provocationem

Mr Ioannes Cooke.

Auctore I. V. A. R.

Anno Domini cIↃ IↃc xLIx.

SERENISSIMO PRINCIPI

CAROLO SECVNDO

CAROLI PRIMI MAGNÆ BRITAN.
FRANCIÆ ET HIBERNIÆ REGIS
PRIMOGENITO ET HÆREDI
INDVBITATO ILLIVS
REGNORVM

SYLLOGEN HANC

Humillimo & devotiſſimo animo

Offert & Dedicat

TRANSLATOR.

Obſecrans

OMNES CHRISTIANI ORBIS
PRINCIPES

Atque adeò

Omnes qui rerum in orbe Chriſtiano potiuntur,

VT

Exemplum hoc ſine exemplo, ad animum revocent,
& ſecuritati ſuæ atque Subditorum ſuorum
incolumitati conſulant

NE

Contagium peſtilentiſſimi facinoris longè latéque ſerpat.

Series & Ordo horum Tractatuum.

I.

Responsum Suæ Majestatis ad Librum editum, inscriptum, Remonstrantia aut Declaratio Dominorum & Communium nunc congregatorum in Parlamento. XXVI *Maij* 1642.

II.

Majestatis Suæ Declaratio ad omnes suos dilectos subditos &c. XVI *Iun.* 1642.

III.

Regis Oratio ad utramque Domum Parlamenti &c. V. *Iul.* 1641.

IV.

Davidis Ienkins Iud. in Wall. Lex terræ: in qua ex Intimis penetralibus Iuris Anglicani doctissimè explicat Regimen ab omnibus seculis in Anglia usitatum.

V.

Historia Independentiæ, in qua describitur Ortus, Incrementum & fraudes potentissimæ & inquietissimæ Factionis, quæ Regem obtruncavit &c.

VI.

Seria & fidelis Repræsentatio Iudiciorum Ministrorum Euangelii in Provinc. Londinensi in Ian. 1649.

VII.

Excerpta quædam ex Wilhelmi Sedwick Remonstrantia ad Ge-

Generalem Exercitus & Concilium Bellicum, in qua deteſtatur Malignum ſpiritum qui illos ducit in omnibus conſiliis & actionibus.

VIII.

Examen diverſorum votorum, Dominorum & Communium congregatorum in Parlamento, concernentium eos qui capiunt arma contra Parlamentum Angliæ, aut aſſiſtunt in tali Bello, &c. Auctore Anonymo Anglo.

IX.

Religioſa & fidelis Proteſtatio Ioannis Gauden S. Theologiæ Doctoris, adverſus præſentia Declarata propoſita, & Proceſſus Exercitus & aliorum, ad Iudicandum & deſtruendum ſupremum noſtrum Dominum REGEM. *v. Ianuar. 1649.*

X.

Breve Memento ad præſens non-Parlamentarium conventiculum, tangens ipſorum præſentes intentiones & proceſſus ad deponendum & ſupplicio afficiendum Carolum Stewardum, legitimum ſuum Regem: per Guilielmum Prynnium &c.

XI.

Iudicium Vniverſitatis Oxonienſis de 1. Solemni Liga & Fœdere. 2. Iuramento negativo. 3. Ordinationibus Parlamenti circa Diſciplinam & Cultum. In plena convocatione 1 Iunii 1647. communibus ſuffragiis (nemine contradicente) promulgatum.

XII.

Plenum Reſponſum ad famoſum & proditorium Libellum inſcriptum, Declaratio Communium Angliæ congregatorum in Parlamento, explicans rationes propter quas nuper ſtatuerint non amplius agere cum REGE.

XIII.

Perfecta Narratio totius proceſſus Supremi Tribunalis Iuſtitiæ in examine Regis in Aula Weſtmonaſter. die Saturn. 20 & Lunæ 22 Ian.

XIV.

Majeſtatis ſuæ Rationes adverſus prætenſam Iuriſdictionem ſupremi Tribunalis Iuſtic. &c.

XV.

Regis Caroli Oratio habita in Suggeſtu ad Portam Albæ Aulæ, immediatè ante executionem die Martis XXX *Ian.* 1649.

XVI.

Reſponſum perneceſſarium ad Declamationem ſeu Provocationem Mr Ioannis Cooke. Auctore I. V. A. R.

BENEVOLE LECTOR,

Sunt in his Scriptis verba quædam Anglis uſitata, quæ ne te remorentur, explicanda duxi.

Arraya. Prout in his tractatibus ſumitur, eſt propriè delectus militum habere & eos armis inſtruere & in certos ordines & militiæ gradus diſtribuere mandato Regis: nam ad Ipſum ſolum ſecundùm Leges pertinet.

Billa. Variè ſumitur apud Anglos, ut pro obligationibus & ſimilibus, ſed cum de Parlamento agitur, ut ferè in his ſcriptis, ſignificat petitionem quæ fit aut ad Parlamentum à Rege, privatis aut aliquibus Parlamentariis: aut à Parlamento ad Regem, cum aſſenſus ejus petitur, ad aliquam Legem ferendam aut abrogandam: invenio enim in Tractatu de modo tenendi Parlamenti, Petitiones appellari, quas vulgari Idiomate vocant Bills.

Felonia. Quanquam propr. ſignificet culpam vel injuriam propter quam vaſallus amittit feudum: Tamen in Leg. Angl. notat crimen infra læſ. Majeſt. & complectitur varia crimina, ut murdrum, furtum, ſui cædem, raptum, voluntariam ædium incenſionem & ſimilia.

Ligeantia, (aliis Homagium) eſt ex qua Domino tenentur vaſalli ſui contra omnes homines qui mori poſſunt & vivere, proprii corporis præbere conſilii & auxilii juramentum, & ei ſe in omnibus innocuos exhibere nec ei adverſantium partem in aliquo confovere. Dominus etiam eoſdem tenetur regere, protegere & defenſare: eoſque ſecundum jura & conſuetudines & leges patriæ pertrectare.

Ligeus. Apud Anglos dupliciter uſurpatur, aut pro Domino qui non agnoſcit ſuperiorem, aut pro vaſallo qui Domino obligatus eſt.

Poſſe Comitatus nihil aliud eſt quàm vires & potentia Comitatus; qua Vice-comes uti præcipitur adverſus eos qui mandatis Regis aut Tribunalium Iuſtitiæ violenter reſiſtunt.

VVarantum. Variè ſumitur in Legib. Angl. ſed cum ad Regem refertur, nihil aliud eſt quàm commiſſio cum clauſula, quâ ille, cui aliquid committitur aut præcipitur, jubetur eſſe ſecurus ſe obſequio ſuo nullam culpam aut pœnam incurſurum.

Benevole Lector, Quæso te ut Errata quæ ab operis festinantibus, auctore absente, plura quàm vellem sunt commissa condones & corrigas, ubicunque hæsitaveris.

Resp. sua Majestatis.

PAg. 3. l. 13. noluerunt. p. 6. l. 9. Versabamur. p. 10. l. 28. hac. p. 15. l. 9. ablatæ. l. 22. obligatum. p. 16. l. 29. *vires tuas*) p. 18. l. 25. generali. l. 26. agere. p. 24. l. 1. dele *in*. p. 26. l. 26. *Warbeco*. p. 36. l. 9. Turmarum. l. 16. Servitii. p. 37. l. 29. propriam. p. 38. l. 21. pro *super* leg. *per*. p. 39. l. 12. judicabunt. p. 40. l. 4. qualitatis. l. 15. quam donec. l. 17; pro *hinc* leg: *deinceps*. p. 41. l. 2. in ipso.

Lex Terræ.

Pag. 5. l. Normannorum. p. 6. l. 23. subditus. p. 9. l. 10. majori natu filio. p. 10. l. 21. omnium. p. 12. l. antep. Iustitiæ. p. 13. l. 19. de Rege. p. 15. l. 25. capere. p. 16. penult. quas sua Majestas. p. 17. l. 19. *quibusdam*. l. 24. *Proclamatione*. p. 20 l. antep. & illos solos. p. 21. l. 15. Parlamento. p. 23. l. 2. & nihil ultra potuit. p. 24. l. 1. Iuvimus. p. 29. antep. locus debet esse certus. p. 30. l. 13. quam talis. p. 39. l. 1. *Iuramentum*.

Histor. Independ.

Pag. 12. l. 18. protectores. p. 13. l. 21. *Tylerum*. p. 15. l. 9. imperiosо. p. 17. l. 6. *Wilhelm*. p. 18. l. 3. à diversis. p. 19. l. 4. permovet. p. 24. l. 2. *Willongby*. p. 30. l. 1. debili. l. 16. sed Presbyt. p. 31. l. 22. unum aut. l. ult. *Asburnhamum*. p. 33. l. antep. obstantibus. p. 34. l. 10. Tribunus. l. 20. Oratoris. p. 35. l. 10. pro *Concil*. leg. *auxilium*. p. 38. l. 27. inde. p. 40. l. 18. noluit. p. 45. l. 10 Hæc. l. 23. *qui movebunt*. p. 46. l. 2. vitam, Libertatem, & Fortunas. p. 48. l. antep. accipere. p. 52. l. antep. illius.

Seria at fidelis &c.

Pag. 3. l. 25. pro nisi ut, leg. aut ut. p. 4. l. 8. quod loco. p. 7. l. 1. actionem. l. 14. estis) l. 16. Nationum. p. 9. l. 25. Quare loco jung. p. 10. l. 7. *simus* l. 17. conjecta. p. 11. l. 1. & deliberato propos. l. 22. veremur habere nimis magnam. p. 12. l. 15. quosdam inter vos. p. 16. l. 17. si hæ. p. 21. l. 15. Injustitiam. p. 24. l. penult. autem cogitis. p. 28. l. 11. Canibales. p. 34. l. 8. *itaque* pro *atque*. p. 35. l. 9. quas. p. 37. l. 24. judicantes. p. 38. l. 5. judicia. p. 53 l. 28. ut tremendam.

Memento:

Pag. 13. l. 16. libertatum. p. 21. l. 12. quam quisquam. p. 23. l. 20. qui ipsos.

Perf. Narrat.

Pag. 11. l. 4 opponere.

RESPONSVM
SVÆ MAIESTATIS

Ad

Librum editum, inscriptum,

REMONSTRANTIA aut DECLARATIO

Dominorum & Communium nunc congregatorum in Parlamento.

XXVI Maij 1642.

EBORACI
Apud ROBERTVM BARKERVM &c.

Ex Anglico in Latinum translatum.

MAIESTATIS SVÆ RESPONSIO

Ad Editum Librum ſub titulo, Remonſtrantia *aut Declaratio Dominorum & Commun. nunc congregatorum in Parlamento* XXVI *Maij* 1642, *quâ reſpondent Majeſtatis ſuæ Declarat. De negotio Hull.*

QVanquam, quiſquis modo inſpexerit, poſtremam Remonſtrantiam, ſeu *Declarationem Dominorum & Commun.* XXVI *Maij.* facile judicaturus ſit nos habere graves cauſas, ob quas placere nobis non poſſit: tamen non poſſumus ſatis commendare ingenuitatem eorum qui illam concinnârunt, (haud dubiè in calidiori fornace quàm ullæ ante) qui voluerunt Nos amplius falli quod profeſſi erant, *ſe velle nos facere magnum & glorioſum Regem*; cùm interea nulli operæ parcant ad nos reducendum ad extremam inopiam: & *quod vellent nos facere domi amabiles & foras terribiles*; dum ſatagunt omnibus modis, nos odioſos reddere bonis noſtris ſubditis, & comtemptibiles omnibus exteris Principibus, ſed planè nobis affirmant, *ſe Nobis nullam injuriam feciſſe, quia ejus incapaces ſumus, & ſe nihil Nobis ademiſſe quia numquam quicquam proprii habuimus.* Si hæc Doctrina vera eſt, & haud major noſtri ratio habenda eſt, quàm populo perſuaſum vellent in illa Declaratione; ille Generoſus magis excuſabilis, qui publice (impunè) dicebat; *felicitatem hujus Regni non dependere à Nobis, aut ullis regalibus ramis illius radicis*: Et alter, qui ajebat, *Nos non eſſe dignos in Anglia regnare*: Monſtroſus admodum ſermo qui approbetur ab alterutra Do-

mo Parlamenti, & quem auxilio Dei & Legum, aliquando ad examen revocare propoſuimus. Interea non dubitamus, omnes bonos ſubditos noſtros planè diſcernere per perſonam ipſorum hypocriſeωs, quod ſit ipſorum propoſitum, & non amplius intuituros concinnatores hujus declarationis, ut utramque Domum Parlamenti (cujus libertatem & juſta privilegia ſemper conſervabimus, & cujus nomine non minus calumniam patimur) verùm ut factionem malignantium, Schiſmaticorum, & ambitioſorum, quorum machinatio eſt & ſemper fuit, mutare integram formam regiminis tam Eccleſiæ quàm Status, & ſubjicere tam Regem quàm populum ſuæ illegali & arbitrariæ poteſtati & regimini; de quibus, & eorum molitionibus, brevi daturi ſumus omnibus bonis ſubditis noſtris & orbi, plenam &, ut ſperamus, ſufficientem narrationem.

Concinnatores & Scriptores illius Declarationis, (de quibus ſolùm loquimur, cum mentionem facimus inobſequioſarum actionum contra nos) ajunt, *Magna negotia hujus Regni, & miſerabilem & ſanguine manantem conditionem Regni Hiberniæ, parum otii ipſis concedere tempus terere in declarationibus & reſponſionibus atque replicationibus.* Sanè, miſerabilis & deplorabilis conditio utriuſque Regni aliquid aliud ab ipſis requireret; verùm ſcire vellemus, quo pacto tempus ſuum triverint poſt ſuum receſſum (jam pene octo menſium) quam in declarationibus, remonſtrantiis & invectivis contra Nos & noſtrum regimen, aut in præparando materiam ad illa: An ipſos invitavimus ad tale diſpendium temporis tractando argumenta ejuſmodi naturæ? Ipſorum otium & inclinatio non eſt qualem prætexunt: Et quid eſt ipſorum editio & publicatio petitionum ad Nos, ipſorum declarationes & Remonſtrantiæ de nobis, odioſa ipſorum vota & reſolutiones aliquando unius, aliquando utriuſ-

utriuſque Domus contra Nos (numquam communicata ad hunc modum ante hoc Parlamentum) quàm appellatio ad Populum ? Et, in nomine Dei, judicent de perſonis quibus fidere præſumpſerunt.

Prima ipſorum querela eſt (uti ſemper eſt, ut ipſis permittamus liberam expreſſionem de nobis & noſtris actionibus) contra *Malignantem partem*, quam ipſis lubet ita vocare, & numquam probare & *malos noſtros Conſiliarios:* ſed revera, nihil magis eſt evidens ex omnibus ipſorum proceſſibus, quàm ipſos per *Malignantem partem*, intelligere omnia membra utriuſque Domus, qui non conſentiunt ipſorum opinioni (hinc nata diſtinctio inter bonos & malos Dominos, & perſonas male affectas in Domo Communium ; quæ fuêre proſcriptæ & nomina eorum congeſta & lecta in tumultibus) & omnes regnicolas qui non probant ipſorum actiones ; ita ut revera ſi vellent eſſe ingenui, & nominare eos quos intelligunt, quinam futuri eſſent ii (in quos imputatio illa malignitatis figeretur) quam hi qui audacter & immutabiliter ſteterunt pro Religione, Libertatibus, Legibus, omni publico intereſſe (quandiu ullum erat pro quo ſtaretur ;) ii qui ſemper fuêre & ſunt tam zeloſi profeſſores, & quidam eorum tam idonei & ſtudioſi Defenſores Proteſtantium Doctrinæ contra Eccleſiam Romanam, quàm quivis alii ; qui ſæpe & ſerio poſtulârunt ut conſentiremus, ne ulla indifferens & non neceſſaria Ceremonia exigeretur à teneris conſcientiis, & ut aſſentiremur Statuto in hunc finem : ii, quorum ſapientiæ, animoſitati & conſiliis Regnum tantum debet, quantum poteſt ſubditis : & quorum incontaminatæ vitæ, ipſa invidia nihil poteſt objicere, aut conata eſt imputare donec eorum virtutes eos perduxerunt ad noſtram cognitionem & favorem. Concinnatores hujus declarationis con-

ſiderent omnes haſce perſonas utriuſque Domus, quas ipſi in propria conſcientia, nôrunt diſſentire ab ipſis in materia & phraſi ejus Declarationis, & in omnibus illis inobſequioſis actionibus, de quibus querimur: an non reperientur in honore, fortunis, ſapientia, reputatione & pondere (ſi non & numero) ipſis Superiores? tantum de Malis Conſiliariis. Nunc quodnam eſt ipſum *Malum conſilium?*

Diſceſſus noſter *Londino* (ubi Nos, & plurimi, qui nos ſupra modum diligunt, quotidie verſabantur in periculo ne diſcerperemur) verſus *Eboracum*, ubi nos & omnes qui ſe committent noſtræ protectioni, poſſunt vivere (gratias agimus Deo, & fidelitati & amori hujus populi) valde ſecurè: quod non ſubmittimus Nos abſolutè, & renunciamus propriæ intelligentiæ votis & reſolutionibus concinnatorum hujus Declarationis cum Nobis dicunt, *ſe eſſe ſupra Nos, & poſſe* (propria noſtra authoritate) *de Nobis agere quicquid libet; & quod non patimur de omnium noſtrorum Subditorum vitis & fortunis diſponi per ipſorum vota, ſed ſecundum notas Leges terræ:* Hoc eſt illud malum conſilium datum & acceptum: & an non omnes crediturí ſunt magna vi & induſtria opus eſſe Malignanti parti ad tale conſilium Nobis perſuadendum? Applica nunc argumentum quo concinnatores hujus Declarationis utuntur pro ſe ipſis: An probabile eſt aut poſſibile ut tales homines quales diximus, (quibus neceſſe eſt tantam partem capere in miſeria) tantum operæ ſumerent in illa procuranda, & tantum temporis impenderent, tot pericula adirent ut ſeipſos mancipia facerent, & deſtruerent Libertatem hujus Nationis? Dicimus, cum pura & ſyncera conſcientia coram Omnipotente Deo, *Quiſquis fovet vel minimam cogitationem in pectore deſtruendi aut violandi publicam Libertatem aut Religionem hujus Regni, aut juſtam libertatem & Privilegia Parlamenti,*

anathema ſit; & non erit Conſiliarius noſter qui detrectabit dicere, *Amen.*

Quoad concinnatores hujus Declarationis, nihil diximus quod poſſet implicare ullam inclinationem in ipſis Servitutis: Quod illis impingimus, eſt invaſio publicæ Libertatis, & ſuſpicio noſtra poteſt eſſe vehemens, quod (licet nolint eſſe mancipia) non abhorreant à Tyrannide: (quid eſt Tyrannis, quàm non admittere aliam regulam ſecundum quam gubernetur, quàm propriam voluntatem?) & novimus ſupremam Athenienſium calamitatem fuiſſe, ſub xxx Tyrannis. Si iſta Declaratio Nobis indicaſſet (uti potuiſſet & ſanè jure debuiſſet) exempla prædeceſſorum noſtrorum longè inferiora eſſe quàm quæ à Nobis hoc Parlamento facta, quoad gratiam & favorem erga Populum noſtrum, haud mirati fuiſſemus talem veritatem, in tali loco: verùm cum (ut juſtificent quæ longè plura fecerunt quàm prædeceſſores ipſorum) affirmat bonis ſubditis noſtris (ut valde ignominiosè & inſolenter facit) *extrema & maximè improbanda exempla omnium noſtrorum Prædeceſſorum longiſſimè cadere infra ea quæ à Nobis facta fuêre huic Parlamento*; Confitendum eſt Nos ſatis admirari non poſſe neque ea intelligere: & cogimur dicere ingratis hiſce hominibus (qui audent dicere Regi ſuo, *ſe poſſe ſine defectu Modeſtiæ & obſequii, Illum deponere*) conditionem ſubditorum noſtrorum, cum (per quæcunque accidentia & conjuncturas temporis) peſſima eſſet ſub noſtra poteſtate & ad quam (nullo noſtro vitio) rurſus reduci poſſet, fuiſſe multis gradibus, magis delectabilem & felicem, quàm ſit illa ad quam furioſa ipſorum prætenſio Reformationis illos adduxit: Neque metuimus extrema exempla aliorum Parlamentorum, quæ hi homines audacter (boni ſubditi noſtri pejus vocabunt) aſſerunt Nobis,

quod

quod illa potuerint ſine defectu modeſtiæ & obſequii ſibi pro typis proponere: Niſi aliam haberemus ſecuritatem quàm ipſorum modeſtiam & obſequium, planè miſeri eſſemus, ut omnes erunt qui ab illis pendebunt.

Ea declaratio non admittit Noſtram illationem, quod probando Actionem *Iohannis Hotham* Equitis, deſtruant titulum & intereſſe omnium noſtrorum ſubditorum ad terras ſuas & bona, verùm fatetur, ſi rei eſſent illius imputationis, magnum utique fore crimen. An non in hac declaratione fatentur ſe reos hujus criminis? an non dicunt, *Quis dubitat Parlamentum poſſe diſponere de omni re, in qua Nos & ſubditi noſtri jus habent tali modo, ut Regnum propterea periclitari non debeat?* An non ſeipſos vocant hoc Parlamentum, & poſtulant hanc poteſtatem ſine Noſtro conſenſu? An non extendunt hanc poteſtatem ad omnes caſus, ubi neceſſitas aut commune bonum Regni concernitur? & an non arrogant ſibi ſolis judicium de hoc periculo, hac neceſſitate, hoc communi bono Regni? Quid eſt hoc, niſi violare ſecuritatem omnium hominum ſtatuum, & exponere arbitrariæ poteſtati ſuæ? ſi factio aliquando, dolo, aut vi, aut abſentia, aut per aliud accidens prævaleat majori parti utriuſque Domus, & prætexat illos eſſe malos conſiliarios, *partem Malignantem* circa Regem, per quos Libertas & Religio Regni in diſcrimine verſetur: hæc poſſunt facere; & jam fecêre. Tunc poterunt auferre (ſive à Rege ſive à Populo) quicquid ſuo judicio aptum opinabuntur: Hoc legitimum erit, ipſi ita declararunt. Iudicet orbis, an injuſtè eos oneremus, & utrùm non ſint rei ejus criminis quod fatentur (ſi probetur) eſſe longè maximum. Et quàm tuto poſſemus illis committere poteſtatem, quam poſtulant, qui veriſimiliter ubi illam nacti eſſent, reſuſcitaturi ſunt Tragœdiam illam quam *Mr Hooker* nar-

narrat de Anabaptiſtis Germaniæ, qui loquentes magnificè de fide & vero Dei timore, & divitias & honores non eſſe niſi vanitatem; primò ob opinionem conceptam de eorum humilitate, zelo & devotione, magnam reverentiam & æſtimationem ſibi pepererunt apud Populum: Dein, cum viderent quot homines ſua hypocriſi decepiſſent, propoſuerunt reformare regimen tam Eccleſiaſticum quam Civile: porrò quia metuebant adverſantes, ſecretò ſe confœderârunt; & paulò poſt (videntes ſe apud credulum populum potentiam nactos) ſe locupletârunt divitiis & omni genere ſpoliorum, & juſtificabant promiſſione Servatoris noſtri, *Mites poſſidebunt terram*: Et declarabant titulum ſuum eundem eſſe cum Iſraëlitarum titulo in bonis impiorum Ægyptiorum: Hiſtoria meretur integra legi, neque eget applicatione.

Sed non licet nobis dicere, quod eumdem titulum habeamus ad oppidum noſtrum *Hull* & apparatus ibidem bellicos, quam quiſquam ſubditorum noſtrorum ad terras & pecunias ſuas: *id eſt principium quod deſtruit fundamentum Libertatis & proprietatis ſingulorum ſubditorum*: quare quæſo? *Quia Regis proprietas in oppidis ſuis & ipſius bonis, emtis publica pecunia* (ut putant armamentarium Hullæ fuiſſe) *non poteſt conſiſtere cum ſubditorum proprietate in terris ſuis, bonis & libertate:* Putantne iſti quod quemadmodum aſſumunt ſibi poteſtatem declarandi Legem (& quicquid contradicit illi declarationi, infringit ipſorum privilegia) ita habere poteſtatem declarandi communem ſenſum & rationem, & imponendi Logicam & Syllogiſmos Scholis, ut Leges Populo? An non omnes homines nôrunt, diverſos habere poſſe diverſa jura & intereſſe in eandem domum aut fundum, & neutrum deſtruere alterum?

An non intereſſe ſuperioris Domini conſiſtit cum inter-

eſſe medii Domini, & cum locatoris, & tamen eorum proprietates non omnino confunduntur? Quomodo igitur Nos non poſſumus habere plenum legitimum intereſſe & proprietatem in oppidum noſtrum *Hull*, & tamen ſubditi quoque proprietatem in ſuis domibus. Sed Nos, *non poſſumus vendere aut donare pro libitu oppida noſtra aut arces, ut privatus poteſt ſuas terras & bona:* Quid tum? multi non habent authoritatem locandi aut vendendi terras ſuas; num propterea non habent titulum ad ipſa, aut intereſſe in ipſis? poſſuntne ipſis auferri, quia non licet illis vendere? Itineris noſtri propoſitum verſus *Hull* non erat aut vendere aut donare alteri.

Sed quoad armamentarium & apparatus bellicos, quos emimus propriâ pecuniâ; certè potuiſſemus vendere, mutuo dare aut donare. Nequaquam, ajunt, *Emeramus publicâ pecuniâ:* & ratio eſt, *ipſi ita concipiunt:* & ſecundum hunc conceptum votaverunt, auferendum eſſe à Nobis: egregia utique Iuſtitia! Suppone, nos pecuniam hanc penes Nos ſervâſſe & non emiſſe arma, an & ſic auferrent à Nobis? quinimo an non poſſunt, ubicunque hæc pecunia ſit (nam per quotcunque tandem manus tranſierit, ſemper eſt publica pecunia, ſi unquam fuerit) illam repetere ab iis qui habent? Verùm oppida, arces, armamentarium & Regnum fidei noſtræ commiſſa ſunt, & Nos ſumus fideicommiſſarii: ita eſt, Deus & Lex Nobis commiſit: & juramentum ſumſimus Nos fidem impleturos ad bonum & ſalutem populi noſtri: Quæ Iuramenta ipſi ſumſerint, ignoramus, niſi ea, quæ in hæc violentia manifeſtè & malitioſè violârunt. Poteſtne quid alicui auferri quia fidei ejus eſt commiſſum? quinimo poteſt ne ipſe auferre qui commiſit cum velit, & quomodo velit? Lex aliter ſe habet, & credimus ita tenendam, non obſtante ipſorum declaratione.

Ve-

Verùm, *Hæc fides exercenda eſt ſecundum ipſorum conſilium, & Regnum id commiſit ipſorum curæ:* Impoſſibile! Quod eadem fides irrevocabiliter commiſſa eſſet Nobis & Hæredibus noſtris in perpetuum, & eadem fides, & poteſtas ſupra illam fidem, (nam talis eſt poteſtas quam prætendunt) committatur aliis: An non populus qui miſit illos, intuitus eſt illos ut corpus temporarium & diſſolubile ad libitum noſtrum; & credi poteſt illum intendiſſe ut eſſent Cuſtodes noſtri & cenſores in exercenda illa fide, quam Deus & Lex Nobis & Poſteritati noſtræ commiſit in perpetuum? Quæ ipſorum ſit commiſſio & fides, haud melius ipſos docere poteſt quàm Breve per quod convenêre. Nos vocavimus ipſos (& extra hanc vocationem non poterant convenire) ut eſſent Conſiliarii noſtri, non gubernatores (nam licet ipſi ſæpe confundant officia, ſunt diſcreta) & conſiliarii, non in omnibus rebus, ſed quibuſdam, *de quibuſdam arduis* &c. Et facile invenient inter exempla antecedentia, quod Regina *Eliſabetha* (cujus tempora omnes boni reſpiciunt reverenter) commiſit quendam *Wentworthium*, membrum Domus Communium, Turri Londinenſi, quia tantum propoſuerat Reginæ conſilium dare in re quam Ipſa opinabatur nihil ad ipſos attinere. Sed, Nobis fides commiſſa eſt; ſumus autem ſoli quibus hoc accidit? & licet ipſis agere quò propria inclinatio & furor illos rapit? Nonne ipſis fides commiſſa à Nobis, cum primùm eos vocaremus; & deinceps cum ipſis promiſimus, conventum ipſorum non diſſolvere? Poteſtne præſumi, (& præſumtiones plurimùm apud eos valent) Nos ipſis commiſiſſe poteſtatem Nos deſtruendi & diſſolvendi noſtrum Regimen & authoritatem? Si populo liceret facere æquam conſtrictionem è Statutis & Legibus, doctrina ab ipſis probata) nonne omnes noſtri boni ſubditi

jurarent, Nos nunquam intendiſſe eo Actu continuationis, id facere eos quod poſtea fecerunt, nonne commiſſi erant ab illis qui ipſos miſerunt? Et erantne commiſſi ad alterandum Regimen Eccleſiæ & Status, & ſe facere perpetuos Dictatores ſupra Regem & Populum? Intendebantne ut Lex ipſa eſſet ſubjecta ipſorum Votis, & quicquid dicunt aut faciunt, eſſet legitimum, quia ipſi ita declarant? Iuramenta quæ ipſi fecerunt, qui illos miſerunt & ſine quibus ipſi inidonei erant ad locum in Parlamento faciunt ullos incapaces ad dandum, & hos ad recipiendum ejusmodi commiſſionem, niſi poſſint perſuadere bonis noſtris ſubditis, quod nos ſimus ſolum ſupremum caput & Rector in omnibus cauſis, & ſupra omnes perſonas, in noſtris Dominiis; & quod ipſi nihilominus habeant poteſtatem ſupra Nos, ad conſtringendum Nos ad exercendum noſtram commiſſionem & gubernandum noſtram poteſtatem, ſecundum ipſorum diſcretionem.

Concinnatores hujus declarationis inquiunt Nobis, quod numquam nobis conceſſuri ſint (humilis & obſequioſa expreſſio) judicare de Lege terræ, quod ad ipſos ſolum pertineat: ipſi poſſunt & debent judicare & declarare.

Novimus omnes, quam poteſtatem Papa, ſub prætextu interpretandi Scripturas & declarandi Articulos fidei (licet vitet unum aut alterum facere) uſurpaverit ſupra conſcientias hominum; & quod ſub prætextu poteſtatis ordinandi res omnes ad ſalutem animarum, ſibi titulum ſumat in omnia regna mundi. Nolumus accuſare concinnatores hujus declarationis (quantumvis audaciſſimos in Nos) quod inclinent ad Papiſmum; cujus alterum eſt axioma, quod *debeamus ſubmittere rationem noſtram & intellectum* (& Scripturam ipſam) *huic declarativæ ipſius poteſtati*: neque volumus ipſis intimare (licet ipſi hoc nobis dixe-

dixerint) ipſos uti eodem ſermone cum Rebellibus Hiberberniæ ; & tamen dicunt hos rebelles declarare, quod *quicquid agunt, agant ad bonum Regis & Regni:* verum boni ſubditi noſtri facile conſtituent caſum ſibi ipſis, utrum, ſi Papiſtæ in Hibernia revera eſſent, aut fraude aut per accidens facti eſſent major pars utriuſque Domus Parlamenti ibidem, & prætendiſſent commiſſionem (in illa Declaratione) à Regno Hiberniæ, atque votâſſent ſuam Religionem & Libertatem verſari in periculo ne exſtirparetur à Malignante parte Proteſtantium & Puritanorum, & propterea ſe compararent ad ſui defenſionem: quod arces & militia illius Regni in manus eſſent tradendæ talium quibus ipſi poſſent fidere ; Nobis quidem commiſſa fuiſſe oppida, arces, armamentaria, ærarium, officia & populum Regni, ad ſalutem & ſecuritatem eorum; verùm quemadmodum hæc commiſſio eſt ad uſum Regni, ita adminiſtrandam ex conſilio utriuſque Domus Parlamenti, quorum fidei Regnum hoc commiſerit in hunc finem, cum ipſorum officium ſit videre ut ritè adminiſtraretur, ſecundum conditionem & veram intentionem illius, & omnibus modis prævenire contrarium : dicimus itaque, Conſiderent omnes fideles ſubditi noſtri, An illa rebellio facta fuerit cum hac formalitate & circumſtantiis, declaratis legalibus (ſaltem ſecundum æquum ſenſum Legis) & ad bonum publicum, & excuſabile per neceſſitatem (cujus ipſi ſoli erant Iudices:) utrum, licet potuerint putare propoſitum eſſe ſubdolum, propterea crediderint eſſe magis excuſabile? Quinimo concinnatores hujus Declarationis ipſi quærant, ſi mali conſiliarii, pars malignans, perſonæ malè affectæ, Papiſtæ Domini & eorum adhærentes, probarentur nunc aut poſt hac major pars utriuſque, Domus (nam apparuit majorem partem utriuſque Domus tales fuiſſe, &

potuiſſet eſſe major, imò majorem partem Domus parium fuiſſe talem, neque quicquam audivimus de illorum converſione) & propterea ſedulò urſêre, quod minor pars dominorum deberet ſe conjungere majori parti Domus Communium: num tenebamur conſentire omnibus talibus alterationibus, quales hi homines Nobis propoſituri erant, & concludere facere eas ad publicum bonum; Et oportetne Libertatem, proprietatem & ſecuritatem omnium noſtrorum ſubditorum pendere ab eo quod ejusmodi vota declararent eſſe Legem? An ordo Militiæ erat ineptus & illegitimus, dum major pars Dominorum negabat ſe illi adjungere [ut fecerunt bis, ſi non ter; neque unquam auditum ante hoc Parlamentum, quod toties urgerentur poſt diſſenſum ſemel declaratum) & factumne eſt immediatè neceſſarium ad publicam ſalutem, & legale ſecundum Legem terræ, ſimulac tot diſſentientes Pares fuêre fugati (poſtquam nomina eorum fuêre poſtulata, contra libertatem & fundamentum Parlamentorum) alteram opinionem prævaluiſſe? An Vita & Libertas ſubditorum dependet ab ejuſmodi accidentibus dierum & horarum, ut impoſſibile ſit ſcire quod ſit jus eorum in utroque. Haud ſinat Deus.

Sed nunc ut juſtificent ſuam Invaſionem in noſtrum antiquum, non controverſum, indubitatum Ius, collatum & ſtabilitum in Nos & noſtram Poſteritatem, à Deo ipſo, confirmatum & corroboratum omnibus poſſibilibus titulis compacti, Legum, juramentorum, perpetuæ & irrefragabilis conſuetudinis à Populo noſtro: Quid allegarunt, *ad declarandum Regno* (ut ajunt) *obligationem quæ incumbit Regibus hujus Regni, ad perferendum omnes tales Billas, quales offerentur ipſis ab utraque domo Parlamenti?* (Res ad hunc diem inaudita) Iuramentum (authoritatis ſufficientis ipſis

ad

ad omnia ſua infringenda) quod factum, aut faciendum à Regibus hujus Regni, tam ad remedium afferendum, per Legem, difficultatibus Regni, quàm cuſtodiendum & protegendum Leges quæ jam ſubſiſtunt: Et forma hujus juramenti (inquiunt) apparet è Recordo ibi citato, & clauſula in præambulo Statuti facti Anno XXV, Eduardi III.

Haud ſatis novimus Recorda, ut liquidò nobis conſtare poſſit an plenè & ingenuè ſit citatum, & quando aut quomodo ſingulæ clauſulæ fuerint inſertæ aut oblatæ è Iuramentis ante adminiſtratis Regibus hujus Regni: tamen imaginari non poſſumus, Aſſertionem, quam declaratio affert, deduci poſſe è verbis aut materia illius Iuramenti: nam, niſi habeant poteſtatem declarandi Latinum Idioma, non minus quam Leges, ſanè *Elegerit*, tam ſignificat, *elegit* quam *eliget:* quod hîc ita ſignificet (præter authoritatem perpetuæ praxeos omnium ſuccedentium ætatum, quæ melior interpres eſt quam ipſorum vota) liquet è relatione, quam habet ad Conſuetudines; *Conſuetudines quas vulgus elegerit:* num poterat eſſe conſuetudo, quam populus electurus erat poſt juramentum hoc præſtitum, & num Rex poſſet jurare defendere ejuſmodi conſuetudines? Præterea, num credi poteſt Illum obligatam juramento perferre ejuſmodi Leges (& talis Lex eſt Billa quam nobis obtulerunt de *Militia*) quæ poteſtatem quæ Ipſi commiſſa eſt, à ſe transferret in manus aliorum, & ſic ſe ſpoliet omni poteſtate quæ Illum idoneum facit ad perficiendum maximum negotium Iuramenti, quod eſt illos protegere? Si alienamus à Nobis omnem poteſtatem, aut ſi Nobis auferatur, neminem poſſumus protegere.

Quænam futura eſſet defenſio noſtra, coram Deo aut hominibus [quando ſubditi noſtri, quos Deus & Lex curæ noſtræ commiſit, diſtrahentur & ſpoliabuntur] dicere, aliis

liis commisisse ut ipsos protegerent; id est præstare illud officium quod est essentialiter & inseparabiliter Nostrum. Verùm ut omnes Subditi nostri videre possint, quàm fideliter hi homines (qui assumunt hanc fidem ab ipsis) studeant fidem præstare: Publicabimus ad eorum satisfactionem (subjectum satis notum, sed quod non putavimus factum ut publicaretur, & quo concinnatores Declarationis, æque uti potuissent quàm latino Recordo, quod haud ignorabant multos nostrorum Subditorum non posse, & multos inter ipsos non intelligere) Iuramentum quod Ipsi præstitimus in Coronatione nostra, secundum consuetudinem & directiones nostrorum prædecessorum: Cæremonias quibus Ipsi & nos usi sumus, reperire est in Recordis Ærarii. Ita se habet.

Sacra concione absoluta, Archiepiscopus accedit Regem & rogat an velit præstare Iuramentum à prædecessoribus suis præstitum. Rex ostendit se velle, assurgit & vadit ad Altare: Archiepiscopus administrat has quæstiones & Rex respondet singulis separatim.

Episcopus. *Domine: Vis concedere & custodire, & Iuramento tuo confirmare Populo Angliæ, Leges & consuetudines ipsis indultas à Regibus Angliæ, legitimis tuis & religiosis prædecessoribus: & nominatim Leges, consuetudines & immunitates concessas Clero, à glorioso Rege St. Eduardo tuo prædecessore, secundum Leges Dei, veram professionem Euangelii stabilitam in hoc Regno, & convenientes prærogativæ, Regum ipsius, & antiquis consuetudinibus Regni?*

Rex. Concedo & promitto me custoditurum eas.

Episcopus. *Domine, Vis custodire Pacem & piam concordiam absolutè (secundum vires tuas) tam cum Deo, quàm Sancta Ecclesia, Clero, & Populo?*

Rex. Volo custodire.

Episcopus. *Domine, Vis ne (quantum potes) studere Legem, Iusti-*

Iuſtitiam, & diſcretionem in miſericordia & veritate exerceri in omnibus tuis Iudiciis?

Rex. Volo.

Epiſcopus. *Vis concedere, quod obſervabis & cuſtodies Leges & juſtas conſuetudines quæ communitas hujus Regni habet, & vis defendere & ſuſtentare eas ad honorem Dei, quantum in te eſt?*

Rex. Concedo & promitto me ita facturum.

Tunc unus Epiſcoporum legit hanc Admonitionem Regi, coram populo, alta voce:

Domine noſter & Rex, quæſumus te, ut condones, & concedas & conſerves nobis, & Eccleſiis quæ noſtræ curæ commiſſæ ſunt, omnia Canonica privilegia, & debitam Legem & Iuſtitiam; & ut velis nos protegere & defendere, ut unuſquiſque bonus Rex, in ſuo Regno, debet eſſe Protector & Defenſor Epiſcoporum, Eccleſiarum ſub ipſorum regimine.

Rex reſpondet: Benevolo & devoto animo, promitto & concedo meam veniam; & quod velim conſervare & manutenere vobis & Eccleſiis commiſſis veſtræ curæ, omnia Canonica privilegia, & debitam Legem & Iuſtitiam, & quod velim eſſe veſter Protector & Defenſor, quantum poſſum, auxilio Dei, ut quivis bonus Rex in ſuo regno, jure tenetur protegere & defendere, Epiſcopos & Eccleſias ſub eorum regimine.

Tunc Rex aſſurgit & ducitur ad menſam Communionis, ubi ſolemne Iuramentum præſtat, in conſpectu Populi, ſe obſervaturum præmiſſa & imponens manum Libro, dicit: *Iuramentum.*

Res quas jam antè promiſi, perficiam & ſervabo: ita me Deus adjuvet & contenta hujus Libri.

Totus orbis nunc judicet, an talis Doctrina, aut tales concluſiones ut hi homines docent, ſequantur, aut habeant vel minimam prætenſionem ab hoc Iuramento.

Nam præambulum Statuti (quod citant) asserit, quod Rex *teneatur emendare per Legem, calamitates & damna quæ accidunt populo suo.*

Ita est: Sed an Rex obligatus est per præambulum illius Statuti, renunciare proprio Iudicio, proprio intellectui, in his damnis & hisce remediis. Quousque teneatur sequi Iudicium Parlamenti sui, ea declaratio passim fatetur esse quæstionem extra controversiam, nemo potest promittere emendare, etiam damna, quam per Legem, metu majorum calamitatum, quam quas fatagunt emendare.

Sed Nos sumus obligati, in Iustitia; consentire ipsorum propositionibus, quia fides in nobis reposita est conservandi Regnum, condendo novas leges: Bene utique habet; certi itaque sumus nullas novas Leges condi posse sine nostro assensu, & modestiam responsi nostri, *Le Roy s'aviſera*, si non sit negatio, non esse assensum, & tunc res non erit magni momenti. Volunt nobis concedere, *majorem latitudinem affirmandi & denegandi, qualem idoneam judicabimus, in publicis Actis veniæ, ut remissionibus & similibus concessionibus favoris:* Quare quæso? si hæ remissiones & publica acta gratiæ, faciant, ad publicum bonum (quod ita esse votare possunt) absolutè erunt in ipsorum dispositione. Verùm an nobis reliquerunt hanc potestatem? Saltem partem sibi arripuerunt: quo pacto enim aliter potuissent condonare Sergeanto-majori-geneli *Skipponi* (novo officiario Status & Subdito, in quem agenere nobis non licet) & aliis omnibus qui ipsis serviunt, non solùm quæ fecerunt, sed & quæ facturi sunt? Si habent potestatem declarandi ejusmodi actiones non esse proditiones, quas nollemus condonare, & ejusmodi actiones esse proditiones, quæ non habent opus ut condonentur, latitudo quam nobis concedunt, dandi aut negandi veniam,

est

eſt gemma, quam ferre poſſunt Nos ſemper geſtare in Corona, & nequaquam in ullo diſcrimine verſari.

Hiſce omnibus conſideratis, Concinnatores illius Nuntii (*meſſage*) (ſiquidem illi haud alium titulum attribuunt) cui irati ſunt, non arguit populum hujus terræ ita deſtitutum eſſe communi ſenſu, ut credat Nos (qui non denegavimus ullam rem pertinentem ad beneficium ipſorum, quæ cum Iuſtitia aut prudentia peti poterat, aut cum honore & conſcientia concedi) abjeciſſe ſollicitudinem de ſalute ſubditorum noſtrorum: & concinnatores & inventores illius declarationis (qui ſategerunt Nos odioſos reddere ſubditis noſtris, & illos excitare ad inobedientiam ſub prætextu talis fidei ab ipſis eis commiſſæ) illud ſolum ſibi uſurpaſſe: neque (uti credimus) volent ſibi ſatisfieri, cum ſenſerint miſerias & onera, quæ furor & malitia hujus populi in illos derivabit, dicendo illam calamitatem procedere à malis conſiliariis, quos nemo poteſt nominare; à machinationibus & conſpirationibus, quas nemo poteſt revelare; & à terroribus & ſuſpicionibus quas nemo intelligit; & propterea contenti ſumus, conſiderationem relinqui conſcientiæ, rationi, affectui & fidelitati bonorum noſtrorum ſubditorum, qui intelligunt regimen hujus Regni.

Vbi Stultitia & inſania horum hominum deſinet? qui vellent populum noſtrum credere, quod abſentia noſtra à Londino (ubi cum incolumitate perſiſtere non poteramus) & continuatio armamentarii noſtri *Hullæ*, procedat à ſecretis machinationibus Papiſtarum hîc, & ad promovendum molitiones Papiſtarum in Hibernia: Sed haud mirum eſt, illos qui poſſunt credere per Hothamum excluſionem Noſtri ab Hulla eſſe actum amoris & fidelitatis, velle ab aliis credi, Papiſtas aut Turcas perſuaſiſſe Nobis ut eò iremus.

Et poteſtne quiſquam ſobrius opinari Declarationem illam eſſe conſenſum aut unius aut utriuſque Domus Parlamenti, non perturbati aut per fraudem aut per vim, quod (poſt tot gratiarum actiones, & humilem agnitionem gratioſi noſtri favoris, in Nuntio noſtro x x Ian. tam crebrò & unanimiter Nobis præſentatas ab utráque Domo Parlamenti) ait Nobis, *quod Nuntius ille ab initio erat, & (quoties ejus mentio à Nobis facta eſt) fuerit violatio privilegiorum* (de qua quatuor menſibus ne quidem queſti ſunt, ſi omnino fuiſſet) & viam atque methodum procedendi non fuiſſe ipſis propoſitam, quaſi ſolùm authoritatem habuiſſemus convocandi illos, nullam monendi illos quid facto opus eſſet, ne quidem in iis quæ concernunt propria noſtra negotia. Quæ fuerit ipſorum methodus, & quò duxerit illos & Regnum, omnes vident; qualis noſtra futura fuiſſet, ſi opportunè & in tempore accepta fuiſſet, judicent omnes. Nolumus plura de illa loqui.

Sed videte quæſo quàm egregia argumenta invenerint ad probandum inclinationem, ſi non in Nobis, ſaltem in quibuſdam circa nos, ad civile bellum; *illorum itio Nobiſcum ad Domum Communium* (quam toties urſerunt, & ad quam tam plenè reſponſum fuit;) *quod nobis adſtiterunt ad Hampton-Court; & comparuerint modo militari ad Kingſton ſuper Thameſin: iter noſtrum verſus Hullam: illorum evaginatio gladiorum Eboraci, quærentium*, quis vellet ſtare pro Rege? *Declarando Ioannem Hothamum perduellem, ante nuntium miſſum Parlamento; propoſitiones ad generoſos Comitatus Eboracenſis ut nos adjuvarent, antequam reſponſum accepiſſemus à Parlamento:* Omnia deſperata argumenta inclinationis ad civile bellum: Examina illa denuo: Modum & intentionem itionis noſtræ ad Domum Communium prolixè expoſuimus in Reſponſo noſtro ad ipſorum declarationem xix Maij: homines judicent.

cent. Dein, num ipſi credunt (licet rumore iſto uſi ſint ad ſuos prætextus) *Kingſtoni ad Thameſin* belli ſpeciem fuiſſe. An non nôrunt, quotieſcunque fuimus *Hampton-Court*, ab initio Regni noſtri, numquam minorem ſpeciem bellici apparatus fuiſſe quàm illo tempore quod indicant; plura non addemus; quàm noſtram apparitionem, in bellico modo, *Kingſtoni ad Thameſin*, & ipſorum ad *Kingſton ſuper Hull*, multum differre. Quid intelligatur per evaginationem gladiorum Eboraci, & quæſtionem, *Quis vellet ſtare pro Rege?* Londini inquirendum eſt, credimus enim admodum paucos Eboraci intelligere ſententiam illius. Quod attinet ad acceſſum noſtrum Hullæ (quem neutiquam volunt viſitationem vocari) utrum non potius via fuerit ad præveniendum civile bellum, facile eſt judicatu: & quod illum perduellem judicaverimus, in ipſo actu perduellionis, numquam videbitur intempeſtivum, præterquam iis, qui credunt illum amabilem & fidelem eſſe ſubditum; non magis quàm quod ſtuduerimus facere ut generoſi hujus Comitatus abhorrerent hanc proditionem, (ut ſanè honorificè & obſequioſè fecerunt) antequam recepiſſemus reſponſum ab utráque Domo Parlamenti. Nam ſi ipſi (ut meritò exſpectabamus) abhorruiſſent ab intoleranda injuria Nobis oblata, an non affectio horum Generoſorum Nobis uſui eſſe potuiſſet? Num certi eramus *Hothamum*, qui nos excluſerat, ſine ipſorum mandato (loquimur de publico mandato) Nos admiſſurum fuiſſe cum ipſi mandâſſent? Et ſi ipſi non ita de Nobis ſenſiſſent, (ut reverà accidit) an non Noſtrum erat proponere his Generoſis favere quorum promtitudinem & affectionem Nos aut Poſteritas noſtra, numquam obliviſcemur?

Verùm hoc negotium *Hullæ* torquet illos adhuc, & deprehendentes quæſtiones Noſtras duras, placet ipſis No-

bis reſpondere aliis quæſtionibus. Non obſtantibus exceptionibus adverſus Comitem *Novi caſtri* (quas toties urſerunt, ut principale fundamentum ſuorum terrorum & ſuſpicionum, & quæ quæſtiones illas Nobis extorſerunt) quærunt à Nobis, quare, *poſtquam neceſſarium duxeramus Gubernatorem Hullæ conſtituere, Hothamum refutaverimus, & comitem Novi Caſtri miſerimus?* Reſpondemus, quia melius ſentiebamus de Comite *Novi Caſtri*, quàm de *Hothamo*, & deſiderabamus habere talem Gubernatorem oppidorum noſtrorum, (ſi qui habendi forent) qui illa cuſtodiret pro Nobis, & non contra Nos; & ſi ejus acceſſus fuit ad modum magis privatum, quàm Hothami, id fuit quia non habebamus authoritatem excitandi tumultum, & colligendi militem pacifico tempore & imponendi ſubditis noſtris, qualem *Hothamus* videtur ſecum detuliſſe; & imputatio quæ conjecta fuit in Comitem, ut reputatio illius redderetur, non ita irreprobabilis, ut Nobis videbatur, & orbis credit eſſe; &, *quod licet non eſſet ſatis magnum argumentum judicialis Proceſſus* (mirum eſt non fuiſſe) *erat tamen ſatis ad ſuſpicandum*, idem caſus fuerit ſingulorum ſubditorum Angliæ (& optamus ne altius aſcendat.) ſi quævis vilis adſperſio inventa ab ignotis, ſuper ignota & vix imaginabilia fundamenta (quæ eſt via quæ hodie initur ad quemvis virtuoſum & bene meritum obloquio exponendi) merebitur vel minimam fidem apud Orbem.

Ajunt Nobis, ſuam exceptionem adverſus generoſos illos qui petitionem Nobis obtulerunt *Eboraci*, fuiſſe, *quod præſumſerint ſibi nomen aſſumere omnium Generoſorum & inhabitantium illius Comitatus, quum* (inquiunt) *plures tam bonæ conditionis quàm ipſi, in illo Comitatu, fuerint alterius opinionis; & poſtea, per petitionem ſuam, improbaverint illum actum:* Ipſorum informatio, in illo ſubjecto, haud melior eſt quàm ſolet

let eſſe, & reperient, neque numerum, neque qualitatem eorum qui aut improbârunt aut improbaturi ſunt illam Petitionem ita ſe habere ut ipſi imaginantur: licet plures imbecilliores ſeducti ſint (quod quotidie magis intellecturi ſunt) à factione, fraude & induſtriâ veræ illius *Malignantis partis*, de qua jure querimur. Ajunt, *quod nullam receperint petitionem tam abſonæ naturæ:* cujus naturæ? *contrariæ Votis vtriuſque Domus:* id eſt, receperunt petitionem, quam voluiſſent non recipere: verùm diximus ipſis, & rurſus dicimus, & omnes fideles ſubditi noſtri dicturi ſunt; quod receperint petitiones (cum gaudio & approbatione) contra vota utriuſque Domus prædeceſſorum ſuorum, confirmata & ſtabilita in Leges, cum conſenſu noſtro & noſtrorum Anteceſſorum; & tolerârunt illas petitiones præferre titulum, *deſideria Civitatum, oppidorum, & Comitatuum*, cum è ſingulis civitatibus, oppidis, & Comitatibus, admodum paucis notæ aut conſiderabiles perſonæ conſciæ eſſent illarum petitionum. Cum reverà, petitiones Nobis oblatæ (adverſus quas excipiunt) præferrent titulum non omnium, ſed quorumdam Generoſorum & inhabitantium, & implicabant non alium conſenſum, quàm qui viſibiliter comitabatur.

Verùm hactenus fallimur, *Armamentarium Hullæ non eſt Nobis ablatum:* quis vobis hoc dixit? Illi qui aſſerunt (quibus citra violationem ipſorum privilegiorum, vobis credere neceſſe eſt) quod *Hothamus* claudens portas contra Nos, & reſiſtens introitui noſtro, armata manu (licet Nos crederemus hoc eſſe ad deſpectum noſtrum) *erat in obſequio noſtro & authoritate noſtra, & ad ſervitium noſtrum & Regni neque debebat admittere quemquam, quàm qui veniebat noſtra authoritate, intimata ab utraque Domo Parlamenti* (ille & ipſi ita ordinaverant) *& propterea excludebat Nos, ſolum, donec*

Nos

Nos aut ipſe petere poſſet in ipſorum directiones. Ignoramus utrum concinnatores illius Declarationis putaverint ſubditos noſtros tam citò intellecturos (licet perfacile erat intellectu) ſententiam Regiæ Authoritatis, intimatæ per utramque Domum Parlamenti; verùm orbis nunc facilè diſcernet, in quàm miſera conditione tum futuri eramus (ſanè ſatis jam miſera eſt) ſi conſenſiſſemus ipſorum ſchedulæ aut Statuto de *militia*, & dediſſemus hiſce hominibus poteſtatem movendi omnia arma Regni contra Nos (ad commune bonum) noſtrâmet Authoritate: An non (quemadmodum Nos excluſerunt Hulla) jam quoque Eboraco ejeciſſent, & perſecuti fuiſſent extra Regnum, noſtro commodo? Quinimo, an non poteſt apparatus ille bellicus (*qui non eſt Nobis ablatus*) adhiberi contra Nos? Non contra noſtram Authoritatem, intimatam ab utráque Domo Parlamenti, ſed ſolum ad occidendum malos illos Conſiliarios, *Malignantem partem*, quæ eſt circa Nos; & tamen ad bonum noſtrum, ad publicum bonum, (ipſi ita declarabunt) atque ita nulla proditio intra Statutum XXV. Eduardi III quod ſecundum ipſorum interpretationem Nobis (Regi Angliæ) abſolutè minus cavit, in puncto incolumitatis, quàm minimo ſubdito Regni; & quivis ſubditus hujus terræ (ad cujus ſecuritatem hæc Lex lata eſt, ut nôrint obſequium ſuum & periculum in transgrediendo) poteſt conſtitui reus læſæ Majeſtatis, cum his hominibus placuerit dicere, illum talem non eſſe: Sed putantne talem interpretationem (ſub prætextu authoritatis Caſuum & exemplorum, quæ ſine dubio citaſſent ſi ad propoſitum eorum feciſſent:) è qua nihil ſequi poteſt quàm confuſio Regis & Populi; fidem inventuram apud bonos noſtros ſubditos? & tam excellentem Legem (latam ad ſecuritatem tam Regis quàm Populi) eludendam

per

interpretationem, quam nullus doctus Iuriſconſultus in Anglia velit ad hunc diem (uti confidimus) manu ſua ſignare, non obſtante interpretatione illa, quam ſperamus non niſi ignominiam allaturam ejus inventoribus.

Nunc quoad ipſorum Privilegia: Licet verum ſit quod dicunt, *quod ipſorum Privilegia ſe non extendunt ad crimen læſæ Majeſtatis, Feloniam, aut rupturam Pacis, ita ut eximat membra ab omni proceſſu & examine; eximit tamen illos quoad methodum examinis judicialis: cauſa primùm ad ipſos deferenda eſt, & conſenſus impetrandus antequam procedatur.* privilegia ergo ipſorum extendunt ſe tam longè in his caſibus, quàm in aliis non controverſis. Nam nullum omnino privilegium eximit illos ab ullo proceſſu aut examine, ſi primùm Domui in noteſcat, & concedat tibi procedere aut diem dicere: verùm ſecundum hanc regulam, ſi membrum alterutrius Domus commiſerit homicidium, non licet, ullo modo, illud aggredi, antequam notificaveris Domui, cujus eſt membrum, & acceperis directionem ab ea procedendi, certus illum non exceſſurum locum in quo illum reliquiſti, donec redieris cum ipſorum conſenſu: *Si aliter fieret, eſſet in poteſtate cujuſvis, ſub prætextu homicidii, corripiendi unum poſt alterum, & quotquot luberet, atque ita per conſequens Parlamentum redigendi in eum ſtatum quem luberet, & quum luberet.* Si membrum alterutrius Domus ſurripiat marſupium Eboraci [tam veriſimile ſurripere alicui ſubdito marſupium, quàm arma corripere contra Regem ſuum] proficiſcendum Londinum, ut cognoſcas quid agendum ſit, & poteſt unà tecum proficiſci, & ſurripere plura marſupia, & non eſt apprehendendus, aut declarandus *Felon*, antequam rogaveris Domum cujus membrum eſt: *Si aliter fieret, eſſet in uniuſcujuſque poteſtate, tot membra accuſare quot vellet feloniæ, & ita Parlamentum ad nihilum redigere, atque adeo omnia Parla-*

menta. An ſibi credi volunt? tamen haud dubitant, *quin omnes qui fecerunt Proteſtationem, defenſuri ſint hanc doctrinam vitâ & fortunis.* An non credent ſubditi noſtri, quod illis impoſuerint pulchram Proteſtationem, & quod bonum finem ſibi propoſitum habuerint, ſi ipſos obliget ad ejuſmodi diſcrimina & molitiones? Oportetne eos negligere Noſtram perſonam, Honorem & Dignitatem, quam per eam Proteſtationem tenentur defendere, & quodammodo intelligunt; & tantum prodigere vitas & fortunas ad juſtificandum privilegia quæ ignorant & de quibus numquam antè audiverunt? An obligati ſunt per illam Proteſtationem credere, quod concinnatores illius declarationis, habeant poteſtatem extendendi propria privilegia, quantum lubet, & contrahendi noſtra Iura quantum placet, & ſe teneri in utroque illis credere, & prodigere vitam & fortunas ſuas in hac controverſia?

Poſtquam declarârunt quàm vilis perſona Nos ſimus, & quantopere Regnum falſum fuerit in intellectu Statuti ann. XXV Edw. III de crimine læſæ Majeſtatis; & nemini verendum eſſe arma contra Nos ſumere, modò ipſorum warantum ſive auctoritatem ad id habeant; pergunt in ſpiritu declarandi, ut notificent ſubditis noſtris errores, qui pene centum annis recepti fuêre circa Statutum XI an. Henr. VIII cap. 1. (ſtatutum quod fideles ſubditi noſtri legent cum ſolatio) & ajunt; quod ſervire Regi, præſenti tempore, non poteſt intelligi de *Perkino Warbero*, aut aliquo alio qui ſe appellabit Regem, *ſed tali qui admiſſus eſt & receptus à Parlamento nomine Regni*: Annon Nos ita admiſſi ſumus? Quamvis per obſcuram nebulam verborum, & urgendo antiqua ſua privilegia, (quibus ſperamus Nos ſufficienter reſpondiſſe, & indies magis confutabuntur per actiones fidelium noſtrorum ſubditorum) concludunt,

quod

quod ii qui ſe gerent ſecundum Iudicium Parlamenti, (quod ajunt eſſe ſuum proprium) debent, quicquid accidat, eſſe ſecuri & liberi ab omni ratione reddenda, & pœnis, ex ipſo fundamento & æquitate illius Statuti. Quo uſque ipſorum cancellarii ipſos adjuvare poſſint in illa æquitate, ignoramus, verùm, auxilio Dei & bonæ illius Legis, non admiſſuri ſumus talem æquitatem. Hæc eſt itaque doctrina illius Declarationis, & hæ ſunt poſitiones eorum qui illam concinnârunt.

I. Quod habeant abſolutam poteſtatem declarandi Legem, & quicquid declaraverint ita ſe habere, non debere in quæſtionem vocari à Nobis aut ſubditis noſtris: ita ut omne jus & incolumitas Noſtra & populi noſtri pendeat ab ipſorum beneplacito.

II. Nulla præcedentia exempla poſſunt ligare ipſorum Proceſſus: ita poſſunt facere quod lubet.

III. Parlamentum poſſe diſponere de quacunque re, in quam Rex aut ſubditus habet jus, ad publicum bonum: quod citra Regem ſint hoc Parlamentum & judices publici hujus boni; & conſenſum noſtrum non eſſe neceſſarium: ita de vita & libertate Subditi, & omnibus Legibus latis ad ipſorum ſecuritatem, diſponi poteſt, & illæ abrogari poſſunt à majore parte utriuſque Domus, quovis tempore, & quovis modo & mediis; & non habemus poteſtatem eos protegendi.

IV. Nullum membrum alterutrius Domus inquietari debet aut accuſari propter perduellionem, feloniam, aut aliud quodvis crimen, niſi cauſa prius ventilata coram ipſis, ut judicare poſſint de facto, & ipſorum venia impetrata procedere.

V. Quod ſuprema poteſtas reſideat in utraque Domo Parlamenti & quod non habeamus vocem negativam,

itaque neceſſe eſt Noſmet ipſos ſubditos eſſe ipſorum imperiis.

VI. Quod delectus militum habere adverſus perſonale Regis mandatum (etiam ipſo præſente) non eſt bellum inferre Regi: ſed delectus habere contra ejus Leges & authoritatem (quam declarandi & intimandi ipſi habent poteſtatem) licet non contra Illius perſonam, eſt bellum inferre Regi: & crimen læſæ Majeſtatis non poſſe committi contra illius perſonam, aliter quàm Regnum ipſi eſt commiſſum & qua commiſſionem illam exequitur, & ipſos habere poteſtatem judicandi, utrum fidem præſtet nec ne.

Et nunc (quaſi mera promulgatio ipſorum reſolutionum non ſolùm prævalitura eſſet apud Populum, ſed ſimul in Nobis deſtructura eſſet omnes ſpiritus & conatus conſervandi propria noſtra Iura & dignitatem) audaciam ſumſerunt Nos aggrediendi certis propoſitionibus, quas appellant, *maximè neceſſariò effectiva media ad removendum has ſuſpiciones & controverſias inter Nos & populum noſtrum:* Hoc eſt, ut contenti ſimus Nos ipſos ſpoliare omnibus Regalibus juribus & dignitatibus; contenti titulo Regis; & toleremus ipſos (ſecundum eorum diſcretionem) regere Nos & Regnum, & diſponere de Liberis noſtris: Quàm conveniens & accepta hæc Doctrina, & hæc poſtulata ſint affectui fidelium noſtrorum ſubditorum, quorum fide hi prætendunt dicere & facere ſe has monſtroſas res; & deſignare, non ſolùm ruinam Noſtræ perſonæ, ſed & Monarchiæ ipſius (quæ jure dicere poſſumus, magis petitur quàm umquam antè Prædeceſſorum noſtrorum temporibus: nam licet Regis perſona nonnumquam injuſtè fuerit depoſita, tamen poteſtas Regia numquam antehac fuit impetita:) confidimus, quod fideles ſubditi aliquam viam inventuri ſint ipſis & orbi notificandi. Et ab hoc tempore, qui ſeducti

cti fuêre à pravis ipſorum conſiliis & miſcuerunt ſe executioni *Militiæ*, videbunt in quem finem ipſorum ſervitium ſit deſtinatum: quapropter ſi poſthac præſumant ſe intermiſcere, exſpectent, Nos continuò contra eos acturos, ut actuales machinatores Seditionis, & inimicos noſtræ ſupremæ poteſtatis.

Abſolvimus: & expectabimus porrò peſſima quæque quæ hi homines in Nos volent committere; (pejora ſanè verba Nobis dare non poſſunt:) neque dubitamus, quin major pars utriuſque Domus Parlamenti; ubi licebit convenire cum honore & incolumitate (tam qui decepti fuêre, in condendo illam, non intelligentes malitiam in ea abſconditam, & confuſionem, quæ ex ea oritura eſt ſi ei credatur; quàm qui abſentes fuêre aut impliciti) eò uſque improbatura ſit indignitatem Nobis oblatam, & opprobrium ipſismet, & damnum toti Regno, per eam declarationem; ſubitóque factura ſit improbos concinnatores illius argumenta exemplaris ipſorum Iuſtitiæ, ipſoſque & eorum Doctrinam inuſtura cauterio perpetui opprobrii & indignationis.

FINIS.

MAIESTATIS SVÆ
DECLARATIO

Ad omnes ſuos dilectos Subditos, occaſione falſæ & Scandaloſæ Imputationis impoſitæ ſuæ Majeſtati, quod intendat movere bellum contra ſuum Parlamentum & copias in illum finem congreget,

Publicata in Palatio ejus *Eboraci* XVI Iun. 1642

Cum Majeſtatis ſuæ Declaratione & Profeſſione quâ negat ullam præparationem aut Intentionem in Ipſo, movendi bellum ſuo Parlamento.

Item

Declaratio & Profeſſio Dominorum & aliorum ſuæ Majeſtatis honorabiliſſ. privatorum Conſiliariorum, nunc Eboraci *exiſtentium, idem confirmantium.*

Charles I., King of Great Britain and Ireland

EBORACI
Impreſſ. per ROBERTVM BARCKER &c.
CIↃ IↃC XLII.

MAIESTATIS SVÆ DECLARATIO

Ad omnes dilectos ſubditos ſuos, occaſione falſæ & ſcandaloſæ Imputationis, quaſi intenderet bellum inferre ſuo Parlamento & copias adunâſſet ad illum finem,

Publicata in Palatio ejus Eboraci XVI. Iun. 1642.

LIcet his ſuperioribus menſibus impetiti fuerimus diverſis inuſitatis Declarationibus, ſub nomine utriusque Domus Parlamenti, ut nobis mirum videri non poſſit novum prodigium hujus generis; & licet poſtrema eorum XXVI Maij nos ſatis moneret, quod poſtquam molitores illius, prodegerant omne ſuum peculium acerbi & improbabilis ſermonis contra Nos, nunc erupturos in audacem aliquam & infidelem Actionem contra Nos: & poſtquam, ea declaratione ſpoliâſſent Nos ea præeminentia & Authoritate, quam Deus, Lex, conſuetudo & conſenſus hujus Nationis, collocaverant in Nobis, & uſurpâſſent illam ipſi; illos itidem celeriter producturos fructus ſupremæ illius Poteſtatis, ad violandum & ſupprimendum poteſtatem illam quam deſpiciebant (cujus reſolutionis effectum eſſe liquet ipſorum efferam declarationem contra noſtram proclamationem de prætenſo Statuto quoad *Militiam*, & punitionem promulgatorum) tamen fatendum eſt, poſtremo ſuo attentato (loquimur de poſtremo, quod novimus, nam poſſunt probabiliter poſt illa aut jam & hoc ſupergredi) perfeciſſe quod credimus illos intendiſſe: & quiſquis audiverit propoſitum & ordinatum afferre pecuniam aut argenteam ſupellectilem ad alendum

equos, equites, & copias ad conſervandum publicam Pacem, aut ad defendendum Regem & utramque Domum Parlamenti (talis enim eſt eorum Declaratio, aut quocunque alio nomine eis libeat appellare, x. Iunij) certo crediderit Pacem hujus Regni extremè quaſſatam, aut, ſaltem Regem conſultum, & conſcium harum Propoſitionum. Verùm ſperamus, cum boni noſtri ſubditi deprehenderint, pulchrum hunc prætextum defendendi Regem, tantum *ſpecioſam* eſſe *eſcam* ad ſeducendum imbecilles & imprudentes homines, ad ſummos actus inobedientiæ & Infidelitatis contra Nos, & violationem & deſtructionem Legum & Conſtitutionum Regni, non amplius mancipari ſe paſſuros per implicitam reverentiam nominis utriuſque Domus Parlamenti; ſed curioſè examinaturos & conſideraturos, quis numerus perſonarum ſit præſens, & qui prævaleant in his conſultationibus, & quo pacto diſceptationes veriſimiliter regantur, è quibus tam horrendæ & monſtroſæ Concluſiones reſultant; & ſaltem ponderabunt reputationem, ſapientiam & affectionem eorum quos conſtat ipſum horrorem eorum actionum, ſubduxiſſe ſe ipſos aut eorum fraude & violentia abactos ab ipſis & eorum conſiliis.

Dum terrores & ſuſpiciones ſuſcitabantur, aut infundebantur Populo, per narrationes Rebellium in *Hibernia*, nautarum *Roterodamenſium*, de copiis è *Dania*, *Francia* aut *Hiſpania* (quàm improbabilis & ridicula tandem ea Informatio videretur omnibus prudentibus & gnaris) haud mirum eſt facilitatem decipiendi, & proclivitatem ad patiendum ſe falli, prævaluiſſe in multis imbecillium noſtrorum ſubditorum, ut crederent pericula quæ non videbant, poſſe procedere à cauſis quas non intelligebant: Sed eos declarare toti orbi, quod Nos intendamus bellum movere contra

tra noſtrum Parlamentum (dum quieti ſedemus, & querimur Deo omnipotenti de injuria quæ nobis fit, & eſſentiæ ipſi Parlamentorum) & quod jam cœperimus actualiter coadunare copias tam equeſtres quàm pedeſtres (dum tantummodò legali viâ, providimus pauciores excubitores aut præſidiarios, ad ſecuritatem propriæ perſonæ, [rebellibus *Hullæ* tam vicinis] quam ipſi habuerint, ſine legali authoritate, ſupra hos octo menſes, ob imaginaria & impoſſibilia pericula:) ut imponerent populi noſtri ſenſibus juxta & intellectibus, Nos facere ea quæ vident Nos non facere, & intendere, quod omnes nôrunt (quantum intentiones cognoſci poſſunt) Nos non intendere; eſt audacia quæ non convenit ulli poteſtati, ſed omnipotentiæ horum votorum, quorum abſoluta ſupremitas pene confuſionem induxit ſupra Regem & Populum; & cui nullam cognitionem in materia facti, aut conſenſum & Authoritatem in materia Legis, poſſunt ferre opponi.

Omnibus occaſionibus, & omnibus poſſibilibus expreſſionibus profeſſi ſumus firmum noſtrum & inconcuſſum propoſitum Pacis. Et denuo (in præſentia omnipotentis Dei, creatoris noſtri & Redemtoris) affirmamus Orbi, quòd non habeamus magis propoſitum movendi bellum contra noſtrum Parlamentum, quàm contra proprios Liberos: quòd velimus obſervare & tueri Acta quibus conſenſimus in hoc Parlamento, ſine ulla violatione (quorum illud eſt unum de frequenti vocatione Parlamentorum) & quod non habeamus aut habituri ſimus ullam cogitationem utendi vi, niſi ad eam compellamur ad ſecuritatem noſtræ Perſonæ, & defenſionem Religionis, Legum & Libertatis Regni, & juſta Iura & privilegia Parlamenti. Et propterea ſperamus Malignantem partem, quæ tantum contempſit Noſtram perſonam, & uſurpat noſtrum Offi-

cium, non prævalituram per fraudulentas ſuas Inſinuationes apud bonos ſubditos noſtros, ut credant improbis eorum aſſertionibus,& contribuant ſuam potentiam & auxilium, ad ruinam & deſtructionem Noſtri & Ipſorummet.

Quantum ad Cuſtodiam circa Perſonam noſtram (quam non tam ipſorum exemplum, quàm provocatio coëgit nos ſumere) notum eſt, eam conſtare ex præcipuis generalis(fortunâ & dignitate)hujus Comitatus,& una legione exercitarum Iurmarum,qui tantum abfuêre ab offerendo ullam ignominiam, injuriam, aut turbationem bonis noſtris ſubditis, ut principalis eorum ſcopus ſit eas prævortendi: atque ita ſecuritatem populo poſſunt afferre, non gravamen.

Quod quidam malè affecti, aut ulli omnino adhibiti fuerint in aliis partibus, ad copias adunandas, ſub prætextu noſtri ſervitus, aut obtulerint largas (aut ullas) mercedes & promotiones iis qui velint venire ad nos; quantum novimus, & credimus, eſt falſitas reperta ab iis qui commenti ſunt hos falſos rumores: nos rejicimus id & confidimus, non opus fore tali arte & induſtria, ad inducendum dilectos ſubditos noſtros, quando videbunt nos oppreſſos, & ſuas Leges & Libertates confuſas (& antè non vocabimus ipſos) ut veniant ad Nos & Nobis aſſiſtant.

Quod attinet ad *Delinquentes* (quos dicimur altâ & violentâ manu protegere) nominentur, & ipſorum delictum, & ſi non ſatisfaciamus Iuſticiæ, ubi ſatisfactionem receperimus *de Hothamo*, per legitimum examen; ignominæ obnoxii ſimus: verùm ſi intentio ſit (ut ſatis conſtat eſſe) poſtquam per vim fugati ſumus ab urbe noſtra *Londinenſi*, & per violentiam excluſi *Hullâ*, protegere omnes qui deliquerunt contra nos, & omnes eos facere *delinquentes*, qui nobis adſtant, & exequuntur legalia noſtra mandata, magnas

gnas habemus causas querendi de veritate & Iustitia talis accusationis, nisi *servire nobis* & *delinquentem esse*, inter se convertantur, ut brevi tempore tam nudi relinquamur à clientibus, quàm ipsi vellent à potentia; & ita compellant nos tantum uti famulitio, quod ipsi concedent & providebunt & in quorum consortio magis miseri essemus, quàm in desolatione ipsa. Et si seditiosi inventores & fautores hujus scandali erga nos, habituri sunt (ut habuêre) potentiam seducendi majorem partem præsentem, alterutrius aut utriusque Domus, ad faciendum ejusmodi statuta & mittendum ejusmodi nuntios, ut nuperrimè fecerunt, ad apprehendendum magnos Comites & Barones Angliæ, quasi essent nebulones & fures: & per quæ personæ honorabiles factæ sunt *delinquentes*, solummodò quòd Nobis ministrent, & nostra vocatione; dum alii prohibentur Nos accedere (licet obligati per officium ministeriorum & Iuramentorum) per legitima nostra mandata, haud mirum est si ejuscemodi nuntii non bene tractentur & ejusmodi Statutis non obediatur. Neque potest certior & tritior via inveniri ad Authoritatem utriusque Domus vilipendendam, quàm si sibi ipsis assumant (per authoritatem è nudo nomine Parlamenti) potestatem monstrosam omnibus intelligentibus, & agant, & faciant Statuta, evidenter & demonstrabiliter contraria omnibus notis Legibus & rationi (uti sumere arma contra Nos, sub prætextu defendendi nos, jubere pecunias adferri ad se, & prohibere nobis solvi nostras, aut ad nostrum usum, sub colore, nos malè illas impensuros; pulsare & enecare Nos ad bonum nostrum, & per propariam nostram potestatem & Authoritatem) quod necesse est brevi facere maximam aulam & personam, vilem & nullius æstimationis.

Qui sint illi qui tantopere afficiuntur publicis calami-

tatibus & violationibus Privilegiorum Parlamenti & communis Libertatis ſubditorum, qui fuerint ignominioſè & injurioſè habiti à Malignantibus,& militaribus hominibus circa nos, non poſſumus imaginari. Et ſi iſti militares tantopere carent timore Dei & hominum, & tam parati ſunt committere omne genus moleſtiæ & violentiæ, ut prætexitur; Regimen noſtrum tanto majoris æſtimari convenit, quod illos prohibuit ab ita faciendo, in tantum ut credamus neminem habere cauſam conquerendi de ulla injuria, aut damno, in minimo gradu, accepto ab ullo circa nos, aut qui ſervitium ſuum nobis obtulerit. Quibus omnibus ritè conſideratis, ſi concinnatores harum propoſitionum & Statutorum ritè afficerentur obligatione quæ illis incumbit, honore, Conſcientia & officio, ſecundum fidem ipſis commiſſam à Nobis & populo noſtro, non publicâſſent talem ſenſum & apprehenſionem imminentis periculi, cùm in conſcientiis ſuis noverint, maximum & reverà unicum periculum quod minatur huic Eccleſiæ & Statui,beatæ Religioni & Libertati populi noſtri,eſſe ipſorummet deſperatas & ſeditioſas machinationes; & non ſtuderent ſuper tam debiles rationes ſeducere bonos noſtros ſubditos ab affectu & fidelitate erga Nos, ut ipſi ruerent in actiones inexcuſabiles, & deſtruentes Pacem & fundamentum Reipublicæ.

Et ut omnes dilecti ſubditi noſtri videant quàm ſine cauſa aut fundamento hic ſcandaloſus rumor & imputatio ſit, quod bellum paremus contra Parlamentum noſtrum, cum hac Declaratione excudi juſſimus Teſtimonium Dominorum & aliorum qui nobis ſunt à conſiliis, qui hîc Nobiſcum ſunt, quibus facile eſt detegere noſtras Intentiones, & præparationes,neque ſuſpectari poſſunt, propter dignitates ſuas & Intereſſe, miſceri velle tam damnoſis &

hor-

horrendis resolutionibus. Et propterea strictè præcipimus omnibus dilectis nostris subditis in fidelitate, & ut rationem reddituris cum suo periculo, ne obedientiam ullam reddant aut assentiantur illis propositionibus & ordinationibus, & ne præsumant sub quovis tali prætextu, aut talis ordinationis, coadunare ullos equites aut pedites, aut inferre pecunias aut argenteam supellectilem ad talem finem. Verùm si non obstante clara hac declaratione, & evidentia nostrarum intentionum, hi homines (quorum propositum est Nos compellere ad movendum bellum nostro Parlamento, quod omnis illorum industria & malitia numquam poterit efficere) oportunum judicabant nos excitare ad magis necessariam curam defendendi nos ipsos & populum nostrum, atque ipsi (sub prætextu defensionis) tam inaudito modo providerint (& alios seduxerint ad idem faciendum ad offendendum Nos, siquidem dederunt tam luculentum testimonium quid velint facere, ubi se idoneos fecerint) omnes boni Subditi nostri necessarium ducent respicere nos Ipsos: Atque hinc excitamus omnes nostros bene affectos subditos, secundum eorum Iuramenta fidelitatis & supremitatis, eorumque solemne votum & Protestationem (per quam obligati sunt defendere Nostram personam, honorem & statum) ad contribuendum ipsorum auxilium ad præparationes necessarias ad obviandum & supprimendum proditoria attentata ejusmodi improbarum & malignantium personarum, quæ vellent destruere Nostram Personam, dignitatem, & Statum, & totum Regnum implicare civili bello, ad satisfaciendum suo illegali furori & ambitioni, & sic fraudare bonos nostros subditos benedicto fructu hujus Parlamenti, quem quodam gradu collegerunt, & possent porrò colligere, ad abundantem satisfactionem & gaudium totius Regni,

gni, niſi tam improbæ manus paratæ eſſent evertere omnes eorum poſſeſſiones, & fruſtrari omnes eorum ſpes.

Declaramus itaque, ſi quis quam cujuſcunque ordinis aut qualitates, tunc in tam urgente & viſibili neceſſitate noſtra & tam apparente diſtractione Regni (cauſata & nata à malitia & machinatione hujus malignantis partis) attulerit nobis, & ad noſtrum uſum, paratam pecuniam, aut argenteam ſuppellectilem, aut ſubſcribent ſe ſubminiſtraturos equos, equites & arma, ad conſervationem publicæ Pacis, defenſionem Noſtræ perſonæ, & vindicationem privilegiorum & Libertatis Parlamenti, recipiemus id tamquam acceptiſſimum ſervitium, & ut teſtimonium ſingularis affectus erga Proteſtantem Religionem, Leges & libertates & Pacem regni, & non deſiderabo longiorem continuationem, donec parati erimus eos defendere cum periculo vitæ noſtræ.

Atque ulterius declaramus, quod quicunque hinc afferet aliquas ſummas pecuniæ, aut argentum, ad aſſiſtendum nobis in magna illa neceſſitate, recipiet fœnus pro ratione VIII pro C. pro omnibus ejuſmodi pecuniis quas Nobis ſubminiſtrabit, & accipiet ab iis quibus mandabimus ut recipiant ſecuritatem pro iis, per legitimam aſſecurationem in noſtris Terris, foreſtis, parcis & domibus, quæ ſufficient ad id, & magis realem ſecuritatem, quàm nomen *publicæ fidei* datæ ſine Nobis & contra Nos; quaſi non eſſemus pars publici; & præterea, ſemper reſpiciemus ad id ut ad ſervitium amantiſſimè & opportuniſſimè præſtitum, ad conſervandum Nos & Regnum: ſed magis volupe nobis erit, quod eorum ſubmiſſio ad hæc noſtra mandata, & eos deſiſtere ab ejusmodi attentatis colligendi equos & viros, poſſit ſublevare omnes bonos noſtros ſubditos ab hac moleſtia, expenſa & vexatione.

Maje-

Majeſtatis ſuæ Declaratio & Profeßio, abrenuncians omnes præparationes aut intentiones in ipſos ad movendum bellum contra Domos Parlamenti ſui.

PER REGEM.

CVm multi rumores ſparſi ſint & informationes datæ, quæ potuerint multis perſuaſiſſe, Nobis propoſitum eſſe bellum gerere contra Noſtrum Parlamentum: Profitemur coram Deo, & declaramus toti Orbi, Nos ſemper abhorruiſſe & adhuc abhorrere à tali propoſito, & petimus Nobilitatem noſtram & conſiliarios, qui ſunt in hoc loco, declarare, utrum non fuerint teſtes noſtrarum frequentium & ſeriarum Declarationum, & Profeſſionum in hunc finem; Vtrum aliquem colorem videant præparationum aut conſiliorum, quo rationabiliter tale propoſitum poſſent probare, & an non ſint pleniſſimè perſuaſi, Nos nihil tale intendere, ſed omnia noſtra ſtudia, ſecundum crebras Noſtras Profeſſiones, tendere ad firmam & conſtantem conſtitutionem veræ Proteſtantium Religionis, juſtorum privilegiorum Parlamenti, Libertatis ſubditorum, Legum, Pacis & proſperitatis hujus Regni.

Datum in Palatio noſtro Eboraci, XV Iun. 1642.

DECLARATIO & PROFESSIO

Dominorum nunc Eboraci, *& aliorum Majeſtatis ſuæ Honorabilium privatorum Conſiliariorum, abnegantium quod videant aliquam apparentiam Præparationum aut Intentionum in ſua Majeſtate, ad movendum bellum contra Parlamentum.*

NOs quorum nomina ſubſcripta, in obedientia ſuæ Majeſtatis deſiderii, & ſecundum obſequium quod debemus ſuæ Majeſtatis Honori & veritati, in loco exiſtentes, & teſtes ſuæ Majeſtatis frequentium & ſeriarum declarationum & Profeſſionum, quod abhorreat omnia propoſita movendi bellum ſuo Parlamento, neque videntes ullum colorem præparationum aut conſiliorum, quæ veriſimiliter poſſent facere fidem ullius talis propoſiti, profitemur coram Deo, & teſtamur toti Orbi, Nos plenè eſſe perſuaſos, Majeſtatem ſuam non habere ullum tale propoſitum, ſed omnia Illius ſtudia, tendere ad firmam & conſtantem conſtitutionem veræ Proteſtantium Religionis, & juſtorum privilegiorum Parlamenti, Libertatis ſubditorum, Legum, Pacis & proſperitatis hujus Regni.

EBO-

EBORACI Iun. XV 1642.

Subſcriptum à

Cuſtode magni ſigilli.
D. D. Richmondiæ.
D. March. Hertfordiæ.
D. Magno Camerario.
Comite Cumberlandiæ.
C. Bathoniæ.
C. Southamptoniæ.
C. Dorſettiæ.
C. Salisburienſi.
C. Northamptoniæ.
C. Devoniæ.
C. Cantabrigiæ.
C. Briſtoliæ.
C. Claræ.
C. Weſtmerlandiæ.
C. Berckeriæ.
C. Monmouthenſi.
C. Riveriæ.
C. Dorobberniæ.
C. Canarvon.
C. Newport.
D. Mowbray & Maltravers.
D. Willongby.
D. Grey de Ruthin.
D. C. Howard Andover.
D. Lovelace.
D. Paget.

D. Fauconberge.
D. Rich.
D. Powlet.
D. Newarke.
D. Conventry.
D. Savile.
D. Mohun.
D. Dunſmore.
D. Sey-more.
D. Capell.
D. Falkland.
Mr. Contrarotulator.
Mr. Secretarius Nicolaus.
Mr. Cancellarius Ærarii.
D. Supremus Juſticiarius Bankes.

FINIS.

RE-

REGIS ORATIO

Ad utramque Domum Parlamenti; cum Regium ſuum aſſenſum præberet Billis, uni ad auferendum ſupremæ Commiſſionis Tribunal, alteri ad tollendum Cameram Stellatam & regulandum Menſam privati concili v. *Iulij.* 1641.

REdeo ad officium, quod feci die Saturni proximè elapſo, ut aſſentiar his duabus Billis; Sed antequam hoc faciam, oportet ut vobis dicam, mihi ſummopere dolere quod audiverim, indignationem, quam audio quoſdam arripuiſſe, quod non dederim aſſenſum die Saturni. Miror equidem cuiquam veniſſe in mentem, me potuiſſe aſſentiri duabus Billis tanti momenti, ſine tempeſtiva conſideratione illarum, ſiquidem haud minus eſt, quàm alterare amplâ menſurâ, fundamentales illas Leges, Eccleſiaſticas & Civiles, quas multi meorum Prædeceſſorum ſtabiliverunt.

Si conſideretis quid fecerim in hoc Parlamento, nulla indignatio poterit animis veſtris hærere. ſpero enim vos meminiſſe Me confirmâſſe, quod Iudices poſthac loca ſua ſint retenturi, *quandiu bene ſe geſſerint:* limitavi Foreſtas, non ſecundum jus Meum, ſed ſecundum nuperas conſuetudines.

Stabilivi proprietatem ſubditorum, ut liquet ex libera condonatione, non ablatione *Ship-Money.* (id eſt, *tributo in claſſem*) Stabilivi per actum Parlamenti proprietatem ſubditorum in *Tonnage* & *Ponndage* (*quæ ſunt vectigalia mercium*) quod numquam factum fuit temporibus meorum Prædeceſſorum: indulſi Legem triennalis Parlamenti; &

dedi locum Acto ad ſecurandum pecunias ſubminiſtratas ad dimittendum Exercitus: dedi liberum curſum Iuſtitiæ adverſus *Delinquentes:* Executioni tradidi Legem contra Papiſtas.

Quinimo, conſenſi omnibus quæ à me petiiſtis, & propterea mirum vobis videri non debet, ſi incepero quædam negare. Verùm ſpero, illud non morabitur progreſſus veſtros in majoribus negotiis, & non deſiſtam vobis ſatisfacere in trivialibus ſubjectis; confido vos affici beneficis favoribus, quos hodie vobis largiturus ſum. ut concludam, noviſtis conſenſu veſtro, præfixum eſſe certum tempus itineri meo in *Scotiam*, & militat pro illo abſoluta neceſſitas, haud novi, quin rationes ita inſtitui poſſint, ut procedat; quapropter ſpero vos acceleraturos expedire magna illa negotia, quæ jam neceſſaria ſunt factu, & relinquere trivialia & ſuperficialia alteri conventui.

Ad me quod attinet, non omittam quicquam quod vobis poſſit eſſe acceptum; & nihil æquè deſidero quàm veſtram felicitatem; & propterea ſpero vobis bonum teſtimonium futurum, quod his duabus Billis aſſentiar.

Le Roy le veult.

FINIS.

DAVIDIS IENKINS

IVDICIS IN VVALLIÆ PRINCIPATV

LEX TERRÆ.

In qua ex intimis penetralibus Iuris Anglicani doctiſſimè explicat Regimen ab omnibus ſeculis in Anglia uſitatum:

SIMVLQVE

Demonſtrat quam iniquè poſterius hoc Parlamentum egerit cum Rege, unde & jure illud deſerere fuerit coactus.

David Jenkins

LONDINI,
Anno cIↃ IↃC XLVIII.

HONORABILI SOCIETATI

GRAYES-INNE

Et reliquis Inne of Court & omnibus Profeſſoribus LEGIS.

Sunt Collegia Iuriſc. & Studioſorum Iuris commun.

EXpendi jam XLV *annos in Studio Legum hujus Terræ, mea profeſſione, ſub & per quas hæc Reſpubl. floruit multis ætatibus, in magno ſplendore & felicitate* (jam ſeges eſt ubi Troja fuit.) *Magnum & plenum corpus hujus Regni incidit ſuperioribus annis in graviſſimum morbum; verè dicitur* cauſa morbi cognitâ, morbum curatu facilem eſſe. *Nullus veſtrûm eſt, ſpero, qui non animitus optet convaleſcentiam communis noſtræ Parentis, nativæ noſtræ Regionis* (Moribus antiquis ſtat res Britannica) *Deum teſtem advoco hunc Commentarium meum non habere alium finem quàm Vota mea communis boni: quam procul abſim ab Ambitione, vita anteacta, & veſtra notitia mei, abundantes vos informat: & multi veſtrûm probè nórunt, quod ſemper deteſtatus ſim* Shipmonie & Monopolia, *& quod in principio hujus Parlamenti ut opponerem me exceſſibus unius Epiſcoporum, jacui ſub ipſorum excommunicationibus, & examine* LXXVII *Articulorum in Curia ſupremæ commiſſionis. Sacra ſua Majtas: (Deus mî teſtis eſt) creavit me Iudicem in partibus Walliæ invitum, & contra omnia media quæ potuerim adhibere: & patentes ad locum hunc mihi miſſæ, pro quibus*

non ſolvi obulum, & locus tam inconſiderabile eſt beneficium ut valeat tantum LXXX l. per annum, *cum ſolvitur, & impendi ſingulis annis, quibus miniſtravi, duplo tantum è propriis bonis, ordinaria & frugali expenſa. Solatio fuit quod non ignorarem ſuam Maj*^tem *eſſe juſtum & prudentem Principem.*

Cum Mr Noy *&* Dominus Banks *eſſent Procuratores, placuit ipſis, ſæpe operâ mea uti, & plurimæ relationes de cauſis in Curia, ea occaſione, venerunt ad meam notitiam: & quemadmodum Deo rationem ſum redditurus in ultimo judicio, veriſimum eſt, omnes aut plurimas relationum quas vidi in illo genere (& vidi quamplurimas) eo tendiſſe, ut Majeſtas ſua vellet informari per Concilium ſuum, an proſecutiones oblatæ congruerent Legibus, & non eſſent inconvenientes populo ipſius, antequam illis aſſentiretur. (Quid poterat juſtus & pius Princeps amplius facere?) Invenietis curam & medelam præſentis intemperiei in hoc diſcurſu, & Deus proſperet id in manibus veſtris, cogitationibus & verbis, ut res meretur.*

Cuſtodite Leges, & magnum hoc corpus convaleſcet: abjicite illas, & certo peribit. Conſtitui me reddere Sacrificium pro illis hilariter, & ſpero (per Dei auxilium) tam conſtanter quàm ſenex Eleazarus *pro Sanctis Legibus ſuæ Nationis,*

Vobis bene optans

DAVID IENKINS,

Nunc captivus in Turri Londinenſi.

LEX

LEX TERRÆ.

LEx hujus Terræ habet tria fundamenta. Primò *Conſuetudinem* Secundò *Iudicialia Recorda.* Tertiò, *Acta Parlamenti.* Duo poſteriora ſunt tantum declarationes *Communis Legis* & *Conſuetudinis* Regni, quoad regium Regimen. Et hæc Lex de *Regio Regimine* eſt Lex fundamentalis.

Regimen hujus Regni per Regium Monarcham, tam antiquum eſt quàm Hiſtoria, aut memoria temporum: quam poteſtatem habuerit ſemper hic Monarcha, & qua uſus ſit in bello & pace in hac terra, eſt ſcopus hujus diſcurſus: uſus ille & praxis facit *fundamentalem Legem* & *Communis Lex* Terræ & communis *uſus* Plowd. Com. 195. Nam ſub primis Regum noſtrorum poſt conqueſtum Normaniorum, *Wilhelmo*, *Wilhelmo* II, *Henrico* I, *Stephano*, *Henrico* II & *Richardo* I conſuetudines Regni quoad Regium Regimen numquam controverſa fuerunt: dicti Reges illis gaviſi ſunt in plena menſura. Regis *Ioannis* tempore Nobiles & Communes Regni credentes antiquas conſuetudines & jura eſſe violata, & ea propter urgentes dictum Regem ipſis concedere XVII an. regni ſui, Libertates eæ à R. Ioanne fuêre conceſſæ, & à filio ejus Henr. III. IX anno regni ejus confirmatæ & vocantur *Magna Charta* & *Charta de foreſta*; declaratæ jam CCCCXXII annis per dicta Archiva.

Regis prærogativa eſt principalis pars Communis Legis. Littl. 344.

Reſtat nunc conſiderandnm, poſtquam ſubditi obtinuerant jura ſua & Libertates, quæ non erant aliæ quàm veteres ipſorum conſuetudines (& fundamentalia jura Regis ut Monarchæ non ſunt alia:) quomodo jura Monarchiæ continuârint in praxi ab Henr. III tempore, uſque

ad præſens Parlamentum 111 Nov. 1640. Nam ante Henr. III tempus, Monarchia habebat pleniſſimam poteſtatem.

Bract. temp. Hen. III. l. 4. c. 24. Sect. 1. *Rex habet Poteſtatem & Iuriſdictionem ſuper omnes qui in Regno ſuo ſunt; ea quæ ſunt Iuriſdictionis & Pacis ad nullum pertinent niſi ad Regiam dignitatem, habet etiam coërcitionem ut delinquentes puniat & coërceat:* hoc probat ubi Suprema Poteſtas ſit.

Delinquens eſt qui adhæret Regis inimicis *Com. Sur.* Littl. 261. hoc oſtendit qui ſint Delinquentes.

Sect. 5. Bract. ibid. *Omnis ſub Rege, & Ipſe ſub nullo* niſi tantùm Deo, *non eſt inferior ſibi ſubjectis, non parem habet in Regno ſuo.*

Idem. *Rex non habet ſuperiorem niſi Deum, ſatis habet ad pœnam quod Deum exſpectat ultorem.* Et hoc oſtendit penes quem ſit Suprema Poteſtas.

Proditiones, Feloniæ & alia placita Coronæ, ſunt *propriæ cauſæ Regis:* id oſtendit eandem poteſtatem.

Ex his locis apparet quæ fuerit Conſuetudo quoad poteſtatem Monarchiæ ante illud tempus, poteſtas militiæ, cudere numiſmata, fœdera icere cum exteris Principibus, condonare delicta, creare officiarios &c. Omnes Reges habuêre, eæ poteſtates non habent initium.

Ed. I. *Sexto Edw. I Com. Littl.* 85. Lege Homagii, unuſquiſque ſubitus debet Regi (viz) Faiti *de Membro, de vita; de terreno honore*; Forma juramenti extat *inter Vetera Statuta*; non legimus de tali Homagio facto ambabus Domibus Parlamenti; ſed ſæpe de facto ab ipſis. Declaratum fuit à Prælatis, Comitibus, Baronibus, communitate Regni, quod pertineat ad Regem, & ejus regalem poteſtatem, ſtricte prohibere *Potentiam armorum*, & omnem aliam potentiam contra Regis pacem, omni tempore cum placebit ei, & punire eos qui contra faciunt, ſecundum Legem & uſum hujus Regni, & ad hæc obligati ſunt adjurare ſupremum

mum ſuum Dominum, quovis tempore cum opus erit. Hîc Suprema Poteſtas tempore Parlamenti ab utraque Domo declaratur pertinere ad Regem.

In exordio cujuſque Parlamenti, omnia arma ſunt, aut deberent eſſe, prohibita in London, Weſtmonaſterio & ſuburbiis. Hæc condemnat multitudinis acceſſum ad Weſtmonaſter. & cuſtodias armatorum. 7 *Ed.* II.

Omnes qui tenebant per Equitis ſervitium, & poſſidebant xx. l. *per annum*, cogi poterant *ad Arma militaria ſuſcipienda*: hoc congruit cum Record. veter. temporis, conſtanter continuatum omnium Regum temporibus, verùm hoc Parlament. 3 Novemb. 1640 Rex ex gratia remiſit hoc obſequium; quod probat poteſtatem Belli & præparationem ad illud, non pertinere ad utramque Domum, ſed tantummodo ad Regem. 1 *Edw.* II. *de Militib.*

Ambo *Spenceri* tempore Edw. II (ut tegerent ſuam proditionem) excluſerunt hanc damnabilem & damnatam opinionem vid. Quod Ligeantia ſit magis propter Regis politicam capacitatem, quàm ipſius perſonam; è quo deducebant has exſecrabiles & deteſtabiles conſequentias. Primò, ſi Rex ſe non gereret ſecundùm rationem in jure ipſius Coronæ, Ligeos ejus obligatos eſſe per juramentum Illum removere. Secundò, quandoquidem Rex non poterat amoveri per proſecutionem Legis, per vim faciendum eſſe. Tertiò, Ligeos ejus teneri gubernare ob defectum illius.

Omnes quæ ſententiæ condemnatæ à duobus Parlamentis, uno vocato *exilium Hugonis* in Edw. II tempore, altero 1 Edw. III cap. 2. Qui omnes Articuli contra *Spenceros* ſunt confirmati per poſterius illud Statutum, & extant in lib. qui vocatur *Vetera Statuta*. Separatio Regis perſonæ à ſua poteſtate, eſt principalis articulus damnatus;

& ta-

& tamen omnes hæ tres damnabiles, deteſtabiles & exſecrabiles conſequentiæ, ſunt fundamenta ſuper quæ preſens tempus inſiſtit, & principia ſuper quæ utraque Domus fundat ſuam cauſam.

Plowd. Com. 322. Villicus Domini, in præſentia Regis non poteſt apprehendi; nam præſentia Regis eſt protectio ejus illo tempore: quod oſtendit quantam reverentiam Leges attribuant perſonæ Regis.

33 *Ed.* III. *Reges ſacro oleo uncti ſunt capaces ſpiritualis juriſdictionis:* Verùm ambæ Domus numquam capaces fuêre habitæ iſtius poteſtatis

Rex eſt perſona mixta cum ſacerdote, habet Eccleſiaſticam & ſpiritualem juriſdictionem: hoc oſtendit Regis poteſtatem in Eccleſiaſticis cauſis.

Com. Littl. Sect. 4. Terræ Regis vocantur in Lege *Patrimonium Sacrum:* Ergò Domus non admovere debuiſſent manum ad hoc Sacrum Patrimonium.

3 *Ed.* III. XIX. Rex non habet parem in ſua terra, & non poteſt judicari. Ergo ambæ Domus non ſupra illum.

Parlamentum XV Edw. III fuit abrogatum, quia erat contra Leges Regis & prærogativam 4 part. Inſtit. fol. 52. Hoc oſtendit evidenter, propoſitiones miſſas Novum Caſtrum non debuiſſe præſentari ejus Majeſtati, quia ſunt contra Leges & ejus prærogativam.

Cook. 4. *p.* 5. Domini & Communes non poſſunt aſſentiri in Parlamento ulli rei quæ tendit ad diminutionem Regis & Coronæ ejus, ad quæ jurati ſunt. Hoc itidem condemnat illas propoſitiones.

Deponere Regem, incarcerare illum donec aſſentiatur certis poſtulatis; bellum ad mutandum Religionem Lege ſtabilitam aut ullam aliam Legem, aut ad removendum Conſiliarios, tenere Caſtellum aut arcem contra Regem;

gem ſunt, offenſæ contra legem quæ declarat Proditionem eſſe per reſolutiones quarum poſtea mentio fiet: per illam Legem homines obligati ſunt juvare Regem quando bellum ei infertur in ſuo Regno.

Rex debet in hoc Statuto intelligi in naturali ſuo corpore & perſona, quod ſolum poteſt mori; nam machinari ejus mortem & declarare aperto actu, declaratur Proditio: pugnare cum iis qui veniunt ad auxiliandum Regi in ſuis bellis, eſt Proditio. 25 Ed. III. cap. 2.

Machinari Reginæ mortem, majoris natu filii Regis, cudere ejus monetam, mentiri magnum illius Sigillum, bellum ipſi movere, aut moventibus adhærere, declarantur illo Acto crimina læſæ Majeſtatis. Hoc Statutum non poteſt referri ad Regis politicam capacitatem, ſed ad naturalem, quæ eſt inſeparabilis à politica: nam Corpus politicum non poteſt habere aut uxorem aut filium, aut movere bellum, aut aliquid agere, quàm per operationem corporis naturalis: Societas aut corpus politicum non habet animam aut vitam, ſed eſt figmentum Legis, & Statutum intelligit non fictas perſonas, ſed corpus naturale, conjunctum cum politico, quæ ſunt inſeparabilia.

Clauſula illius Acti, quod nemo peteret gratiam aut remiſſionem ob aliquam offenſam damnatam per illud Actum, abrogatum fuit à ſubſequenti Acto xxi. Rich. II judicatum irrationale & ſine exemplo; & contra Legem & conſuetudinem Parlamenti. Hoc comdemnat Propoſitionem quæ Regem inidoneum facit ad condonandum. 4 pars Inſtit. fol. 42. Actum xi. Rich. II quod tantopere urgetur ab altera parte, erat actum cui Rex aſſentiebatur, atque ita perfectum, ſed nota Exercitum tunc circa urbem; & obſerva quod illa lex eſt contra privatas perſonas, & per cap. 3 ejuſdem Proditiones factæ per illud Actum,

& non trahendæ in exemplum. Abrogatum fuit xxi Rich. II & revivificatum per uſurpatorem 1 Hen. IV ut populo placeret, & per cap. x inactum fuit, quod nihil erit proditio quod declaratum erat xxv. Edw. III Regalitas Coronæ Angliæ, eſt immediatè ſubjecta Deo & nulli alteri. Plana verba, oſtendentia ubi ſit Suprema Poteſtas.

16 Ed. cap. 5. 16. Rich. II cap. 5. Hen. IV.

Commiſſio Arrayæ eſt in vigore, & non alia commiſſio; Rot. Parlam. 5 Hen. IV num 24. Actum non excuſum, hoc actum fuit abrogatum per 4 & 5 P. & M. cap. 2. abrogatum eſt per actum 1 Iacobi, & ita eſt in vigore hodie, nam abrogans Statutum eſt abrogatum 4 part. Inſtitut. fol. 51. & 125. publicata poſt hoc Parlamentum, juſſu Domus Communium, eorum ordinantia excuſa eſt ad ult. fol. Commentariorum ad *Magnam Chartam.*

Lib. approbatus à Nic. Blont. eq. vocatus ratio Belli fol. 65.

D. *Eduardus Cooke*, ab illorum parte tenetur pro Oraculo Legis, qui ſcripſit dictam quartam partem, quieto tempore, & poſſum dicere, cum non eſſet opus defendere authoritatem commiſſionis Arrayæ.

Quoad objectionem, quod illa commiſſio relinquit poteſtatem Commiſſariis taxandi homines *ſecundum facultates* & ita effici omnibus ſtatus arbitrarios: reſpondeo, quod in levandis publicis auxiliis ſuper hominum bona & ſtatus, qui mutabiles ſunt, & veriſimiliter non poſſunt cognoſci ab ullis quàm à proprietariis, impoſſibile eſt vitare diſcretionem in taxationibus, nam ita ſemper fuit & perpetuò erit. Ex his liquet, Vota utriuſque Domus contra Commiſſionem Arrayæ, fuiſſe contra Legem.

2 Hen. V.

Mors Regis diſſolvit Parlamentum, ſi Reges referrentur ad politicam capacitatem continuarent poſt ejus mortem. 4. Part Inſtitut. 46. quod probat Regem non poſſe dici ibi eſſe, ut nunc eſt: non eſt *interregnum* in Regno, diſſolutio Parlamenti per illius obitum oſtendit, quod initium

tium & finis illius refertur ad naturalem perſonam Regis, & propterea poteſt legaliter refutare Propoſitiones.

2. Hen. V. cap. 6. ad ſolum Regem pertinet icere fœdera cum exteris Principibus: hoc oſtendit ubi Suprema Poteſtas ſit, & ad quem Militia pertineat.

8. Hen. VI num. 57 Rotul. Parlam. Cookes 4 part. Inſtitut. 25. Nullum privilegium Parlam. admittitur ob proditionem, feloniam & rupturam Pacis; ſi non in uno aliquo membro, neque in duobus, neu in decem, neu in majore parte XIX Hen. VI 62. Lex eſt hæreditas Regis & populi ejus, à qua reguntur Rex & ejus populus & populus obligatus eſt per Legem adjuvare Regem, & Regis hæreditas eſt tenere Parlamentum, & ſubſidia indulta per Communitatem. Si major pars Parlamenti committat proditionem, non debent eſſe judices ejus; nam nullus homo aut corpus poteſt eſſe Iudex in propria cauſa, & ſicuti decem aut quivis numerus poteſt committere proditionem, ita & major numerus.

Rex poteſt per literas ſuas patentes conſtituere Comitatum Palatinum & concedere Iura regalia; hoc oſtendit ubi ſit Suprema Poteſtas. *32 Henr. VI. 13. Plowd. 334.*

XVII Edw. IV Rot. Parl. num. 39. nullum privilegium Parlamenti concedi poteſt pro proditione, felonia aut ruptura pacis; ſi non uni neque duobus aut pluribus aut majori parti.

Eædem perſonæ non poſſunt eſſe judices & partes. Aſſociatum corpus non poteſt committere proditionem, neque proditio poteſt committi contra ejuſmodi corpus. XXI Edw. 13 & 14. Sed perſonæ hominum quæ faciunt illud corpus poſſunt committere proditionem, & committere eam contra naturalem perſonam ejus qui quadantenus eſt aſſociatum corpus, ſed quatenus *corporatum* *Calv. cas. 7 part. fol. 11. 12.*

nulla Proditio poteſt committi ab aut contra tale corpus; hoc corpus non habet animam, non vitam, & conſiſtit tantummodò per fictionem Legis; & propter illam rationem Lex concludit ut ante dictum: ea propter Statutum xxv Edw. III debet intelligi de naturali perſona Regis, conjuncta cum politica, quæ ſunt inſeparabiles, & Regis naturalis perſona exiſtens *Holmby*, politica eſt ibidem, & non Weſtmonaſterii: nam politicum & naturale faciunt unum corpus indiviſibile.

Plowud Com. 213.

19 *Ed.* IV 46. 22. *Ed.* IV. Si omnis populus Angliæ rumperet fœdus factum cum externo Principe, ſine Regis conſenſu, fœdus tenet & non eſt ruptum, & propterea repræſentativum corpus eſt inferius ſua Majeſtate.

Rex poteſt erigere Tribunal communium placitorum, in quacunque parte Regni ipſi placuerit per literas ſuas patentes: an ambæ Domus poſſunt idem facere? 1 Edw. V. fol 2. non poteſt dici Regem injuriam facere, declaratum ab omnibus Iudicibus & Sergeantis ad Legem ibidem præſentibus.

4 *Ed.* IV. 25. 5 *Ed.* IV. 29.

Ratio eſt, nihil fieri poteſt in hac Repub. conceſſione Regis aut aliquo alio ipſius acto, contra ſubditorum perſonas; bona, terras & libertates, quàm ſecundum Leges ſtabilitas, quas Iudices jurârunt obſervare & ferre inter Regem & populum ſuum, æqualiter inter dites & inopes, Grandes & humiles: & propterea Iudices & miniſtri Iuſtitiæ, accuſandi ſunt & puniendi, ſi Leges ſint violatæ; Et nulla reflexio facienda eſt in Regem. Omnes Conſiliarii & Iudices ante annum & tres menſes donec tumultus inciperent in hoc Parlamento, relicti erant ordinario curſui Inſtitiæ, quid poſt illa factum ſit, notiſſimum eſt.

1 *Rich.* III c. 15. Ob graves cauſas & conſiderationes Actum Parlamenti

ti factum fuerat, ad ſecuritatem dicti Regis perſonæ: ſi Parlamentum tam amans fuit Regis Richardi III Domus majores cauſas habent ſollicitudinis de conſervanda Regia Majeſtate.

Subditi obligati ſunt per fidelitatem ſuam, ſervire Regi, pro tempore præſenti, contra quamvis rebellionem, potentiam & vires, motas contra illum in his Terris; quod ſi contra omnes Leges, rationem & bonam conſcientiam, ſi Regem vinci contigerit, quod ob dictum factum & verum obſequium & fidelitatem, quicquam paterentur, & ordinatum fuit quod non: & omnia Acta proceſſuum Legis poſt illa facienda in contrarium fore nulla: Hæc Lex intelligenda eſt de naturali Perſona Regis. nam politica ejus capacitas non poteſt vinci, aut bellum moveri contra hanc. Relapſi non poſſunt hoc beneficio frui. 11 *Henr.* VII. *c.* 1.

Non eſt ſtatutum, niſi Rex aſſentiatur, & poteſt diſſentire; hoc probat vocem negativam. 12 *Henr.* VII. 20.

Rex habet plenam poteſtatem in omnibus cauſis juſtitiam adminiſtrandi quibuſvis; hoc affirmatur de Regen non de utraque Domo. 4 *Henr.* VII. 18. 7 *Henr.* VII. 14.

Communes in Parlamento non agnoſcunt ſuperiorem Rege præter Deum: Domus Communium fatentur Regem eſſe ſupra repræſentativum corpus Regni. 24 *Henr.* VIII. 12. 25 *Henr.* VIII. 28.

Optimo jure & æquitate ad Regem ſolum pertinet tota poteſtas condonandi crimen læſæ Majeſtatis & alia; quemadmodum & omnis generis Iudices conſtituendi: hæc Lex condemnat praxim utriuſque Domus hoc tempore. 27 *Henr.* VIII. 24.

Regis regalis aſſenſus ad quodvis Actum Parlamenti, ſignatus ipſius manu, expreſſus in literis patentibus ſub magno ſigillo, & declaratus Dominis & Communibus tam efficax eſt, quàm ſi aſſenſus fuiſſet in propria perſona; vanum actum, ſi Rex virtualiter ſit in Domibus. 33 *Henr.* VIII. 12.

Dier. 38 Henr. VIII. f. 59. 60.

Rex eſt caput Parlamenti, Domini principalia membra corporis, Communes inferiora membra, & ita corpus eſt compoſitum, quapropter non magis eſt Parlamentum ſine Rege quàm corpus ſine capite.

14 Henr. VIII. fol 3.

Corporatio eſt ſecundum legem communem, ut Rex, Domini, & Communes, ſunt corporatio in Parlamento, & propterea non ſunt corpus ſine Rege.

34 Ed. III. 48. 1 Ed. IV. 2.

Obitus Regis diſſolvit omnem manucaptionem comparendi in ulla curia, aut cuſtodiendi pacem.

2 Henr. V. 8.

Obitus Regis diſcontinuat omnia placita ſecundum legem communem, quod non convenit cum *Virtuali Poteſtate*, quæ nunc urgetur.

1 Henr. VII. 10. 1 Ed. V. 1. 1 Ed. VI. 7.

Brevia diſcontinuantur per obitum Regis; patentes Iudicum, Commiſſiones Iuſticiariorum Pacis, Vicecomitum &c. finiuntur illius Obitu: ubi ergo *Virtualis Poteſtas?*.

1 Ed. VI. 2.

Omnis authoritas & juriſdictio ſpiritualis & temporalis derivatur à Rege, propterea nulla à Domibus.

3 Ed. VI. 2.

Majeſtatis ſuæ ſubditi, ſecundum obſequium ſuum tenentur ſervire Regi in bellis ſuis, ab hac parte aut citra mare; citra mare intelligendum ſtipendio: hoc probat Poteſtatem bellorum, & præparationes ad bellum eſſe in Rege.

11 Henr. VII. 1. Cooke 1. part. Inſtit. 69.

5 Ed. VI. 11.

Maximè neceſſarium eſt tam ad politiam quàm officium ſubditi, reprimere omne genus ignominioſarum calumniarum contra Regem, quæ cum audiuntur, non poſſunt non eſſe odibiles fidelibus & dilectis ſubditis ejus, à quibus dependet omnis unitas & univerſalis ſalus Reipub. Hoc condemnat continuos & hebdomadarios libellos tam ſpurcos contra illius Majeſtatem.

1. Mar. 2. c. 2.

Punitio omnium offendentium contra Leges, pertinet ad Regem ut omnes juriſdictiones jure ad Regem jure pertinent. Hoc omnia relinquit ſuæ Majeſtati.

Omne-

Omnes commiſſiones delectus habendi ad bellum, conceduntur à Rege: Ad Regem ſolum pertinet Poteſtas belli. 4 5. Mar. 3. 10 Eliz. 3, 15.

Regis eſt defendere populum ſuum, & providere arma & copias; nulla mentio de utraque Domo.

Le Roy a ſeul le gouvernement de ſes ſubjects, le corps politique du Roy & naturel ſont un corps. Id eſt, Rex habet ſolum regimen ſuorum ſubditorum, politicum corpus Regis & naturale faciunt unum corpus, & non diverſa, & ſunt inſeparabilia & indiviſibilia. Corpus naturale & politicum faciunt unum corpus & non poſſunt ſeparari. Ligeantia debetur naturali corpori & debetur per naturam, Dei Legem & hominum Legem; neque poteſt amitti aut negari ullo modo, inſeparabilis eſt à perſona. Plowd. 234. 242. Cavv. caſ. 7. part. fol. 12. Plowd. Com. 213. Plowd. 934. 243. 213. Cavv. caſ. 7. part. fol 12.

Vnumquodque Membrum Domus Communium, ſingulis Parlamentis ſumit Iuramentum corporale, quod Rex ſit ſupremus & unicus Rector in omnibus cauſis, in omnibus ſuis Dominiis; aliter non eſt membrum illius Domus: verba Legis ſunt, in omnibus cauſis, ſuper omnes perſonas. 1 Eliz. c. 1. Cavvd. Caſ. 5. pars. fol. 1.

Dictum Actum 1 Eliz. eſt tantum declarativum veteris Legis, *Cavdries Caſe* ibidem.

Comes Eſſexiæ & alii, coad unabant copias ad removendos Conſiliarios, quod crimen læſæ Majeſtatis judicatum eſt ab omnibus Iudicibus Angliæ. 43 Eliz. 3.

Deponere Regem aut cupere illum per vim, incarcerare Illum donec conſentiat quibuſdam petitionibus, crimen læſæ Majeſtatis, atque ita damnatum in *Cobhami* caſu. 39 Eliz.

Inſurgere ad alterandum Religionem ſtabilitam, aut aliquam Legem, eſt crimen læſæ Majeſtatis: item, intercipere Regis caſtella, munimenta, portus, claſſes; crimen læſæ Majeſtatis 3 & 4. Ph. & Mar. Dier, Stafford Cas. quoad Scarboroug.

Lex

Lex non facit famulum majorem Magiſtro, neque ſubditum Rege, nam hoc eſſet ordinem & menſuram pervertere.

10 *Eliz. Plowvd.* 319. Lex non cognoſcitur niſi per uſum, & uſus probat Legem, & qualis fuerit uſus notiſſimum eſt.

Rex eſt noſter unicus, juſtus & legalis ligius Dominus & Princeps, genibus cordis noſtri vovemus conſtantem fidem, fidelitatem & obedientiam Regi & regali ejus Proſapiæ, in hac curia Parlamenti, ubi totum corpus Regni eſt aut in perſona, aut per repræſentationem.

1 *Iac.* 1. Agnoſcimus, quod vera & ſincera Religio Eccleſiæ ſit continuata & ſtabilita per Regem, recognoſcimus, quemadmodum tenemur per legem Dei & humanam, quod regnum Angliæ & ejus Imperialis Coronæ ad Ipſum pertinet per inhærens Ius genituræ, & Legalem & indubiam ſucceſſionem: & ſubmittimus nos ipſos & poſteros in perpetuum, quandiu gutta ſanguinis ſupererit, ejus regimini; & oramus Regem ut acceptet hæc ut primos fructus noſtræ fidelitatis & fidei erga Majeſtatem ſuam & Poſteritatem ejus in perpetuum; & quia hoc actum non eſt perfectum ſine Majeſtatis ſuæ aſſenſu, eundem humiliter requirimus. Hæc probant *Domos non eſſe ſupra Regem*; *Reges* non *habere titulos ſuos ad Coronam* ab utraque Domo, ſed *ab inhærenti Iure genituræ*, & quod nullum poſſit eſſe Statutum *ſine expreſſo Illius aſſenſu*, & deſtruit *Chimæram virtualis Regis præſentiæ* in Domibus.

3 *Iac. c.* 4. 23 *Eliz. c.* 1.

Promittere obedientiam Papæ aut alteri cuivis Statui, Principi aut poteſtati, quàm Regi, ejus hæredibus & ſucceſſoribus, eſt crimen læſæ Majeſtatis; & propterea qui Domus appellant *Status* offendunt in hanc Legem.

Coll. Statut. fol. 727. & 728.

Billæ quibus ſua Majeſtatis tenetur in conſcientia & juſticia perferre, non ſunt Leges ſine Illius aſſenſu.

De-

Deſignare ruinam perſonæ Regis aut Monarchiæ eſt monſtroſum & injurioſum crimen.

Vbi Lex non diſtinguit, non eſt diſtinguendum, omnia ante dicta Acta & Leges evidenter probant Militiam pertinere ad Regem; Regem non eſſe *virtualiter* in utraque Domo; Regem non poſſe conſiderari ſeparatim in relatione ad politicam ejus capacitatem: Regis fidei non eſſe commiſſam Poteſtatem, ſed eam eſſe inhærens ipſi Ius genituræ à Deo, Natura, & Lege, & quod non habeat poteſtatem à Populo: hæ Leges non habent has diſtinctiones naturalis & politici, *abſtracti & concreti*, poteſtatis & perſonæ. *Cæſaris* tempore hæc inſula habuit Reges, & ſemper poſt, qui ſunt pene 1700 anni.

Nullus Rex poteſt nominari, quovis tempore, factus in hoc Regno à Populo; Parlamentum numquam fecit Regem. erant enim antè Reges. Parlamenta vocantur per Regis brevia, quæ ad Equites, cives & Burgenſes ita incipiunt:

Rex Vic. Wilth. Salutem. Quia Nos de aviſamento & aſſenſu Conſilii noſtri pro quibus arduis & urgentib. negotiis Nos, ſtatum & defenſionem Regni noſtri Angl. & Eccleſ. Anglic. concernentibus quoddam Parliamentum noſtrum, apud B. teneri ordinavimus & ibid. cum Prælatis, Magnatib. & Proceribus dicti Regni noſtri Colloquium habere & tractatum; tibi præcipimus firmiter injungendo, quod facta Proclamatio in prox. Comitatu tuo poſt receptionem ejuſd. Brevis, duos Milites gladiis cinctos &c. eligi facias ad faciendum & conſentiendum his quæ tunc ibidem de Communi Concilio noſtro. Angl. favente Deo, contigent ordinari ſuper negotiis antedictis, ita quod pro defectu poteſtatis hujusmodi ſeu propter improvidam electionem Militum, Civium, & Burgenſium, prædicta negotia noſtra, infecta non remanerent.

Rex eſt *Principium, caput & finis Parlamenti*, corpus non facit 4 *pars Inſtit. fol.* 3. 4.

facit caput, neque quod est posterius hoc quod est prius: *Consilium non est Præceptum, Consiliarii non sunt Præceptores.* Nam Consilium cogere assensum, nulla ætate auditum fuit ante hoc tempus: & Domus Communium, per Breve non vocatur *ad consilium*: Brevia duodecim Iudicum, Regii Concilii, duodecim Magistrorum Cancellariæ; *sunt consilium impensuri*; & ita de Paribus. Brevia ad Communitatem, *ad faciendum & consentiendum*; quod ostendit quam potestatem repræsentativum corpus habeat; non habent potestatem juramentum ministrandi, neque illud prætendunt.

Iurament. Iustic. 18 Ed III. inter statuta illius anni.

Rex omni tempore, cum non est Parlamentum, & in Parlamento assistitur advisamento Iudicum Legis, XII numero. nam Anglia habet ad minimum duos Sergeantos, cum pauciſſimos; unum Procuratorem & fiscalem Advocatum, XII Magistros Cancellariæ, suum concilium Status consistens è quibusdam magnis Prælatis, & aliis magnis personis, versatis in negotiis Status, cum pauciſſimi sunt numero duodecim. Et in omnes semper sunt magnæ opulentiæ, quæ non conservatur, nisi custodiâ Legum: Prælati versati in Divina Lege, alii Primates in negotiis Status, & Regimine; Iudices, Regis Sergeanti, Procurator, advocatus Fiscalis, & Magistri cancellariæ versati in Lege & consuetudinibus Regni: omnes jurati servire Regi & populo ejus juste & fideliter: Rex quoque juratus est ad observandum Leges, & judices habent in juramento suo clausulam quod facturi sint commune Ius Regis populo, secundum stabilitas Leges, nullo mandato Regis in contrarium non obstante, sub magno sigillo aut aliter: populus est securus per leges, in vigore, sine ullis novis: lex reperiens Regem munitum à tot Magnis viris, conscientiæ; Honoris & experientiæ in regimine Reipub.

Scien-

Scientia Legum, & obligatos per grave & ſacrum vinculum Iuramenti ſuper Euangeliſtas conſtituit in Rege inter alias poteſtates, poteſtatem rejiciendi quamvis Billam de qua utraque Domus conſenſerit, & poteſtatem condonandi omnia delicta, conferendi beneficia in minoritate ſua (ſunt multæ magnæ Perſonæ viventes, quæ tenent multa 1000 librarum annuatium per patentes Eduardi VI indulta cum tantùm eſſet decem annorum) non eſſe obligatum ulli Legi in ſuum præjudicium, ad quod ſe non obligat: arbitrium pacis & belli; cuſionem pecuniæ, creationem officiariorum &c. Lex, ob rationes prædictas, approbavit has poteſtates ſine controverſia eſſe in Rege, & omnes Reges illis gaviſi ſunt uſque ad 3 Nov. 1640.

Objicietur, non obſtante omni hac ſententia Legum, leges fuiſſe violatas, & propterea poteſtates illas non poſſe ſubſiſtere, utraque Domus remedium afferet.

Reſponſum ad hoc eſt evidens: non eſt tempus præteritum, neque præſens, neque futurum, quandiu homines miniſtrabunt Legem: quin Leges infringantur magis aut minus, ut liquet ex Hiſtoria cujuſque ætatis. Omnes prætenſæ violationes hujus temporis fuerunt reſtitutæ per Acta quibus Rex conſenſit ante abitum ſuum x Ian. 1641. cum abactus fuit per tumultus; & Domus tempore anni & pene trium menſium, à 3 Novemb. 1640. ad 10 Ian. 1641. ut ante dictum, habuêre tempus & libertatem accuſandi omnes eos qui erant aut cauſæ aut inſtrumenta violationis alicujus Legis.

Examina quomodo utraque Domus remedium attulerit ſuperioribus temporibus. Primo quoad Religionem, quid factum? utraque Domus tempore Henr. VIII obtulerunt illi Billam ſex Articulorum, quæ ipſis videbatur juſta & neceſſaria Billa: annon Henricus VIII bene feciſſet, ſi

negâſſet illam perferre? Ambæ Domus obtulerunt eidem Billam, ut auferret lectionem Scripturarum maximæ Parti laicorum: An non Henricus VIII magnam laudem meruiſſet, ſi rejeciſſet? Reginæ Mariæ tempore, ambæ Domus exhibuerunt Billam illi, ut introduceret Papæ poteſtatem & Roman. religionem: An non bene feciſſet R. Maria ſi refutâſſet hanc Billam? multæ tales inſtantiæ dari poſſunt. Ambæ Domus jam Weſtmonaſterii, certus ſum, non negabunt quod rejectio ejusmodi Billarum futura fuiſſet juſta, & quare non hoc tempore?

Quoad civile regimen, qualem Billam præſentârunt ambæ Ambæ Domus Richardo III, ut titulum ſuum ad coronam confirmaret; an non honorificum fuiſſet Illi eam refutare? Quales Billæ exhibitæ fuerint Henr. VIII ab utraque Domo ad *notham* declarandam filiam ſuam Eliſabetham, Reginam glorioſæ memoriæ, ad ſtabiliendam coronam Regni ſui, deficiente progenie ex ipſius corpore, ſuper ejuſmodi perſonas, quales declararet per litteras patentes, aut ultimam voluntatem, & plures ſimiles? an non rejectio talium Billarum magnificâſſet ejus virtutes, & exhibuiſſet illum poſteritati longè alio Charactere quàm nunc?

Ab experientia omnium ſeculorum & conſideratione humanæ fragilitatis, hæc concluſio manifeſtè deducitur, *quòd non ſit poſſibile conſervare hominem omni tempore* (ſint Domus, aut Rex & ejus Concilium) *quin aliquando exiſtat quædam deviatio à Legibus*, & propterea conſtantes & certæ poteſtates fixæ per antiquam Legem non ſunt abrogandæ & Regis miniſtri; Leges puniunt ubi eſt transgreſſio Legis & illo ſolos oportet pati ob iſtam.

In hoc Parlamento Domus exhibuêre Billam, de auferendis ſuffragiis Epiſcoporum in Domo ſuperiore Parlamenti,

lamenti, & post illa convenêre ne ulli essent posthac Episcopi; an non potuisset Rex respondere ad hanc Billam: *Le Roy s'avisera* aut *ne veult.* erat contra *Magnam Chartam*, *Articulos Cleri*, & plura Acta Parlamenti. Et dare porrò has rationes, si ipsi ita placuisset; Primò, quod hæc Billa destruat Breve per quod factæ sunt duæ Domus Parlamenti 14. Hen. VIII fol. 22. *Evesque est Signeur de Grand honneur*, Rex cum debeat secundum Breve, *cum Prælatis colloquium habere:* Secundò, fuerunt in omnibus Parlamentis, postquam ea habuimus & votârunt, exceptis iis quæ ipsos concernebant: & fuêre hîc Episcopi postquam fuimus Christiani, & fundamentalis Lex Regni approbat illos: si aliqui ipsorum crediti offendere, relicti erant Iustitiæ, & Rex substitueret inoffensibiles in eorum locum; sed postquam Rex consensit auferri vota eorum in Parlamenta, est lex quæ nos obligat eo usque.

Ad integrum subjectum, Lex notoriè determinavit, quod Billæ quibus utraque Domus assensit, prætendens esse ad Publicum bonum, judicandæ sint à Rege. nam in omnium Regum regnis Billæ exhibitæ fuêre ab utraque Domo, quæ omnes prætexunt publicum bonum, & sæpe non sunt, & fuêre rejectæ cum *le Roy s'avisera* aut *le Roy ne veult.* Hoc Parlamentum incepit 3 Nov. 1640. Ante hoc tempus in omni Regum regno, nulla armata potentia cogebat populum quicquam facere contra Legem; quod factum fuerat, per ejus Iudices officiarios, Referendarios & Ministros, ab illo tempore ad x Ian. 1641. cum Rex discessit Londino ut vitaret pericula frequentium tumultuum, anno uno & tribus mensibus, privati Consiliarii & Iudices ejus & Ministri relicti fuêre justitiæ Legum, non defuit tempus puniendi qui pœnis obnoxii erant.

Sphæra Domus Communium debet repræsentare gravamina

vamina Regionis, concedere ſubſidia Regi ad omnes occaſiones extra ordinem conſentire lationi aut abrogationi Legum: orbis domus Dominorum reformare erronea judicia lata per Regis Bancum, corrigere dilationes Curiarum Iuſtitiæ, recipere omnes petitiones, inſtruere Regem ſuis conſiliis, habere vota ſua in ferendis aut abrogandis Legibus, & proponere ad ſalutem publicam, quod opportunum ipſis videtur.

Lex non cogit ad impoſſibilia; Subditi non poſſunt expectare à Regibus impoſſibilia, tot Iudices, conſiliarios, Vicecomites, Iuſticiarios pacis, commiſſarios, Miniſtros Status, impoſſibile eſt Regem omnes circumſpicere.

Rex eſt ordinarie *virtualiter* in Curiis ſuis Iuſtitiæ; quandiu manent ejus Curiæ: Earum officium eſt adminiſtrare Leges exiſtentes, & non differre aut vendere Iuſtitiam ob quodvis mandatum Regis.

Satis habemus Legum; *Inſtrumenta boni ſeculi ſunt boni viri*; boni Miniſtri, ut Iudices & officiarii ſæpe deſiderantur; Domus proponunt novas Leges aut abrogationem veterum; utrumque introducit novitatem. Lex ob cauſas jam dictas, Regem ſolum facit judicem, cui in eo aſſiſtunt plurimi graves docti & prudentes viri. Ob conſiderationes jam dictas, Regis pars adhæſit ipſi, Lex terræ eſt ipſorum peculium, ductrix, non offenditur cum illa non violatur, inveniebant Commiſſionem *Arrayæ* ſtabilitam per Legem; videbant Regem in hoc Parlamento remiſiſſe, *Shipmoney*, *Knichthood-money*, VII. Tribunalia Iuſtitiæ, conſenſiſſe in triennale Parlamentum, conſtituiſſe limites *Foreſtæ*, removiſſe Clericum rerum venalium quoad familiam ſuam, Claſſem Domui credidiſſe, pertulerat Actum, quod Parlamentum hoc non eſſet diſſoluturus ſine Domorum conſenſu: nullus populus erat tam liber,

ſi con-

ſi contenti eſſe potuiſſent Legibus, Iuramentis & Ratione; & nihil potuit aut poterit excogitari ad ſecurandum nos neque umquam fuit.

His omnibus non obſtantibus vidimus Regem abactum *Londino* per frequentes tumultus; duas tertias partes Dominorum & amplius deſeruiſſe illam Domum, ob eandem cauſam; quin & majorem partem Communium, Domum Communium deſeruiſſe ob eandem cauſam: novos homines electos in ipſorum loca contra *Legem*, ſub prætextu adulterati ſigilli, & in nomine Regis contra ejus voluntatem, bellum motum contra Ipſum, intercepti illius portus, Arces, Armamentaria & Reditus, & converſa ad Illius deſtructionem & ſubverſionem Legum terræ; Tributa ad opponendum ſe copiis Regiis, non ad adhærendum Illi, ſed ipſis in hoc bello; quod vocant *Iuramentum negativum* & *Votum* & *Fœdus* ſive *Compactum*.

Diverſis modis numquam uſitatis in hoc Regno, pecunias imperârunt ad fovendum hoc bellum, & potiſſimum ad quoſdam inter ipſos locupletandos; videlicet. 1. *Exciſas* 2. *Contributiones* 3. *Sequeſtrationes*; 4. *Quintas partes*. 5. *Vigeſimas partes*. 6. *Farinariam*. (Meale-money) 7. *Venditionem ſpoliatorum bonorum*. 8. *Mutua*. 9. *Benevolentias*. 10. *Collectiones*. Diebus feſtis; 11. Novas impoſitiones ſupra merces. 12. Cuſtodias ſumptibus privatorum. 13. Quinquaginta Subſidia uno tempore. 14. Compoſitiones cum iis quos vocant *Delinquentes*: 15. Venditionem terrarum Epiſcopalium &c.

A Regis Parte media ſubſiſtentiæ fuere ablata; ante diem dictam, terræ ipſorum captæ, bona ablata; Lex indulget proditori aut Feloni in jus vocato, *Neceſſaria ſibi & familiæ ſuæ in victu & veſtitu*: Vbi eſt Compactum ſeu Liga? ubi eſt petitio Iuris? ubi eſt Libertas ſubditi?

1 *Rich.* III. 3. *Bract.* l. 3. c. 8. *Stanf.* 192. 8 *pars Cook.* 7 *Henr.* IV.

Pri-

Primò; Iuvinius Regem in hoc bello, contra Iuramentum negativum, & alia vota: defensio nostra est xxv. Edu. III cap. 2. & resolutiones omnium Iudicum.

Secundò; Defendimus Commissionem Arrayæ, Regis mandato, contra ipsorum vota: confirmamur statuto an. 5. Henrici IV & judicio Eduardi Cooke Equitis, *oraculi Legum*, ut ipsum appellant.

4 part Inst. 125. 2 Inst. 696.

Tertiò: Defendimus Archiepiscopos & Episcopos, quos volebant supprimi. Defensio nostra est *Magna Charta*, & plura alia Statuta.

Quartò: Defendimus Librum *Communium precum*, illi abrogant: Denfensio nostra sunt quinque Acta Parlamenti sub Eduardo Sexto, & R. Elizabethæ tempore, 5 Paschæ 35. Elizabeth inter placita Coronæ in Banco Regis; novus liber Ingressuum fol. 252. *Penry*, ob publicationem duorum Scandalosorum libellorum contra Ecclesiæ regimen fuit in jure postulatus, accusatus, convictus, & suspensus Tyburni.

Quintò; Defendimus *Militiam* Regni *pertinere ad Regem*, ipsi contra: Defensio nostra & statutum anni septimi Eduardi I & plura statuta post illa, praxis omnium temporum, & consuetudo Regni.

Sextò; Defendimus *adulterationem Magni Sigilli esse crimen læsæ Majestatis*; itidem usurpationem Regis arcium, portuum, Navium, castellorum, ejus redituum, & monetæ, contra ipsos: habemus defensionem nostram in dicto statuto xxv. Eduardi III cap. 2. & diversa alia post, & praxin omnium temporum.

Septimò: Defendimus, *Regem solum esse supremum gubernatorem in omnibus causis:* Illi, Regem gubernandum ab ipsis: Patrocinantur nobis Statuta anni primi R. Elisabethæ cap. 1. & anni 5 R. Elisabethæ, primo.

Octavò:

Octavò: Defendimus, *Regem esse Regem per inhærens Ius genituræ, per naturam, per Dei Legem, & per terræ legem.* Illi dicunt Regium jus esse officium fideicommissum. Patrocinatur nobis Statutum anni primi Regis *Iacobi* cap. primo & Resolutio omnium Iudicum Angliæ in Calvini casu.

Nonò: Defendimus, *politicam capacitatem non posse separari à naturali:* illi tenent contrarium. Patrocinantur nobis duo Statuta, videlicet, *exilium Hugonis* tempore Eduardi II & anni primi Eduardi III cap. 2. & ipsorum Oraculum, qui publicavit illud posteritati, quod sit damnabilis, detestabilis & execrabilis proditio; Calvin. Cas. part. 7. fol. 11.

Decimò: Defendimus, *quod qui adjuvat Regem domi aut foras, non sit molestandus aut accusandus propterea:* ipsi tenent & faciunt contrarium. Patrocinatur nobis Statutum anni undecimi Henrici VII cap. primo.

Vndecimò: Asserimus *quod Rex habeat potestatem dissentiendi à Billa, in quam utraque Domus consensit:* quod illi negant. Patrocinatur nobis Statutum anni secundi Henrici V & praxis omnium temporum, anni primi Regis *Caroli* cap. 7. & anni primi Regis *Iacobi* cap. 1.

Duodecimò: Asserimus, *Parlamenta esse habenda gravi & pacifico modo, sine tumultibus*; Ipsi consenserunt multitudines infimæ conditionis plebis venire *Westmonasterium*, ad petendam clamoribus Iusticiam, cum non possent obtinere quod volebant: & alere custodias armatorum, qui illis ministrarent. Patrocinatur nobis Statutum anni septimi Eduardi II & ipsorum Oraculum.

Decimo tertiò: Asserimus, *non esse Statum in hoc regno præter Regis Majest.* & *quod adhærere alicui alteri Statui* in hoc Regno sit *crimen læsæ Majestatis.* Patrocinatur nobis Statutum anni

tertii Regis *Iacobi* cap. quarto; & vigesimi tertii Reginæ *Elisabethæ*, cap. primo.

Decimo quartò: Asserimus, *quòd movere bellum ad removendos Consiliarios, alterandum Religionem, aut ullam legem stabilitam, est crimen læsæ Majestatis:* Ipsi asserunt contrarium: Patrocinantur nobis resolutiones omnium Iudicum *Angliæ* tempore Reginæ *Elisabethæ*, & ipsorum Oraculum consentit.

Decimo quintò: Asserimus, *neminem debere incarcerari, neu exui bonis suis, nisi per justam viam Legis; & quod non oporteat quemquam damnari ad mortem quàm per legem stabilitam, consuetudines Regni, aut Actum Parlamenti:* Ipsi contrarium exercent in *Londino*, *Bristolia*, *Cantio* &c. Patrocinatur nobis *Magna Charta* cap. xxix. Petitio Iuris, anno tertio Regis *Caroli*, & diversæ Leges ibidem memoratæ.

Nos, *Regis pars*, detestati sumus & detestamur *Monopolia*, *Shipmony*, & omnia gravamina Populi, tantum quantum ulli: novimus status nostros, vitas & fortunas conservari per Leges, & Regem ligari per Leges, amamus Parlamenta. Si Regis judices, Consiliarii aut Ministri perperam egerunt, à tertio Novemb. 1640. ad 10 Ian. 1642. tempus habuerunt puniendi, omnes relicti justitiæ, ubi est Regis delictum?

11 *Par. Cooke Raports Magdalen colledge Case.*

Lex dicit, *Rex non potest facere malum*, quod sit *Medicus Regni, pater patriæ, sponsus regni*, qui *per annulum* desponsatus est Regno in sua Coronatione: Rex est *Dei vicarius*, & *non potest ullum malum facere*; hæc sunt verba Legis.

Magnum quid prætexitur, quod populus non sit certus frui Actis perlatis in hoc Parlamento, succedens Parlamentum posset ea abrogare: Objectio est valdè infirma, aliud succedens Parlamentum potest abrogare illud abrogans Parlamentum: Metus ille est sine fine & remedio, nam est essentia Parlamentorum, cum plenaria sunt, ut

oportet

oportet eſſe, è capite & omnibus membris, habere poteſtatem in Parlamenta antecedentia. Parlamenta ſe habent, ut ſunt tempora. ſi turbulenta factio prævaleat, Parlamenta ſunt improba, ut apparet ex exemplis ante citatis improbiſſimorum Parlamentorum: ſi tempora ſint ſobria & modeſta, prudentia & non diſtorta, Parlamenta ſunt ritè bona & honorabilia, & ſunt bona medicamina & cataplaſmata; ſed in hoc Parlamento *exceſſit Medicina modum.*

In hac cauſa & bello inter Regis Majeſtatem, & utramque Domum Weſtmonaſterii, quem ducem habuêre ſubditi, qui illos dirigeret, *quàm Leges?* quibus mediis poterant uti ad diſcernendum, quid ſequerentur, aut fugerent, quàm Leges? Rex declarat *crimen læſæ Majeſtatis* adhærere Domibus in hoc Bello: Domus declarant crimen læſæ Majeſtatis adhærere Regi in hoc bello: ſubditi quoad maximam & conſiderabilem partem eorum (cùm crimen læſæ Majeſtatis ſit crimen quod non tantum inducat amiſſionem vitæ & bonorum, ſed etiam reddat ipſorum poſteritatem vilem, mendicam & infamem) reſpiciunt Leges, & reperiunt *quod litera Legis requirat ab iis juvare Regem*, ut ante manifeſtatum fuit, an umquam ſubditus criminaliter punitus fuit, ulla ætate aut in ulla Natione ob obſequium ejus quod litera Legis præcipit?

Subditi Regni inveniunt diſtinctionem & interpretationem impoſitam Legi *Abſtracti & Concreti*, poteſtatis & Perſonæ, corporis politici & naturalis, perſonalis præſentiæ & virtualis, condemnatam fuiſſe à Lege; & ita pars Regis habet & literam Legis, & interpretationem literæ claram ſecundum ipſorum judicium, per quod poſſent evidenter percipere cui parti adhærerent; quam ulteriorem ſatisfactionem poſſent modeſti, pacifici & fideles homines ultra deſiderare?

Collect. ordin. 777.

A verbo legis in criminibus & pœnis non eſt recedendum: fuit approbatum axioma Legis omnibus ætatibus & temporibus: Si Rex ſit Rex & *in Regali officio* (ut vocant) permaneat, tunc omnes Leges ſunt contra ipſos citra colorem. ipſi dicunt; *dictæ Leges ſunt relativæ ad Illum in Ipſius officio.* non poſſunt aliter dicere; faciunt commiſſiones & remiſſiones in ipſius nomine, & perſona Regis & politicum ipſius corpus non poſſunt neque debent ſeparari, ut antè eſt declaratum: Et membra utriuſque Domus jurârunt conſtanter in hoc Parlamento, *quod Rex ſit unicus ſupremus Gubernator in omnibus cauſis ſupra omnes perſonas, hoc præſenti tempore.*

1 Eliz. c. 1.
5 Eliz. c. 1.

Nam quod objicitur de verbalibus aut perſonalibus mandatis Regis; affirmamus paucas res illis eſſe ſubjectas per Legem: verùm Regiæ Majeſtatis præceptum ſub magno ipſius Sigillo, cujus uſus obtinuit in hoc bello per Regis mandatum ad commiſſiones delectuum habendorum, non eſt perſonale mandatum (quod Lex in aliquibus caſibus refutat) ſed eſt tale mandatum, ita factum, quemadmodum illud per quod omnes poſſident terras ſuas, quas poſſident per Patentes, omnes corporationes habent ſua inſtrumenta, quæ tenent per inſtrumenta; & omnes judices & officiarii loca ſua & vocationes.

Objicitur, Rex non poteſt ſupprimere tribunalia ſua Iuſtitiæ, & hoc bellum tendere ad illorum ſuppreſſionem.

7. pars Com. Weſtmerl. caſus 1 Eliz. Dier 165. 7 pars Cooke.

Reſpondeo: Rex non poteſt neque debet ſupprimere Iuſtitiam, aut tribunalia Iuſtitiæ, aut umquam ſuppreſſit: verùm tribunalia Iuſtitiæ per *abuti aut non uti*, ceſſant eſſe tribunalia Iuſtitiæ: quum Iudices creantur aut proceſſus habentur in his tribunalibus ab aliis quàm à Iudicibus creatis à Rege, & contra illius mandatum ſub magno ſigillo, & non obeditur ipſius Majeſtati ſed votis Domuum,

& Iu-

& Iudices ejus rumpunt illam conditionem in Lege, fidei & fidelitatis in eorum Patentibus implicitæ, non amplius ſunt ipſius Iudices: obediunt & exercent munera ſua virtute Brevium & proceſſuum ſub adulterato ſigillo: Rex ſolus poteſt creare Iudices, XXVII. Henr. VIII. cap. vigeſimo quarto; *Iuſticiarios Pacis* &c. Regis Patentes faciunt Iudices: Capitalis Iudex regii Banci creatur per Regis Breve ſolus omnium Iudicum. 28 Henr. VIII. Dier. 11.

Magnum Sigillum eſt clavis Regni; & *convenit ut Rex habeat clavem Regni ſui penes ſe:* quod confutat eorum dictum, quod Rex ſigillum ſubreptitiè abduxerit. 2 par. Inſt. 552.

Rex & ipſe ſolus poteſt removere tribunalia ſua à *Weſtmonaſterio* ad alium locum: Eboraci termini habiti fuêre ſeptem annis, Eduardi I tempore; verùm quoad Curiam communium placitorum, locus debet eſſe certus; quoad Regis Bancum & Cancellariam, Rex poteſt ſecundum legem præcipere ut ſequantur ipſius perſonam ubique ſi ipſi commodum videatur: verùm remotio tribunalis Communium placitorum debet eſſe ad certum locum, atque ita populo notificari. Britton fol. 2?.

Omnes libri Legum, in omnibus temporibus, conſentiunt, quod Rex poteſt concedere cognitionem omnium cauſarum pro libitu, in quovis comitatu aut præcinctu, ibi ſolummodo teneri, & removere tribunalia à *Weſtmonaſterio* ad aliquem alium locum (quoad communia placita, locus debet certus & notificatus Populo) & procraſtinare Terminos, prout ipſi opportunum videtur: quæ omnia utraque Domus violavit. 6 Henr. VII. 9. 6 Eliz. Dier. 226.

Quædam apparentes *Objectiones* Mr. Prinnii, diſperſæ in variis libris, refutatæ & veritas plenius demonſtrata.

Objectio 1. *Anno primo Henr.* IV *reſuſcitavit Statutum* XI *Rich.* II *& abrogavit* XXI *Rich.* II *per quod certæ perſonæ erant declaratæ reæ Crim. læſ. Majeſtatis Regi & Regno, quæ erant partium regiarum ſecundum* XI *Richardi* II.

Solutio. Verum eſt, ſed nota, XI Richardi II. fuiſſe Parlamentum obſeſſum à 40000 militibus, & Rex conſentit ei tale Actum: & præterea 1 Henr. IV declarat, quod proditiones memoratæ in Acto XI Richardi II cum ſit adverſus paucos, privatos, non trahendum in exemplum, & quod nulla proditio ſit futura qua talis quæ XXV Eduardi III fuit declarata. Omnia hæc ſunt Acta perlata à Rege & tribus Statibus, nec trahenda in exemplum tumultuoſo tempore, ab obſeſſo Parlamento per exercitum: & Henricus IV cum eſſet uſurpator fecit illud Actum ad ſecurandum ſeipſum: Sed quid hoc ad Vota utriuſque Domus ſolum hoc tempore?

Obj. 2. *Curia Parlamenti eſt ſupra Regem, nam poteſt declinare ejus Inſtrumenta, Commiſſionem &c. indultas contra Legem. Et Lex eſt ſupra Regem.*

Sol. Per eandem rationem dixeris, curiam *Cancellariæ* aut quodvis tribunal Legis, Weſtmonaſterii eſſe ſupra Regem, nam annihilant Regis Inſtrumenta, facta contra Legem: & Rex eſt ſubjectus Legi & juratus illam tueri. Rurſus, non eſt Parlamentum ſine Rege, & Rex eſt caput illius, eſt *Principium, caput & finis* Parlamenti, ut modus tenendi Parlamentum, & ambæ Domus tantum carent *Principio, capite & fine* Parlamenti, & miſerum eſt Parlamen-

mentum quod omnibus hiſce caret: & propterea dicere, quod Parlamenta ſunt ſupra Regem, eſt dicere Regem eſſe ſupra ſeipſum.

Obj. 3. *Parlamentum poteſt ampliare Regis prærogativam, propterea eſt ſupra ipſum.*

Sol. Si Rex aſſentiatur, aliàs non: & hinc demum eſt Actum Parlamenti, aliter non.

Obj. 4. Bracton *dicit*: *Deus, Lex, & Regis Curia* (*vid.*) *ipſius Comites & Barones ſunt ſupra Regem; videlicet, in Parlamento ut* Mr. Prinnius *exponit.*

Sol. Vbi ergo eſt Domus Communium? Sane, ſume Deum, Legem, Comites & Barones ſimul, verum eſt: ſed affirmare Comites & Barones in Parlamento eſſe ſupra Regem (cum Rex ſit caput Parlamenti, & illi unum Membrorum:) quomodo inferius membrum ſit ſupra caput, difficile eſt intellectu; præterea, ea poſitio deſtruit totum Mr. *Prinnii* diſcurſum qui tantundem attribuit Domo Communium.

Obj. 5. *Rex eſt tantum unus trium Statuum Parlamenti, & duo majora ſunt uno; propterea ſupra.*

Sol. Crura, brachia & truncus corporis majora ſunt capite, tamen non ſuperiora, nec viva ſine illo: argumentum valet quoad quantitatem; non qualitatem; & revera Rex non eſt unus trium Statuum, ſed ſupra omnes: tres Status ſunt Domini ſpirituales, Domini temporales, & Communes; *Cooke* ipſorum Oraculum, in cap. de Parlam. fol. 1.

Obj. 6. *In Corporationibus Major numerus vocum facit omnia Acta corporationis valida; propterea & ita in Parlamento.*

Sol. Per hanc rationem aſſenſus Regis non eſt neceſſarius, & nulli uſui; & omnia Acta Parlamenti ante memorata & Libri juridici falſi fuêre, qui unanimi voce requirunt

runt neceſſario Regis aſſenſum: præterea, Corporationes ita ſunt conſtitutæ per inſtrumenta Regis, quod major numerus votorum Acta earum valida faciat.

Obj. 7. *Rex ut Rex eſt præſens in ſuo Parlamento æque ac in cæteris ipſius Curiis juſtitiæ, licet ibidem non ſit.*

Sol. In aliis ſuis Curiis Iuſticiæ non habet vocem, non eſt unus Iudicum, in Parlamento habet; ſi præſentia ejus non ſit neceſſaria neque ejus vox, neque aſſenſus.

Obj. 8. *Originalis prima legiſlativa poteſtas ferendi Leges, ad obligandum Subditos & eorum poſteritatem, non eſt in Rege, ſed in Regno & Parlamento, quod Regnum repræſentat.*

Sol. M^r. *Prinnius* in eodem folio affirmat, & recte, Regis aſſenſum abſolutè requiri, ad ferendum & ratificandum Legem: Rex eſt caput Regni & Parlamenti, quomodo ergo poteſt corpus agere ſine capite?

Obj. 9. *Major pars Corporationis ligat, & propterea major pars in Parlamento.*

Sol. Corporatio ita ligatur, aut per Regis Inſtrumenta aut per præſcriptionem, quæ nonnumquam habuit Regis conceſſionem; verùm præſcriptio & Lex, & praxis ſemper reliquerunt Regi negativam vocem.

Obj. 10. *Rex non poteſt alterare Billas ipſi præſentatas ab utraque Domo.*

Sol. Recte, ſed Rex poteſt illas rejicere.

Obj. 11. *Acta Parlamenti & Leges miniſtratas in Regnis uſurpatorum, ligant legitimos Reges: Ergo.*

Quid hoc ad probandum poteſtatem utriuſque Domus ſolum, quæ eſt quæſtio? Regi *de facto* obediendum eſt iis qui ſe ipſi ſubjecerunt, & hi ſunt illius ſubditi per ſubmiſſionem & non ſubditi *de facto* vero Regi, & tales proditores & rebelles Regenti Regi (cum renunciârint verum Regem) ubi legitimus Rex fuerit reſtauratus, poſſunt puniri

niri ab eo ob proditionem contra uſurpatorem: verùm hîc ſemper eſt Rex in utroque caſu & proceſſus in Lege durant, quia Iudices habent Patentes ſuas à Regibus exiſtentibus, in regnis Regum, *de facto* aut *de jure*. nam omnes Reges ſunt obligati & jurati ſervare leges.

Obj. 12. *Rege moriente ſine Hærede, Infante*, non compote mentis *&c. ambæ Domus poſſunt ſtabilire Leges.*

Sol. Non eſt *inter-regnum* in Anglia, ut liquet ex omnibus noſtris Libris Legum, & propterea moriens ſine hærede eſt vana ſuppoſitio, & ſecundum ipſorum principia eſt conſiderabilis in politica ſua capacitate, quæ mori omnino non poteſt. Protector, comitatus à Conſilio Regis ad Legem, duodecim ejus Iudicibus, Concilio Status, Procuratore, Advocato fiſcali, & duobus Sergeantis ad legem, duodecim Magiſtris Cancellariæ, habet nomine Regis & ſemper habuit vocem negativam: ſed quid hoc ad præſentem quæſtionem? Habemus Regem plenæ ætatis, magnæ ſapientiæ & Iudicii; quod poteſtas utriuſque Domus in tali caſu ſit ſupra Regem, demonſtrari non poteſt.

Obj. 13. *Rex non poteſt diſſentire à publicis & neceſſariis Billis ad commune bonum. Ergo.*

Sol. Neque umquam diſſenſit bonus Rex; ſed quis erit Iudex, an ſint publicæ & neceſſariæ? *Major* pars in alterutra Domo ob perlationem prætenſarum Billarum, poſſunt eſſe tantum una aut duæ voces, aut admodum paucæ & fortè non judicioſorum virorum, an non ergo aptius & magis conveniens Rationi, quod ipſius Majeſtas & Concilium Status, ejus duodecim Iudices, ejus Sergeanti, Procurator, Advocatus fiſcalis, duodecim Magiſtri Cancellariæ, judicent de convenientia & beneficio talium Billarum ad publicum bonum potius quàm *minor* (cujus ſortis plures poſſunt eſſe in Domibus) aut tenuis vir, aut

pauci, qui ſæpe faciunt Majorem partem, quæ involvit aſſenſum omnium? Ratio determinet.

Obj. 14. *Reges Angliæ fuêre Electivi, & Rex per Iuramentum Coronationis eſt obligatus ad tuendum* Iuſtas leges & conſuetudines quas Vulgus elegerit. *Ergo.*

Sol. Papiſmus fuit in Regno, & propterea illum continuare, non poteſt eſſe bonum argumentum; cum res ſtabilitæ ſunt multis ætatibus, retroſpicere ad tempora confuſionis eſt deſtruere omnem quietem: Actum Parlamenti anni 1 R. *Iacobi* cap. 1. & omnes extantes noſtræ Leges dicunt, *quod Regis officium ſit hæreditas inhærens in ſanguine Regum noſtrorum, & ipſorum jus genituræ.*

Et uſurpatores qui intrant per conſenſum populi, ſunt Reges *de facto*, ſed non *de jure*, ut apparet ex Actis Parlamenti ipſos tales declarantibus; & per omnes noſtros libros legum & fundamentales conſtitutiones Terræ, Regalis poteſtas eſt *hæreditaria* & non electiva.

Quoad verba (Vulgus elegerit) ſi *vulgus* applicetur ad Domum Communium, illi per ſe non poſſunt condere Legem: Pares nunquam vocati *vulgus*; ſi concedamus ita vocatos; leges ferendas eſſe juſtas, & quis judicaturus ſit de iis, antè demonſtratum eſt.

Conſuetudines non poſſunt referri ad tempus futurum, & ambæ conjunguntur Leges & conſuetudines.

Obj. 15. *Principes fuêre depoſiti, & poſſunt ab utraque Domo.*

Sol. Depoſitores fuêre proditores, ut apparet per reſolutionem omnium Iudicum Angliæ. *Cooke cap. Proditio, in ſecunda parte Inſtitut.* & numquam fuit Rex depoſitus quàm tumultuoſis & inſanis temporibus, & potentia exercituum, & iis ducibus qui Reges ſucceſſuri erant, ut Eduardus III & Henricus IV.

Obj. 16

Obj. 16. *Provocatio ad Parlamentum de erroribus in judiciis omnium Tribunalium eſt frequens. Ergo.*

Sol. Hæc ſit ſolummodò ad Domum Dominorum & ea non eſt Parlamentum: hoc nihil ad Domum Communium attinet: & in Domo Parium, ſi Breve erroris afferatur ad evertendum aliquod Iudicium, præcedit petitio ad Regem ut permittat, & ratio Legis in hoc caſu eſt quod Iudices Terræ omnes Regis concilium, duodecim magiſtri Cancellariæ ibi aſſiſtant, quorum ſententiâ erronea judicia corriguntur.

Obj. 17. *Parlamenta determinârunt de juribus Regis, ut in Henrici* VI *tempore & aliorum, Parlamenta vinxerunt ſucceſſionem Regum, ut liquet è Statuto* XIII *Reginæ* Eliſabethæ, *cap.* 1. *& deſcenſus Coronæ magis ducitur à Parlamentario titulo, quàm Communi Lege. Ergo.*

Sol. Si hæc objectio ſit vera, quod titulus ad Coronam ſit à Parlamento, non habuimus uſurpatores. nam omnes habuêre Parlamenta ipſis faventia; etiam *Richardus* III monſtrum illud. Omnes libri noſtri Legum dicunt, illos habere Coronam *per deſcenſum*; & ſtatuta Terræ declarant, quod habent illam *per inhærens jus genituræ*. Et Statutum XIII. *Eliſabethæ*, primo cap. factum eſt ad ſecurandum Reginam Eliſabetham contra *Reginam Scotorum*, tum in Regno clamantem coronam Angliæ,& habentem multos adhærentes: & illud ſtatutum ad illum finem non affirmat talem poteſtatem in utraque Domo (quæ eſt quæſtio) verùm in Regina Eliſabetha & utraque Domo, quod facit contra prætenſionem hujus temporis.

Mr. *Prinnius* fol. 104. lib. inſcripti, *Parliaments ſupreme power* &c. Objiciens ſtatutum an. 1. Reginæ *Eliſabethæ* & ſuum juramentum, quod Rex ſit ſolus ſupremus Gubernator hujus Regni; reſpondet; Parlamentum eſt ſuprema

poteſtas, & Rex ſupremus Gubernator: & tamen ibi concedit illi *negativam vocem.* & fol. 107. fatetur, quod Acta Parlamenti transferant Coronam à veris hæredibus ſecundum Legem Communem, ad alios qui non habent bonum Titulum, tunc Parlamentarius Titulus non facit Regem; tam potens eſt veritas, ut etiam excidat homini improvidè: diſtinguere inter ſupremum Gubernatorem, & ſupremam poteſtatem, valdè abſonum eſt. nam quis poteſt Gubernare ſine poteſtate?

Speed. 645 4 Part Inſt. 2. & 27. Rex convocat Parlamentum per Breve, procraſtinat, prorogat & diſſolvit Parlamentum, per legem ad libitum ut patet per conſtantem praxim: Domus Communium numquam ſedit poſt procraſtinationem Parlamenti Regis mandato: ubi eſt ſuprema poteſtas?

Obj. 18. *Rex per juramentum, obligatus eſt nemini jus negare, multo minus Parlamento, aſſentiri omnibus juſtis & neceſſariis Legibus propoſitis Regi ab ipſis. Hæc eſt ſubſtantia diſcurſus contra Regis negativam vocem.*

Sol. Rex ita obligatus eſt ut ponitur in objectione: ſed quis judicabit, utrum Billa propoſita ſit juſta & neceſſaria. Nam quicquid proponunt ſic prætenditur & ita fertur in alterutra Domo, aliquando per unam aut duas voces aut paucas, ut ante dictum; & ſanè ut demonſtratum eſt, Rex; Concilium ejus Status, ejus Iudices, Sergeanti, Procurator, Sollicitator & duodecim Magiſtri Cancellariæ poſſunt melius de iis judicare, quàm duo aut tres, aut pauci plures.

Mr *Prinnius* fol. 45 in libro de Parlamentorum intereſſe ad nominandum privatos conſiliarios vocat opinionem *Spenceriorum, ad dividendum perſonam Regis à ſua Corona, miram opinionem* & citat Calvini caſum, ſed omittit concluſiones ibidem memoratas fol. 11. Mr *Prinnius* dicit ibi, ſed

Calvins Caſe 7 part. f. 11.

ſit

ſit hæc opinio quod velit; ſine Regis gratia & remiſſione, longe procedet, & duo Acta Parlamenti memorata ſunt citra opinionem: *Et in libro ſuo de apertione magni Sigilli fol. 37.* Parlamentum non habet Iuriſdictionem utendi magno Sigillo ad remiſſiones generales aut particulares. Vbi eſt ergo ſuprema poteſtas?

Obj. 19. M^r. *Prinnius* (*apertio Magni Sigilli*) *pag. 19. dicit*; *Nobiles & Status, poſtridie funeris Regis Henrici* III. (*Rege Eduardo* I *ejus filio exiſtente in Terra Sancta*) *fecerunt novum magnum Sigillum, & Cuſtodes illius: & tempore Henrici* VI. *primo anno ejus Regni, idem factum in Parlamento.*

Sol. A facto ad jus non eſt bona conſequentia. nam illud tempore *Eduardi* I non erat Parlamentum. nam Rex *Henricus* III obierat; quod diſſolvebat Parlamentum ſi vocatum illius tempore, & non poterat eſſe Parlamentum temporis Eduardi I, nam nullum Breve emanârat ad convocandum Parlamentum illius nomine, neque poterat emanare niſi ſub novo illo Sigillo, tam ſubito factum fuit poſt Henrici III obitum; Rege Eduardo I tunc abſente in Terra Sancta, erat primus annus ejus Regni: & nullum Parlamentum habitum illo anno, nec ſecundo ejus Regni. Primum Parlamentum quod fuit in illius Regno, ut liquet ex impreſſis Actis, fuit tertio anno illius Regni. Ad hæc Sigillum factum fuit à quibuſdam Dominis tum præſentibus; quid Communes in eo fecerunt? quoad Sigillum factum tempore Henrici VI. Protector erat Vice-Rex ſecundum curſum Legis atque ita illud Sigillum factum fuit à Protectore nomine Regis, & Protector ille, *Humfredus Dux Gloceſtriæ*, ut Protector nomine Regis vocavit illud Parlamentum, & Protector factus eſt à Dominis, & non à Parlamento, ut liquidò patet. nam hoc Parlamentum fuit primo Henrici VI & primum habitum illius

tempore, & poteſtas data per Commiſſionem dicto Duci, tunc Protectori, ut vocaret illud Parlamentum, *Prinnus* ibid. fol. 19. ſed novum adulteratum ſigillum factum fuit cum Rex eſſet Oxonii, in proprio Regno & non in Terra Sancta.

Obj. 20. *Mr.* Prinnius *in libro ſuo de poteſtate utriuſque Domus ad imponendum tributa, reſtringit Malignantes contra omnes* Habeas corpus *&c. dicit, quod Parlamentum ſit ſupra* Magnam Chartam; *& fol.* 15 *ibid. Parlamentum habet poteſtatem ſupra* Magnam Chartam *ad abrogandam illam, cum cauſa fuerit.*

Sol. Hoc argumentum ſupponit quod habeant Regis poteſtatem, quam antè apparuit illos non habere: Sed ſuppone illos habere, Magna Charta continet multas morales Leges, quas Parlamentum per Leges Terræ non poteſt mutare xx Hen. VII 2. *d. & Studens* 2. *Dialogo.* Exempli cauſa, dicit *cap.* 18. Iuſtitia non vendetur, differetur nec denegabitur cuiquam; ſed per hoc argumentum Parlamentum poteſt facere legem, ad differendum, negandum, vendendam Iuſtitiam, quæ ſane eſt prava poſitio ad aſſerendum. Quid vellent habere, apparet nunc è propoſitionibus miſſis *Novum Caſtrum* ad Regem, per quas vellent ut ſe ſpoliaret, & ipſis traderet omnem poteſtatem regiam in mari & terra, & habere illam poteſtatem à ſeipſis extra Ipſum, imponendi populo hujus Terræ Taxas quas vellent, abolendi librum communium precum, tollendi Epiſcopatum & introducendi Eccleſiaſticum regimen, de quo nondum convenit, & tale de quo ipſi inter ſe convenient.

Majeſtas ſua inveniens prædominantem factionem in utraque Domo ad hunc curſum tenendum, & fugatus *Londino* per tumultus, reliquit Domos ob has cauſas.

Pri-

Primò: Quia mutare regimen Religionis, eſt contra Regis Inramentum.

Secundò: Contra ipſorum Iuramenta: nam unuſquiſque eorum juravit in hoc Parlamento, quod ipſius Majeſtas eſt unicus ſupremus Gubernator in omnibus cauſis Eccleſiaſticis & ſuper omnes Perſonas.

Tertio: Hic curſus tendit contra *Magnam Chartam* cap. 1. & ult. *Salvæ ſint Epiſcopis omnes Libertates ſuæ*, confirmatam à triginta duobus Actis Parlamenti: & in XLII Eduardi III capite 3, & ſi aliquod Statutum factum fuerit in contrarium, pro nullo habebitur: & ita ſe habet in Iudiciis ad Legem; in XXV Eduardi I *cap.* 1. 2. *Magna Charta* declaratur eſſe *Lex Communis Terræ.*

Quarto: Satagunt auferre ſuis propoſitionibus Regimen Epiſcoporum, quod in hac terra tam antiquum eſt quàm Chriſtianitas: & librum *Communium Precum* ſtabilitum à quinque Actis Parlamenti, & compilatum à Reformatoribus & Martyribus, & uſitatum tempore quatuor Principum.

Quintò: Hæ propoſitiones auferentes à ſua Majeſtate omnem poteſtatem terrâ & mari; ſpoliant ipſum eo, quo omnes ipſius Anteceſſores, Reges hujus Regni, ſunt gaviſi: iſta poſſeſſio & uſus facit Legem, & per illam Ius ſuæ Majeſtati: *Adverſantur propriæ ſuæ proteſtationi factæ in hoc Parlamento*; conſervandi Regalem ejus Perſonam, Honorem & Statum: *Adverſantur Ligæ ſuæ*, quæ dicit quod nolint diminuere juſtam illius poteſtatem & magnitudinem.

Propter has rationes ſua Majeſtas deſeruit illos, &, ut creditur, negabit aſſentiri illis Propoſitionibus, uti per Leges fundamentales Terræ poteſt (habens negativam vocem) omnibus Billis propoſitis.

Ex hiſce omnibus deducitur: quod Rex ita deſerens

Do-

Domos, & quod neget illis propoſitionibus aſſentiri, tam longe abeſt à faciendo ipſum Tyrannum, aut inidoneum gubernare hoc tempore; ut contra reddat ipſum Iuſtum, Magnanimum & pium Principem: ita ut ex his evidenter appareat quibus calamitates horum temporum ſint imputandæ. Vnicum remedium omnium eſt Actum Amneſtiæ & Generalis Remiſſio.

Deus Servet Regem.

DAVID IENKINS,

Nunc Captivus in Turri Londinenſi.

XXVIII April. 1647.

HISTORIA INDEPENDENTIÆ.

In qua

Deſcribitur Ortus, Incrementum & fraudes potentiſſimæ & inquietiſſimæ

FACTIONIS

Quæ Regem obtruncavit, Regnum pene evertit, & nunc intolerabilem in omnes regnicolas exercet

TYRANNIDEM.

D. Ambroſius,

Nec nobis ignominioſum eſt pati quod paſſus eſt Chriſtus, nec vobis glorioſum eſt facere quod fecit Iudas.

Ad exemplar impreſſum

LONDINI, cIↃ IↃC XLVIII.

56 p.

AD LECTORES.

Qui paulò attentius legerit hanc Hiſtoriam à viro Politico in Anglia ſcriptam, facile videbit quod genus hominum Scenam illam Tragicam in Regno inſtruxerit, quique præcipui authores fuerint execrabilis illius parricidii: nec dubitare poterit gentem bellicoſiſſimam ſubjugatam ab hominibus vilibus & qui Religionem *pro prætextu habent, ut aliorum inſidientur Libertati.*

HISTORIA
INDEPENDENTIÆ.

ANtequam Hiſtoriam hujus Monſtri aggrediamur; operæpretium eſt ſcire, quid ſit INDEPENDENTIA; eſt *genus Generaliſſimum omnium errorum, Hæreſium, Blaſphemiarum & Schiſmatum.* Vt Alcoranus Mahumetis eſt mixtura quædam Iudaiſmi & Chriſtianiſmi; ita hæc compoſita eſt ex Iudaiſmo, Chriſtianiſmo & Turciſmo. Independentes enim cum Iudæis ſibi arrogant, quod ſint peculiaris Dei populus, pii, ſancti, ſoli habentes jus in creaturas omnes & veri poſſeſſores omnium Mundi bonorum, quorum alii tantùm ſunt uſurpatores: Axioma tam contrarium omni humanæ Societati & politico regimini, ut per ipſum liceat ipſis, atque adeo moliantur per fraudes & vim, onerare tributis, fallere & ſpoliare totum Regnum, quod judicant haud aliud eſſe quàm furto ſurripere Ægyptiis; atque hoc prætextu evertunt omnia tribunalia, Leges & Libertates terræ, & erigunt arbitrarias commiſſiones, & inſtabiles conſtitutiones, quas figunt & refigunt per prædominantem ipſorum factionem in Parlamento pro libitu, potentia & terrore ſuorum Ianiſſariorum, ad fores illius excubantium.

Cum Chriſtianis quidam illorum (non autem omnes) recipiunt & agnoſcunt S. Scripturas; Sed tantùm quatenus ſerviunt illorum uſui, quaſi ipſi eſſent Phariſæi, & cæteri Publicani; Spirituali arrogantia inflati, meri Enthuſiaſtæ & Hypocritæ.

Cum Turcis ſubjiciunt ſibi res omnes, Religionem

ipſam, Leges & Libertatem (quam antè tantopere jactitârunt) potentiæ armorum, poſtquam vafris artibus gladium Status conjurârunt in vaginam independentem. *Comes Eſſexiæ*, Generalis copiorum Parlamenti (licet vir popularis & honeſtus, tamen ſtolide audax, & manu promtior quàm conſilio quique magis nôrat vincere quàm victoria uti) amovendus erat, & copiæ illius exauctorandæ, uti & *Wilhelmi Walleri* equitis; ut ductores independentes & milites ipſis obnoxii in illorum locum ſubſtituerentur, & meterent quod ab illis haudquaquam erat ſatum. Propoſitum quippe erat Independentibus, potentiam omnem & arbitrium armorum ad ſe pertrahere. Id haud facile perfici poterat, quam committendo Eſſexium & Wallerum inter ſe; ad id præfervidus ille Schiſmaticus *Arthurus Haſlerigus* Eq. adhibitus; verùm id demum perfectum utriuſque mala fortuna; illius ad *Liſtithyl* in Cornubia; hujus ad *Denizas* in Wiltonia. Vbi *Haſlerigus* (vir ignorantior quàm ut regeret, & inſolentior quàm ut pareret) non expectatis pedeſtribus copiis; cum equitibus tantùm in clivum editi montis enixus, impetum fecit in D. *Wilmoti* copias, verùm cum turmæ ipſius ita longè à ſe invicem ſeparatæ eſſent, ut una alteri ſubſidio venire non poſſet, & *Radulphum Hoptonum* imminenti cladi eripuit, & *Wilmoto* inopinatam victoriam reliquit; ipſe vulnere in fugâ accepto, poſt illa ſemper à prælio abhorruit. Quæ ipſius ſtoliditas, non modo haud fuit caſtigata, ſed & paulò poſt à Domo Communium præmium accepit 6500 lib. Et gubernator *Novi caſtri* factus; 3000 lib. cepit ad opera reſarcienda; quarum haud credo illum tertiam partem impendiſſe.

Mancheſtrius (Dominus, & cui propterea tuto fidi non poterat) accuſatus fuit à *Cromvello* Locum-tenenti generali ma-

magnorum criminum, qui illi viciſſim gravia crimina intentavit, verùm cum omnes ſolliciti eſſent de eventu, apparuit rem ex compoſito geri, ita ut omnes judicarent utrumque reum: & Mancheſtrius interea fuit amotus ab exercitu. E cineribus illis tandem ſurrexit Phœnix ille ſcilicet exercitus ſub imperio *Thomæ Fairfaxii* eq. viri ſtolide & brutaliter ferocis, magiſque idonei aliorum conſilia ſequi, quàm ſuum, obnoxii præterea *Cromwello* & Independentium factioni, cujus fundo inſiſtit, ob hanc promotionem.

Placuit Deo multas huic exercitui largiri victorias de Regiis copiis, amplis quidem, ſed debilitatis per factiones, ſtipendia non ſoluta & alias diſtractiones (ob quas plurimi ducum alii aliis diffidentes, ſuæ ſaluti cœperunt conſulere) ſed potiſſimum ob amiſſum populi favorem. Ad has victorias plurimum contulerunt, ſtipendia conſtanter ſoluta, ſupplementa, cæteraque ſubſidia à concurrente Statu, longe ſupra ea quæ præcedentes copiæ habuerant: quare & hoſtiles copias intra oppida & munimenta adegerunt, omniaque ipſorum præſidia tam facile ceperunt, ut multis viderentur *potius cauponari bellum quàm belligerare.*

Factio itaque hæc nacta idoneum Generalem, & Locumtenentem generalem, ejuſdem cum ipſis judicii & ſortis, operam dedit ut hunc famoſum & popularem redderent, attribuendo illi etiam res ab aliis bene geſtas, in libellis qui ſpargebantur in vulgum; ſiquidem re penè confecta mittebatur ille ut abſolveret & aliorum gloriam præriperet. Atque ut exercitus melius congrueret *Cromwello*, ſectarii omnes Angliæ invitati, & pedetentim, ſemotis per varias artes Preſbyterianis Independentes in illorum locum ſuffecti, licet nunquam ante arma geſſiſſent:

ita ut ille exercitus (qui gloriatur ſe regnum conſervâſſe, atque adeò ſubjugâſſe) non amplius ſit idem cum eo qui pugnavit ad *Nazeby* reipſa, ſed tantum nomine tenus.

Vt autem Lex daretur Regi, Regno, Parlamento & Vrbi, & Chimæra illa progigneretur, quam vocant *Libertatem conſcientiæ*; opus erat hunc exercitum perpetuò ali; atque hanc ab ipſo initio fuiſſe *Cromwelli* ambitionem, tum ex iis quæ à Mancheſtrio illi fuêre objecta & induſtriè ſuppreſſa, fit veriſimile, tum verò potiſſimum ex iis quæ poſtea deſignavit, fit infallibile.

Vtraque Domus Parlamenti, ad levandam oneribus plebem, decreverat in pleno & adhuc libero Parlamento, dimittere magnam partem copiarum, & tantum quinque millia equitum, mille cataphractos & paucos ſclopetarios alere ad incolumitatem Regni, & ſubſidia mittenda in Hiberniam. Atque in hunc finem ſumſerant mutuo ducenta millia librarum ab urbe (nam ſimili ſumma exercitus Scotorum fuerat dimiſſus) & pro reliquis ſtipendiis nondum ſolutis ſecuritas data fuerat militibus dimittendis, ſine ulla exceptione, qualis numquam aliis ante fuerat data; nec fortaſſis aliis umquam dabitur: ita ut milites conjecerint non tantum in damnum, ſed & in Labyrinthum, detinendo illos, ſine imò contra legalem authoritatem, ſub ſignis; & manifeſta ſit proditio & rebellio, ut totum Regnum ſentit; neque poſſunt ſubſecuta Parlamenti decreta (quæ omnes nôrunt per violentiam extorta, ut poſtea liquebit) ab iſto crimine illos liberare. Ad hoc decretum perferendum plurimum conduxit *Cromwelli* proteſtatio, manu pectori admota in ipſa Domo, *in præſentia Omnipotentis Dei, coram quo ſtabat, ſe nôſſe exercitum dimiſſionem admiſſurum, & arma ad ipſorum fores depoſiturum, quandocunque juberetur:* quod malitioſè à Cromwello factum ut exer-

exercitum à Presbyterianis magis alienum faceret, & cùm Independentibus arctius conjungeret: nôrat enim milites nihil magis abominari, quàm dimitti & ad negotia ſua redire atque ideò odiſſe authores hujus conſilii. Eodem tempore, quo hæc in Domo proteſtabatur, habebat ſuos *Agitatores* (Spiritus, quos ipſe & gener illius *Iretonus* exciverant in exercitu, licet poſtea ſuppreſſi fuerint ſine ullo præmio) ut milites incenderent & animarent contra majorem partem Domus, (ſub prætextu Regaliſtarum, malignantium, & inimicorum exercitus) eoſque moverent ad dimiſſionem refutandum, & transfretandum in Hiberniam, & proditorie commentandum ſuper dictum decretum, petendum actum indemnitatis, & ſequendum ſententiam Iudicis *Ienkins*, utrum validus eſſet necne actus ille, & petendum alia multa, partim peculiaria ut milites, partim publica ut politici.

Cum *Cromwellus* ad hunc modum exercitum concitâſſet ad tumultuandum contra Parlamentum, & planè ſuum feciſſet (quod ipſi haud difficile fuit, cum jam ante pleraque officia diſtribuiſſet inter agnatos ſuos, fœderatos & amicos) properavit ad exercitum metuens ne fraudibus ſuis jam patentibus, in carcerem conjiceretur: in quo ipſe atque Ireton, uſurpantes officia ſine commiſſione omnia egerunt. nam commiſſiones eorum jam expiraverant, & Fairfaxius non habebat authoritatem legitimam, generales officiarios creandi. Atque uterque jam palam exercitui ſe adjunxit ad *Novum-Mercatum*, in Machinationibus, declarationibus, Remonſtrantiis & Manifeſtis: Petitiones ab ipſo *Cromwello* ſcriptæ mittuntur ad quoſdam Comitatus, ſubſcribendæ à plebe adverſus prætenſos obſtructores Iuſtitiæ, invaſores Libertatis populi, in Parlamento; & exercitus concitatus ad clamandum, *Iuſtitia*, *Iuſtitia*, contra

tra illos: grandia & proditoria poſtulata, deſtruentia fundamentales immunitates Parlamenti, vulgo ſparſa: quorum multa, quietis cauſa & miſericordia ſanguine manantis, Hiberniæ indulta fuêre: nihilominus quietis impatientes hi Spiritus, impudentem petitionem unam ſuper aliam accumulabant: & licet, tam per literas quàm aliter, promiſiſſent, ſi præſentes petitiones concederentur, ſe acquieturos, tamen eludebant atque adeo evertebant ſpem omnem pacis, per perverſas apprehenſiones & interpretationes conceſſionum Parlamenti: ita ut poſt illa Parlamento continuo luctandum fuerit cum hac Hydra, & hoc ſaxum indefeſſè volvendum.

Corrupto ad hunc modum Exercitu, majus opus aggreditur *Cromwellus*, & rationes inivit Domi ſuæ, quibus interciperent loca omnia præſidiaria, armamentaria & majores machinas Oxonii; atque adeo Regem ipſum Holdenbyi; quod & per ſuum ſatellitem *Ioycium*, cum delecta turma equitum, perfecit: licet poſtea (recurrens ad familiarem ſuam conſuetudinem cum Deo) proteſtatus fuerit coram Deo apud Regem & Parlamentum, ſe hujus facti nequaquam conſcium fuiſſe; addens proteſtationi ſuæ execrationem conjugis & liberorum ſuorum ſi falleret: *Ioycius* tamen non modo impune id tulit, ſed & præmium, illo annitente accepit. Et licet utraque Domus poſtulâſſet ab Exercitu ut Rex duceretur Richmondiam, & traderetur in manus deputatorum Parlamenti ut utriuſque Regni incolis liber pateret ad Regem acceſſus (ante enim ſecluſerant & illuſerant Scotiæ Deputatis, contra Legem Nationalem, & ſtatuta utriuſque Domus; cum libere hactenus admiſiſſent deſperatiſſimos Regiarum partium:) attamen haud aliud à perverſis hiſce Sanctis tulerunt reſponſum, quàm, ipſos deſiderare, *ne ullus locus Regiæ*

gia reſidentiæ proponeretur proximior Londino, quàm ubi & exercitum ſtativa habere vellent. Id verò conveniebat cum eo quod ſæpius minati erant, quotieſcunque illis aliquid præter exſpectationem acciderat, ſe verſus Londinum caſtra moturos. Nôrant enim quàm periculoſi & incommodi hoſpites ibidem eſſent futuri.

Quantoperè degeneravit hîc exercitus, poſtquam *Cromwellus* & gener illius *Ireton*, mores illius novis principiis intoxicavit! Cum, (ut Anglia rediviva narrat pag. 247.) clanculum fuiſſet ſuggeſtum à quibuſdam Curialibus, Regem in animo habere ſe credere exercitui, ſi ſciret ſe receptum iri. ea hinc fuit illorum fides, ut conſiderantes id derogaturum eſſe honori & poteſtati Parlamenti, & propterea non poſſe conſiſtere cum ipſorum fidelitate & obſequio, ſignificârunt illud Parlamento, & poſtquam reſciverant id ipſius ſententiæ adverſari, abſolutè negârunt tale quid admittere. Ohe quàm fidi tunc! quàm perfidi & Cromwelliſati nunc! frequens eorum collatio cum Rege & illius partibus, ad terrorem Regni, & deceptionem Regis, teſtetur.

Ad hunc modum Regis compotes facti (*Primæ* & maximè viſibilis authoritatis legalis in Regno Angliæ) deinceps moliti ſunt & Parlamentum (*Secundam* legalem authoritatem in Anglia) in ſuam poteſtatem redigere. Id verò perfici non poterat, niſi ex utraque Domo onerarent *Presbyterialia membra* (potiſſimum maxime habilia, & quæ laboraverant illos exauthorare) ut Independens Parlamentum Regnum gubernaret. In quem finem miſerunt ad Domum Communium, ſub nomine Fairfaxii & Exercitus, generalem & confuſam accuſationem læſæ Majeſtatis & aliorum criminum, adverſus undecim membra, ob res actitatas (maximam partem in ipſa Domo) quaſque

Domus dudum ante examinaverat, & hos ab istis absolverat, & quorum *Cromwellum*, & *Iretonum* manifeste esse reos totum Regnum novit. Vnum è præcipuis hujus accusationis capitibus erat, *ipsorum potentiâ factum fuisse ut dimissio Exercitus decerneretur*. E quo liquet ubi potissimum calceus illos urserit. Hæc accusatio haud subscripta erat ab ullo delatore, qui nisi crimina probâsset, se pœnæ obnoxium faceret & qui promitteret se Domui & accusatis satisfacturum: ut oportebat, secundum Statuta, x x v Eduardi I I I. cap. 4. x x v i i Ed. I I I. cap 18. x x x v i i i Ed. I I I. cap. 9. x v i i Rich. I I. cap. 6. x v Henr. v i cap. 4. sed præcipue x x x i Henr. V I cap. 1. in quo agitur de *Iac. Cade*, qui casus proximè accedit ad hunc nostrum. Et profitebantur art. 2. 3. 4. *se minus animatos esse ad porrò serviendum Parlamento, aut ad liberandum Hiberniam; postulabantque à Domo, ut accusata membra quantocyus à sessione & deliberatione suspenderentur*. Cum autem Domus Communium, post maturam deliberationem in plenario & libero Parlamento, concluisset xxv Iun. 1647. secundùm Regni Leges ejusmodi suspensionem decerni non posse super generali accusatione, antequam particularia producantur & probentur: Exercitus tamen (qui jam didicerat non acquiescere nisi suæ prudentiæ & justitiæ) insolenter minatus est, se moturos Westmonasterum versus, contra Parlamentum, nisi undecim illa membra secluderentur, petebantque à Londinensibus ut se neutris adjungerent, sed ipsis permitterent agere cum Parlamento. Quapropter x i illa membra modestè se subduxerunt, ut Domum liberarent à periculo, quod potuisset incurrere; si ipsa protexisset, uti decebat. Post illa misit Exercitus particularem illorum accusationem, & famoso quoque libello edidit propria authoritate. Ad quam & x i illa membra submise-

miſerunt & publicârunt ſua reſponſa. Exercitus autem actionem illam non eſt proſecutus, prætendens ſe velle prius Regnum componere, verùm ſi exſpectent donec hi ſocii, aut habeant authoritatem, voluntatem aut induſtriam Regni componendi, non eſt opus ut accuſati ſe parent ad defenſionem ante extremum judicium. Habes hîc integrum exercitum Accuſatorum, & præcipuos officiarios exercitus (membra & ipſa Domus) non tantùm accuſatores, ſed etiam partes, teſtes, & Iudices, circumferentes tribunalia & Leges ſecundum quas judicant, in ſuis vaginis. Et accuſatio hæc, ut omnes nôrunt, *mutatis mutandis*, magis congruit in *Cromwellum* & *Iretonum*, quàm in accuſatos. Si Proceſſus illi ſub nomine Regis, contra quinque illa Membra, *proditorii fuerunt adverſus Regem & Parlamentum judicati*, & arreſtatio quorumdam illorum per Warrantum Regis, *Actus publicæ hoſtilitatis contra Rempub.* quanto magis proditorii fuêre hi Proceſſus, & exercitus motus verſus Londinum ad vim ipſis inferendum, & arreſtatio *Ant. Nicholls*, qui veniam ſecedendi à Domo impetraverat, & ſalvum conductum habebat ab Oratore; & *Col. Burgh* qui ad ſervitium Domus proficiſcebatur in Hiberniam, & *Samuelis Lucæ* qui ſe quiete domi ſuæ tenebat? Dum hæc agebantur, *Cromwellus* animadvertens ſe Parlamentum non poſſe habere ſibi obnoxium, niſi Vrbem Londinenſem, (quæ Neutralitatem refutaverat) faceret ſibi inimicam; meditatus eſt benevolentiam populi terræ ſibi conciliare; (periculoſum quippe fuiſſet ſimul urbem & terram inimicas habere, eo ſtatu in quo exercitus tunc erat conſtitutus) quapropter editis multis libellis & chartis ſparſis per totam Angliam per Agitatores ſuos, & itinerantes prædicatores (quorum pulpita aptiſſima ſunt ad fallendos ſimpliciores) inſtar *Abſolonis*,

queritur de oppreſſionibus & oneribus plebis, ſuadetque neglecto Rege & Parlamento, applicare ſe Exercitui, *uti unico ipſorum liberatori, arbitro Pacis, reſtauratori Legum, Libertatis & proprietatis, conſtitutori Religionis* &c. molientis Regem confirmare in juſtis ſuis juribus & prærogativis, conſervare privilegia Parlamenti, confirmare Religionem; reformare & cogere ad rationes reddendas omnes Commiſſarios, ſequeſtratores, omneſque alios qui manus ſuas contaminârunt publica pecunia aut bonis; liberare populum ab exciſis & aliis tributis; reformare illegales electiones membrorum: auxilium ferre Hiberniæ. Impoſſibilia omnia quæ ab exercitu perficiantur; & nunc penitus neglecta; ita ut pateat ſolum intendiſſe privatis poſtulatis ut milites; nimirum ut Parlamentum eos agnoſceret pro ſuo exercitu, ſtipendia ipſis ſolveret: omnem militiam Regni tam maritimam quàm terreſtrem traderet in ipſorum poteſtatem, & decerneret contra omnes adverſantes copias. Verùm nunc tantum facti ſunt prolectores corruptorum Commiſſariorum, ſequeſtratorum, & eorum qui tenentur rationem reddere Statui, atque adeò omnium aliorum facinoroſorum, qui conantur hunc Exercitum retinere ad privatam ſuam ſecuritatem, contra publicam juſtitiam.

Cùm ita ſibi arripuiſſent Regni jura & intereſſe, populum quoque ad eum modum fefellerunt, ut inſtar *Iſſachar* cogerent patienter tolerare graviſſima onera liberorum caſtrorum: Exercituique ſupplicare pro ſe per libellos ſupplices, quibus interdum dabant plauſibile reſponſum, hanc aut illam eſſe exercitus mentem, haud aliter ac ſi ſententia exercitus ſuprema foret Lex terræ, & petere à Parlamento ne exercitus dimitteretur: in quem finem Agitatores illorum circumferebant libellos ſupplices

jam

jam paratos ad ſubſcribendum, in pluribus Comitatibus.

Populo ad hunc modum ſoporato ſatagunt litem movere tam Parlamento, quàm urbi (quia ſeparare nequiverant utut ſaltem Preſbyterianæ parti utrobique: ſubmoverant caſtra ſua (ſub ſpecie obediendi mandato Parlamenti) x x x mill. à Londino (de quo ſæpe gloriantur in ſuis libellis) tantumque terrorem incuſſerant utrique Domui Parlamenti, ut plerique Preſbyteriani aut ſubducere ſe vellent (ut ſane nimis multi fecêre) aut à propriis principiis recedere: cum tamen præter exſpectationem, viderent reliquias illius partis adhuc adverſari ſuis conatibus; invenienda erat cauſa ob quam ſe moverent contra urbem, & domos Parlamenti validiori cathartico purgarent.

Exercitu itaque ad hunc modum inſtituto, & ad nutum *Cromwelli* parato, & populo ſoporato; tempeſtivum videbatur urbi controverſiam movere, ut improbis mediis aſſequeretur, quod rectis non quiverat efficere; ut cogeret urbem deſerere Parlamentum & ab illo ſe ſeparare; illique legem ferret ſecundum militiæ libidinem. Non exiſtimabat prudentiæ congruere, huic civitati, quæ comparem ipſius & ſodalem *Waltherum Tyterum* (idolum Communium tempore Richardi II) cæciderat & ſequaces illius (qui quater numero excedebant hunc exercitum ſuum) fugârant, relinquere propriam ſuam Militiam; cum urbs jam multo major, populoſior & potentior ſit quàm tunc. Vtraque Domus, in pleno & libero Parlamento, per decretum factum IV May 1647 commiſerat militiam urbicam, in manus civium illorum, qui Parlamenti authoritate & approbatione à D. Majore, Aldermannis & communi Concilio erant electi: & licet exercitus novis delectibus auctus fuerat ſine authoritate, & potentiam univerſam terreſtrem regni ſibi adjunxerat ſub

ſtipendiis Parlamenti, ita ut jam ipſis nihil formidandum foret, præter propria crimina: & expectaretur illos jam tandem progreſſuros ad publica remedia, de quibus toties gloriati erant in publicis ſuis libellis: Exercitus tamen (contra quàm promiſerunt urbi in literis ſuis x. Iun. & declaratione ſua XIV Iun. 1647 nimirum *ſe nolle progredi citra poſtulata tunc expreſſa & quoad cætera ſe acquieturos æquitati & prudentiæ Parlamenti*; en eorum Modeſtiam! per literas & Remonſtrantiam, ſub nomine Fairfaxii & Exercitus, irreſiſtibili audacia poſtulat militiam Vrbis Londinenſis reſtitui in manus ſuas (deputatis urbis qui tum in Exercitu erant nequaquam monitis) ut ſocietatem mutuam conſervarent. Quibus literis acceptis, Domus Communium ſola (admodum infrequens, pluribus membris per minas abactis) votavit abrogationem decreti ſuperioris & tulit novum decretum reſtaurandi veterem militiam, & ſtatim miſit ad Dominos, eadem die hora veſpertina ſeptima, qui conſenſerunt, ſine ulla mora: licet quidam urgerent procraſtinandum, donec civitas (cujus ſalutem & privilegia id maximopere ſpectabat) audiri poſſet.

Obſerva, neque per dictas literas Exercitus, aut à quoquam membro utriuſque Domus Parlamenti, quicquam novæ militiæ fuiſſe objectum. Et ſanè Parlamentum numquam antè, aut delegerat, auxerat aut diminuerat militiam civitatis, niſi communicatis conciliis cum ipſius Senatu. Certe reſpectus hic jure debebatur civitati tantopere ipſis amicæ. Verùm poſtquam Parlamentum deflexit ab antiquis principiis, veterum quoque amicorum obliviſci cœpit. Prætextus tam feſtinati Statuti erat, prævortere Exercitus minas quibus jactabant ſe Londinum petituros, ſi Domus recuſaſſent id ſtatuere: Et civitatis oppoſitionem, ſi ad ipſius notitiam perveniret, antequam

ſta-

ſtatutum foret. Sed revera hoc agebatur, ut civitas indignabunda cogeretur ſe comparare ad ſui defenſionem, quæ poſſet exercitui colorem dare ſe movendi contra illam & illius amicos in Domibus Parlamenti.

Inexſpectata iſta mutatio militiæ civicæ commovit Civitatem (xxiv Iul. die Sabbathi) Senatum convocare, in quo (tum ob alias cauſas jam expreſſas, tum quia abrogatio hujus Statuti, non alio argumento nitens quàm imperioſe Exercitus deſiderio, meritò credebatur, etiam cætera ſtatuta, de ſecuritate mutui, venditione Epiſcopalium terrarum &c. infirmare poſſe) placuit Senatoribus libellum ſupplicem offerre Domui Communium die Lunæ xxvi Iul. Quod & factum à prætoribus (quos *Sheriffos* dicunt) & quibuſdam Senatoribus: ſed accidit, ut circiter mille *Apprenticii*, ut vocant, inermes plane, duas aut tres horas poſt illos, etiam libellum ſupplicem offerrent utrique Domui Parlamenti, proprio motu, prætendentes civicam militiam eſſe Civitatis peculium, pertinens ad Ipſam per Chartas & confirmatum à Parlamentis, ad cujus defenſionem expoſuerant vitas ſuas, haud minus quàm exercitus, & petebant illam iiſdem reſtitui, quibus tradita erat conſenſu Civitatis, per decretum iv Maij.

Cum Domini hanc petitionem legiſſent, placuit revocare ſtatutum xxiii Iul. & reſtituere illud iv Maij per novum decretum xxvi. Iul. quod ſtatim miſerunt ad Communes ut aſſentirentur. hîc quidam Apprenticiorum (præſumentes ſe tantumdem juris habere à Domo impetrandi quod ipſis jure debebatur, quàm exercitum quod minime ipſi competebat) puerili vociferatione contendebant ut decretum perferretur, & impediebant quædam membra egredi, & tranſire in diribitorium (tam ignorantes erant conſuetudinis Domus) quo perrogato &

con-

confirmato ſub horam tertiam pomeridianam, maxima pars eorum quietè ad urbem repedavit. Poſt quæ inordinati quidam (pauciſſimi inter eos Apprenticii) confluentes & inſtigati à diverſis ſectariis, & amicis exercitus ſe illis admiſcentibus (inter quos toto illo die ſtudioſè agere viſus quidam *Highlandus*, qui XXVI illius menſis libellum obtulit adverſus membra quæ ſedebant, & ut teſtis examinatus fuit circa hunc tumultum) objecerunt ſe foribus Domus, & procacibus verbis compulerunt Oratorem repetere ſedem, cum conventum jam procraſtinâſſet: & membra detinuerunt uſque dum decernerent, *ut Rex reduceretur Londinum ad tractandum.* Id fraudulenter & præmeditatè actum fuit, ut *ſcandalum erga Civitatem* aggravaretur. Verùm cum hic tumultus ad aures Senatus urbici perveniſſet, ſtatim miſerunt Prætores Parlamento ſubſidio cum copiis quæ erant ad manum (militia eorum tunc inordinata ob contradictorium Parlamenti decretum) qui & tumultum compeſcuerunt, & Oratorem incolumem Domum reduxêre. Domini procraſtinârunt ad proximum diem Veneris: Communes primò ad craſtinum, dein ad Dominorum exemplum ad diem Veneris. Proximo die Mercurii, jejunio menſtruo, cum membra ad concionem concurriſſent, orator Domus Communium non ſine aliquo calore, queſtus eſt *Radulpho Aſthono* & aliis, diffamari ſe in urbe, quaſi deſerta Domo, ad exercitum fugere meditaretur, verùm ſe abominari tam vilem & injuſtum actum, & malle mori in Domo & Cathedra. Quæ ab ipſo dicta, tempore & loco tam ſacro, fecerunt multos opinari, diſceſſum illius ad exercitum, ipſo poſtero die, non tam proceſſiſſe à proprio ipſius judicio, quàm minis *Cromwelli* & *Iretoni* (qui erant præcipui machinatores illius facinoris, quo dividerent domos & urbem, & exercitum

du-

ducerent ad utraſque ſupplantandum) qui minitabantur niſi ipſis aſſentiretur ſe exercitum compulſuros ad ipſum accuſandum, quod Statum defraudâſſet multis & vaſtis ſummis pecuniæ. Et ſanè memini me vidiſſe epiſtolam interceptam, circa tempus fugæ ipſius, miſſam ab exercitu ad *Withel. Lenthallum* oratorem, ſine ulla ſubſcriptione (tantummodo duæ poſtremæ lineæ ſcriptæ erant manu *Ioannis Rushworthii*) quæ importune flagitabatur, *ut ad Exercitum confugeret cum ſuis amicis.*

Die Iovis ſummo mane, renovata militia Londinenſis, publice promulgavit in urbe & ſuburbiis, & impreſſis breviculis affixit Weſtmonaſterii: *Si qui diſturbarent alterutram Domum Parlamenti, aut ipſarum Membra, excubiæ tales comprehenderent & renitentes cæderent:* nihiloſecius Orator & illius partes (conſcientia propria illos terrente) ſub veſperam illius diei clanculum aufugerunt Windeſoram ad capitalia caſtra.

Die Veneris mane ad minimum CXL Membra convenerunt in Domo Communium (qui fugerant erant circiter XL) ad quam Sergeantus cum maſſa quum veniſſet, & interrogaretur, ubi eſſet Orator? reſpondit, *Se haud probè ſcire; neque ſibi illum viſum iſto mane; tantùm didiciſſe illum profectum paulò extra urbem, & brevi rediturum.* Poſt illa, cum ſtrictius interrogatus fuiſſet de Oratoris abſentia, ſubduxit ſe, neque poſtea inveniri potuit. Domus autem Communium (poſtquam quatuor horas exſpectâſſet, & è domeſticis Oratoris cognoviſſet, veriſimile eſſe illum conceſſiſſe ad Exercitum) elegit novum Oratorem *Henricum Pelhamum.* Idem (mutatis mutandis) factum à Dominis, ne propter abſentiam Oratorum Parlamentum diſſolveretur & ut omnes ſcrupuli tollerentur.

Quod attinet ad petitionem & molitionem (civitatis

(tantopere exaggeratam ab Independentium factione) ea directa fuit ad D. Majorem, Aldermannos & Senatum urbicum, adversis civibus, officiariis & militibus, quia intellexerant, *Exercitum postulaturum mutationem militiæ urbicæ, quò facilius designata contra urbem perficerentur:* Propositum quidem erat offerre eam communi Senatui, sed numquam fuit oblata, quemadmodum militum petitio Generali; cujus cum ratio habita fuisset à Parlamento inter disceptandum, id adeo incitavit milites, ut non diutius (ut memorat Lelburnius in suis scriptis) vellent agere secundum Parlamenti mandata, sed secundum principia naturæ & propriæ defensionis. Neque continebat ea petitio & molitio quicquam quàm propositum defendendi urbem: ita ut non videam, quid Exercitum moverit ad declarandum suam sententiam in literis XXIII Iul. & illi præjudicium in Domibus afferendum. Institi paulò particularius *grandi huic impostura*, utpote incudi supra quam cuderunt subsequentes omnes *violentias & illegales accusationes.*

Novis Oratoribus electis, utraque Domus perrexit votare & agere ut Parlamentum: Et primò, Domus Communium revocavit undecim accusata Membra; deinde resuscitavit Commissarios incolumitatis, per decretum utriusque Domus, jubentes illis se conjungere cum Commissariis restauratæ militiæ urbicæ. dataque illis potestas per diversa decreta delectus habendi, & Ductores atque Officiarios constituendi, expediendi arma & producendi apparatus bellicos, ad defensionem utriusque Domus & urbis, adversus omnes invasores: quæ Vota & præparationes ad sui defensionem (innitentia iisdem legibus naturæ, ut exercitus scripta memorant) non fuerunt perrogata aut Exsequutioni tradita, quàm postquam exercitus (novis delectibus quotidie auctus contra statuta Parlamenti) moveret

versus

verſus Londinum, & cum ſummo deſpectu, non obediret Votis & literis utriuſque Domus, quibus vetabantur, intra xxx mill. ab urbe propius accedere. Exercitus, ut rebellioni ſuæ colorem adderet, permonet Oratores & fugitiva membra ad conſultandum & promiſcue Vota ferendum cum Concilio Bellico, formâ Parlamenti, & ſignandum IV Auguſti obligationem ſeu conſpirationem, *vivendi & moriendi cum Fairfaxio & ipſius exercitu:* affirmando, Sententiam ſuam per omnia congruere cum Declaratione Fairfaxii & Concilii ipſius Bellici, qua aperiunt cauſas præſentis ſuæ expeditionis verſus urbem. In qua Declaratione Concilium Exercitus arrogat ſibi ſupremam judicaturam ſupra Parlamentum; & diſtinguit, quibusnam ex utraque Domo exiſtiment, publicam fidem Regni eſſe commiſſam, & quorum conſiliis ſe regi paſſuri ſint in graviſſimis negotiis Regni: proteſtantur contra electionem novi Oratoris à quibuſdam Generoſis Weſtmonaſterii factam: & Parlamentum quod nunc ſedeat, non eſſe liberum aut legitimum, cum per violentiam xxv Iul. ſit oppreſſum, & ſuſpenſum. Statuta & Vota xxvi Iul. facta, aut adhuc facienda à conventu paucorum Dominorum & generoſorum Weſtmonaſterii eſſe inania & nulla, neque quicquam illis deferendum.

Obſerva hîc, non ſolum poteſtatem extra Parlamenti Domos, judicantem de vera eſſentia Parlamenti, ſed etiam ſibi uſurpantem negativam vocem, quam denegant Regi: & præterea Schiſmaticam factionem in utraque Domo colludentem cum illis, & prodentem atque proſtituentem ipſam eſſentiam, honorem, & omnia fundamentalia jura & privilegia hujus & omnium futurorum Parlamentorum, Exercitui rebellium, qui detrectant obedire Dominis ſuis & à ſignis diſcedere.

Hæc obligatio ſeu conſpiratio ita fermentavit Exercitum, ut ſtolidus ipſorum Generalis protinus imperaret militares copias quorumdam Comitatuum accerſi, & movere ſe contra urbem & utramque Domum Parlamenti: licet hæ copiæ non militarent ſtipendiis Parlamenti, & propterea non eſſent ſub Imperio Generalis per ullum Statutum. Sed quid non audeat fatuus in authoritate conſtitutus, præſertim ſi obnoxius ſit hominibus improbis? Miſer! ejus ſtultitia tandiu obſecuta eſt *Cromwelli* & *Iretoni* nequitiæ, ut ipſi jam minimè ſecurum ſit, illi ſe opponere. Comes Eſſexiæ tam opportune obiit, ut multi ſuſpicati ſint aliquid veneficii acceſſiſſe.

Civitas tamen tantopere deſiderabat pacem, ut mitteret diverſis temporibus Deputatos ad exercitum ad illam impetrandam: quam tamen obtinere non potuit, niſi hiſce tandem conditionibus; ut deſererent utramque Domum & accuſata Membra: revocarent declarationem ſuam, jam excuſam & publicatam, dimitterent militiam ſuam: traderent omnia munimenta ſua & vallum exercitui; unà cum Turri Londinenſi, omnia armamentaria & arma; copias ſuas exauthorarent & ejicerent è vallo, amoverent præſidiarios ſuos à Domibus Parlamenti; reciperent præſidium equitum & peditum intra munimenta; opera ſua demolirentur; paterenturque totum Exercitum triumphali modo permeare urbem, ut Domitorem illius & Parlamenti &, ut ſæpe jactant, totius Regni. Quæ ſanè conditiones tales erant, ut illas ab Imperatore Turcarum potuerint impetrare, ſi urbem arctè obſeſſam tenuiſſet.

Quæ omnia derepente & ignominioſe accepta & perfecta, ab Exercitu, qui dimidiæ parti civium haud par erat futurus, ſi concordes fuiſſent: verùm tam copioſe lolium

lium Hæreſeos & Schiſmatis in urbe ſeverant (præſertim inter inopem plebeculam) ut facile maximam partem civium ſibi adjungerent. Gloriantur ſæpe *ſe tranſiſſe militari paſſu ; ſine ſpoliis :* reſpondeo ; milites tam paucos & tam malè armatos fuiſſe, ut illud aggredi omnino temerarium fuiſſet.

VI Auguſti 1647. fugitivi Oratores & Membra à Generali in Domos reducta ; armatis militibus omnes aditus & interiora loca Palatii occupantibus, cum nihil eſſet metuendum : iis qui abſentibus Oratoribus ſederant minæ intentatæ: Generali in throno ſedenti prolixè gratiæ actæ; & in poſterum diem gratiæ Deo agendæ decretæ. Atque hîc derepente *Fairfaxius* Generaliſſimus declaratus omnium copiarum & arcium Angliæ & Walliæ,& Conneſtabilis Turris Londinenſis : militibus omnibus pro tam præclara opera navata, unius menſis ſtipendium donatum : prudentiæ Imperatoris relictum, quas excubias Domibus Parlamenti adderet. Ex quibus quivis facile poteſt conjicere, quàm miſera fuerit conditio eorum, qui abſentibus Oratoribus locum ſuum non deſeruerant. Dein Generaliſſimus & Locum-tenens generalis ; totuſque exercitus, magna pompa tranſiêre Londinum, cum apparatu Machinarum &c. Ita ut haud obſcurum eſſet authoritatem omnem in Regno, jam potentiæ armorum ſuccubuiſſe. Locum-tenens Turris Londinenſis ejectus ſine cauſa. Alibi quoque gubernatores ſuis locis moti, licet ea decreto Parlamenti accepiſſent. Militia Londinenſis in tres partes diviſa, ut infirmior eſſet. Vallum disjectum, ut jam Vrbs & Parlamentum invadentibus expoſita eſſent. Plura Membra minis & terrore falſarum accuſationum è Domibus fugata. XI illi accuſati jam ante, cum licentiam abeundi in partes tranſmarinas, à Domo,quidam

& ab Oratore accepiſſent, variis inſidiis excepti etiam in Mari: *Anton.* Nicholls in itinere ſuo in Cornubiam, ab exercitu captus & indigne habitus; & cum Fairfaxius dimittere illum vellet, à Cromwello *Proditor exercitus* appellatus, Vt ſatis liqueret penes quos obſequendi neceſſitas eſſet, & cur tandem Regi illam ademerint. Atque hæc aliaque acta, ut plures Preſbyterianos à Domibus deterrerent & Votorum abſoluti domini fierent. De quarum Domorum, jam ſubjugatarum ab Exercitu prædominante, actis deinceps erit dicendum.

Domini qui abſentibus Oratoribus ſederant, præter unum *Penbrokium* (cujus facilitas ipſum idoneum reddebat cuivis ſocietati) Domo abſtinuerunt, & ſolummodo reliqui facti, qui cum Exercitu conſpiraverant, hi autem miſerunt ad Communes rogantes ut Statuto aſſentirentur, quo omnia acta & decreta facta, à XXVI Iulii ad VI Auguſt. ſequentem, (quo die fugitiva Membra reducta erant) decernebantur inania & nulla *ab ipſo initio.* Quæſtio hæc quinque aut ſex diebus fuit agitata, maxima parte Communium ſemper inclinante in negativam, nec tamen à Dominis ceſſatum, contra privilegia Domus Communium. Factionis quæ conſpiraverat argumenta ducebantur à terrore & neceſſitate, Sollicitator minabatur niſi concurrerent, Dominos honorem Domus ſuæ vindicaturos; ad potentiam armorum recurrendum; omnes obligatos vivere & mori cum Exercitu: à quo extrema quæque exſpectanda forent. *Haſlerigus* eadem dicens, addebat, quorumdam capita demetenda; & vereri ſe, Parlamentum Angliæ ſervare Regnum non poſſe, aliam viam incolumitatis ineundam fore. Exercitui ſatisfieri non poſſe, niſi omnia nulla *ab initio* decernerentur. Ad hæc reſponſum, eſſe hanc appellationem à Parlamento ad Exercitum

tum. Sed nihil profectum, *Henricus Vanus Iunior*, *Ioannes Evelinus Iunior*, *Prydeanx*, *Goudan*, *Mudmay*, *Tho. Scott*, *Cornel. Holland*, eaſdem ſpirabant minas. Ad poſtremam negativam (quæ erat Quinta aut Sexta.) Orator animadvertens majori compulſione opus eſſe, protulit literas Generalis & Concilii Bellici, quas ajebat ſe commodum accepiſſe (quod minus veriſimile erat) unà cum Remonſtrantia, plena opprobriis & minis in membra quæ ſederant Oratoribus abſentibus, quæ promiſcuè accuſabant perduellionis, perfidiæ & infractionis fidei ipſis commiſſæ: & niſi aſſentirentur propoſitis, ſuo diſcrimine ſeſſura; & ſe illos captivaturum, & ut belli captivos, Bellico Concilio judicaturum.

Quis Rex Angliæ umquam tantam Vim intulit fundamentalibus privilegiis Parlamenti, ut denegaret libertatem Votandi liberè, *Ita* aut *Non*. Certe minimus digitus *Iac. Cade* aut *Wat-Tyler* (fuêre hi olim turbones notiſſimi Angliæ) gravior lumbis cujuſvis Regis. Duravit hoc certamen à IX Aug. ad XX Aug. quo die demum illud decretum perlatum eſt, pleriſque Preſbyterianorum abſentibus, quibuſdam in partes tranſeuntibus aut mutis; non tam en ſine aliqua contradictione. Multa interea acta contra communem libertatem & privilegia Parlamenti, quæ conſulto jam prætereo, utpote aliàs commodius dicenda. Quale inter præcipua fuit, Secreta examinatio teſtium inſtituta adverſus plurimos (cujus collegii caput erat *Milo Corbet*) haud diſſimilis Hiſpanicæ Inquiſitioni.

Primò in Scenam productæ commiſſiones ſignatæ à Commiſſariis incolumitatis, à Com. *Penbrokiæ*, *Suffolckiæ*, *Middelſexiæ*, *Lincolniæ*, *Baronis Willongby à Parham*, *Mainardi*, *Hollis*, *Phil. Stapleton*, *Wil. Walleri*, *Long*, *Nichols*, *Wil. Lewes*, *Baynton*. Varia crimina objecta à *Corbeto* illo, Haſlerigo ſtrenue ipſi auxiliante.

VIII. Septemb. in Com. *Suffolcke*, *Lincoln*, *Middelſex*, Barones *Barckley*, *Willongby*, *Hunſdon*, & *Maynard* crimen læſæ Majeſt. intentatum nomine communium Angliæ, ob bellum motum contra Regem, Parlamentum & Regnum. Penbrokius hinc omiſſus. Iohannes Evelinus miſſus cum hac accuſatione ad Dominos: & accuſati Apparitori Domus in cuſtodiam traditi. Atque ita Domini qui conſpiraverant cum exercitu, Domum ſoli pro libitu obtinuerunt. Deinceps & Major Londinenſis, quidam Aldermanni & Cives correpti per Inquiſitorem generalem Corbetum, & ſine omni ordine Iudicii, imo contra privilegia Civitatis atque adeo omnium incolarum Angliæ, miſſi in Turrem Londinenſem: idque juſſu paucorum Dominorum, quibus ne quidem ulla Iuriſdictio in Communes per Angliæ Leges convenit. Neque ulla extant exempla quod Domus Parium, umquam quicquam tale uſurpaverit, niſi ex ſpeciali commiſſione Regis ab ipſis Communibus inſtanter rogati.

Menſe dein Septembri agi cœptum de copiis militaribus: lecta in Domo Communium ſententia Fairfaxii & Concilii Bellici: nimirum in Hiberniam mitti oportere ſex millia peditum & bis mille quadringentos equites, è ſupernumerariis copiis, quæ nullam partem exercitus faciebant: in Anglia retineri octodecim millia peditum & ſupra octo millia Equitum; illos octo denar. his duos ſolidos in dies ſingulos pro ſtipendiis ordinariis conſtitutis. Tenuit hæc deliberatio aliquandiu Independentibus & Preſbyterianis diſſidentibus & diverſas rationes afferentibus: ſed Independentes vicerunt.

XXIV demum Decemb. 1647. Vtraque Domus per Commiſſarios miſit Regi (qui tum in Inſulæ Vectæ arce *Carisbrooke* captivus detinebatur) quatuor Schedas (Anglis

glis *Bills*) quas ut Acta Parlamenti probari petebant, & propoſitiones aliquot quibus aſſentiretur: quæ excuſa viſuntur unà cum Maj. ſuæ Reſponſis, pauca tamen dicenda de duabus Schedis. 1. decretum de Militia terreſtri & maritima in Regnis Angliæ, Hibernia, Wallia &c. licet tantum loquatur de xx annis; ſpoliat tamen Regem, ejus hæredes & ſucceſſores poteſtate in Militiam, in perpetuum, ſine ſpe recuperandi per abrogationem decreti quod numquam futurum eſt in illius aut illorum poteſtate. Nam Primò dicitur: *Neq; Regem neq; ejus hæredes aut ſucceſſores aut quemquam alium, uſurum ulla poteſtate ſupra Militiam in terra aut mari, ſed eos ſolum qui agent, per authoritatem & approbationem Dominorum & Communium.* Id eſt, Viginti aut triginta Commiſſarii Status, quibus Domus hanc fidem committent (nam fundamenta hujus Commiſſionis jam tum ponebantur, licet tantum aliquantò poſt fuerit ſtabilita.) Secundò vetatur: *Regi, ejus hæredibus & ſucceſſoribus* &c. *poſt exſpirationem* xx *annorum, exercere* ullam dictarum Poteſtatum, extra conſenſum dictorum Dominorum & Communium, & in omnibus caſibus, in quibus dicti Domini & Communes declarabunt ſalutem Regni ſitam eſſe, poſt exſpirationem xx annor. & decernent delectus &c. aut tributa &c. ſi Rex non conſentiat ejuſmodi decretis intra limitatum tempus, decreta illa tunc habitura vim Actorum Parlamenti. En hîc fundamenta jacta, ſtatuta utriuſque Domus æquandi Actis Parlamenti, ſi hoc concedatur in uno caſu, arripietur in altero, atque ita hi ſubverſores Religionis, Legum, & Libertatum, uſurpationem ſuam vertent in legalem Tyrannidem. Secundò, dat utrique Domui illimitatam poteſtatem delectus habendi, & duces eligendi, quales volent. Tertio & poteſtatem tributa &c. exigendi à quibuſvis & quovis modo.

Secundò: ſtatutum *de transferendo utramque Domum ad*

alium aliquem locum &c. factioſis in utraque Domo & Exercitu dabit facultatem domos transferendi in aut prope Caſtra; ubi ii qui detrectant cum illis conſpirare neque commodè neque tuto poterunt ſedere.

III Ianuar 1648. In Domo Communium deliberatum de Regis reſponſis ad illas ſchedas & propoſitiones. Atque hîc *Thom. Wrothe* conſueta ſua grandiloquentia dixit: *Bedlem* (ea eſt domus recipiendis fatuis Londini deſtinata) convenire furioſis, ſed *Tophet* Regibus: Reges noſtros ſuperioribus annis ſe geſſiſſe ut Bedlemitas humilem ſuam petitionem tres partes habituram.

1. Regem captivum includendum in aliqua Mediterranea arce ſub præſidio.

2. Conſcribere articulos ad Ipſum accuſandum & in judicio poſtulandum.

3. Rejicere Illum & conſtituere Regnum ſine Illo. Non curare ſe quod regimen adſtruant, modò non ſit *ſub Regibus aut Diabolis*. Dein Commiſſarius Generalis *Iretonus*, (viſus proferre ſententiam Exercitus ſub nomine multorum millium piorum, qui vitas ſuas devoverant ad ſubjugandum inimicos) ad hunc modum locutus eſt: Rex denegavit incolumitatem & protectionem populo ſuo, rejiciendo quatuor ſchedas; ſubjectionem populi tantùm ſubordinatam eſſe protectioni Ipſius: hac denegata, poſſe & obſequium denegari & Regnum ſtabiliri ſine Illo, an hoc jam agi, poſt tam longam patientiam, ut deſerantur fortes illi viri, qui ſine regreſſu ſe devoverunt ultra quàm poterant, & qui Parlamentum non ſunt deſerturi, niſi ante ab illo deſerantur.

Poſt longiorem diſceptationem, cum res jam vergeret ad Quæſtionem, accurrit Cromwellus cum extremo agmine, & laudato valore, bono affectu & pietate exercitus

tus, arguit. Expectari nunc, ut Parlamentum administret & defendat Regnum ſuis viribus & conſiliis, & non perſuadeat amplius populo incolumitatem & regimen exſpectare à viro obſtinato, cujus cor Deus induraverit. Eos qui hactenus Parlamentum defenderunt à tot periculis ſui ſanguinis expenſa, porro fideliter & fortiter tuituros contra quoſvis opponentes. *Nolite committere*, inquit, *negligendo veſtram & Regni ſalutem (in qua & ipſorum involuta eſt) ut opinentur ſe proditos, & deinceps relinqui furori & malitiæ irreconciliabilis inimici, quem ipſi veſtra cauſa vicerunt, Vnde experturi ſint futurum ejus regimen inſupportabile & plenius vindicta quam juſtitia: ne deſperatio illos cogat incolumitatem quærere ab aliis mediis, quam à vobis. Quam exitioſa autem ea reſolutio illorum futura ſit vobis omnibus, horreo cogitare & vobis ipſis judicandum relinquo.* Obſerva quod ſub finem Orationis manus imponeret capulo gladii quo cinctus erat. Prima quæſtionum propoſita: *Vtraque Domus deinceps nihil referet ad Regem aut illi ſe applicabit.* Domus Communium ita diviſa fuit ut CXLI affirmarent, XCI negarent; atque ita affirmativa obtinuit; cætera tria Vota facile ſecuta; quæ videre eſt impreſſa.

Cum autem membra in Domo Communium concluſa fuiſſent ab hora nona matutina ad ſeptimam veſpertinam, fores apertæ, & permiſſi exire qui vellent, quo factum, ut multi Preſbyterianorum deſcederent, opinantes conventum ſolvi: verùm ſtatim (cum Domus jam infrequens eſſet) reſtauratum votum de Commiſſariis incolumitatis in Domo derbiæ, III Ian. 1647 factum, & aliquot deputati illi adjuncti.

XIV Ian. poſt longam diſceptationem ſtatutum, ut *Lewis dives* & *Iohn Stowell* equites & *David. Ienkins* ut proditores ſiſterentur & accuſarentur coram Banco Regis ut

vocant, (quod est supremum Tribunal criminale) verùm Sollicitator, cui hoc munus demandatum erat haud ignarus *Ienkins* magnum esse Iurisconsultum, & non audens se cum illo committere, prætexens errorem in diei dictione remisit illum ad Parlamentum, accusandum coram Dominis, ad quorum jurisdictionem provocaverat: atque ita ignominiam à se derivavit in Domos. Hora jam erat duodecima & multi Independentium clamabant, *Surgamus*, *surgamus*: Presbyteriani itaque credentes omnia jam peracta esse, plurimi eorum discesserunt ad prandium, verùm Independentes perstitêre, & jam opportunum tempus rati, proponunt, literas derepente mittendas ad Fairfaxium, ut convenientem numerum militum mitteret in præsidium Albæ-Aulæ, & equestres copias in Equile Regis. Dominorum consensus haud petitus, sed literæ statim scriptæ & missæ.

Observa autem copias illas jam in itinere fuisse antequam hoc Votum perferretur. Adeo omnia fraudulenter gerebantur.

XV. Ianuar. Declaratio missa ab Exercitu, quâ gratias agebant Parlamento pro quatuor illis Votis contra Regem, & promittebant, *se victuros & morituros cum Communibus, eosque contra omnes adversarios defensuros.* Multi interea Dominorum valde fervidè disputârunt contra hæc Vota; ita ut Domus illa in duas partes æquales esset divisa (intererant autem Domini omnino viginti) verùm hæc declaratio Exercitus, & inexpectatum præsidium inductum in Albam Aulam & Equile Regium, lancem depressit, ita ut hæc Vota perferrentur, addita tantùm brevi præfatione, quæ nihil ad rem faciebat; cui & Communes assensum præbuêre. Et continuò circa horam duodecimam, cum consessus esset valdè infrequens, Dionysius

Bon-

Bondus movit, *ut quicunque deinceps disputaret contra quatuor hæc Vota, aut alios ad hoc faciendum incitaret, in carcerem conjiceretur; & bona illius sequestrarentur.* Dominis quoque ab Exercitu gratiæ actæ. Hæc Vota generatim siniſtre accepta, & hominum animos variis ſuſpicionibus impleverunt: nec facile perſpiciebant, quam tandem regiminis formam hi Factioſi eſſent electuri, Rege ad hunc modum abdicato; & præſagiebant *novum Bellum:* quod haud fruſtra credebant Independentes quærere, ut hoc prætextu retinere poſſent exercitum, & tributa pro libitu imponere ad illum alendum: ſed illi prævenientes accuſaverant diverſa membra Domus & cives Londinenſes quod novum bellum præpararent, cùm tantum delectus habuiſſent ad ſeipſos defendendos.

Primores autem Independentium, ut cauſas horum Votorum populo palam facerent, deputârunt aliquos, qui inquirerent in Regis converſationem & errores illius in regimine, eoſque per declarationem publicarent: in qua ipſi objecerunt longè graviſſima crimina, Patris ſui cædem, Rupellæ exitium, Rebellionem & homicidia Hibernorum, quæ poſt maturam diſcuſſionem in Domo, à Preſbyterianis plurimum fuêre mitigata. de hac autem declaratione hoc ſolum dicam: illos nihil novi attuliſſe, quod non ante publicaverunt, per partes; poſt quod tempus ipſi ſumpſerunt, & alios ſumere præceperunt, Fœdus nationale: in quo promittunt, ſe defendere velle Regis perſonam, coronam & dignitatem, ad conſervationem Religionis, Legum & Libertatis: & propterea ſolummodo eadem reponere, ut argumenta abdicationis Regis, ſapit magis perverſam intentionem, quàm juſtitiam. Non pergo ulterius in cenſura hujus declarationis, ne, ſicut illi hac imbecilli accuſatione Regem potius juſti-

ficarunt, ita ego desperiti defensione ipsi injuriam faciam.

Populus non minus improbabat hanc declarationem quam ipsa Vota, quare Orator XXIV feb. valde seriò protulit literas è Licestriæ Comitatu scriptas à *Thoma Hasterigo* (Arthuri equitis fratre) quæ narrabant; quendam *Mr Smallingh* deputatum Leicestrensem, affirmare circiter viginti ab hinc annis, cum causa ageretur inter Comitem Bristoliæ & Ducem Bukingamium, de medicina præsumtuose exhibita à Duce Regi Iacobo; hunc *Smallingum* excepisse multorum testimonia, & porrò plures testes examinaturum fuisse nisi Rex mandâsset supersedere & depositiones sibi tradi: quod & fecerit: custodisse interea præcipuas notas, dubitante quid post illa adhuc posset accidere in re tanti momenti. *Henric. Mildmay* eq. movebat, ut *Smallingus* accerseretur & examinaretur à Commissariis qui declarationem illam conceperant, se Presbyterianis annitentibus, placuit ut coram Communibus in consessu interrogaretur. *Smallingus* venit, & exhibuit quidem Regis mandatum, sed nullas notas; & ita hæc Chimæra disparuit. Quis novit quid Commissarii illi facturi fuissent? Liberet nos Dominus ab ejusmodi clandestinis examinationibus, præsertim cum fiunt ab infensis partibus. III Caroli hæc causa ventilata fuerat & examen institutum contra Ducem, nec ulla mentio facta intoxicationis aut cædis R. Iacobi; appellabatur tantum tunc, *actio summæ præsumtionis & periculosæ consequentiæ in Duce:* neque erat vel minima reflexio in R. Carolum; sed nunc quia R. Carolus dissolverat illud Parlamentum, factio Independentium satagebat suspicionem movere contra Regem de obitu Patris: cum accusatio Ducis Buckingamiæ, III Caroli, contineret septem aut octo capita quorum singula potuerint Regem movere ad dissolvendum illud Parlamentum.

Hæc

Hæc deſperata conſilia (dishonorandi Regem, & reddendi illum inidoneum ad regendum, deſtruendi illius Perſonam, coronam & dignitatem & Monarchiam exſtirpandi) capta erant, ut Primores Parlamenti & exercitus, qui regiam authoritatem jam uſurpaverant, ſi non poſſent expurgare Domos, eaſque in totum Independentes facere (de quo jam pene deſperabant) illam traderent in manus concilii Status in Domo derbiæ & Principum Exercitus. In quem finem machinantur illorum Commiſſariorum numerum augere & ſuſpendere Parlamentum: Preſbyterianos dimittere in ſuas provincias ut ſi ibidem tumultus orirentur (qui propter extorſiones valde metuendi erant) illi in culpa fuiſſe viderentur; atque ita facilius è Domo everri poſſent, ſi non è vita; aut ſaltem bona eorum ſequeſtrari; nam cum regiis partibus parum admodum ſit reliquum, aliunde novæ copiæ quærendæ quæ inſatiabili eorum avaritiæ ſatisfaciant: donec & ſe mutuo devorent; ſunt enim jam diviſi in *puros Independentes & mixtos:* Factioſi ſiquidem hi ſitientiſſimi auri & ſanguinis, inſtar Harpyiarum, ſi cibus defecerit, ſe mutuo invadent. Domus autem non convenient niſi ſemel in anno ad menſem unio aut alterum, ut approbent quæ Concilium illud derbienſe, & conciliabulum exercitus dictabunt: & ut rationem reddant prædominanti factioni, quo pacto ſe unumquodque membrum in ſua Provincia geſſerit. Ita loco unius Regis, viginti aut triginta habituri ſumus Tyrannos principales, & totidem ſubordinatos; quot ipſis placuerit rebus agendis præficere ſub ipſis; cum ferreo jugo exercitus, ut nos arbitrario ſuo regimini mancipatos teneant.

Non obſtantibus hiſce quatuor votis, Grandes hi retinebant adhuc in Exercitu *Asburnkamum* & *Barckleyum:* mitte-

bant-

bantque interea diverſos converſos & perſonatos emiſſarios ad Regem, qui fingentes ſe muneribus impetraſſe aditum illum, ſe illi inſinuarent & falſis novis & deceptricibus argumentis conſtantiam Regis labefactarent & perſuaderent quatuor illa dethroniſantia Vota probare (nam uſurpatores hi ſupremæ authoritatis ſtudebant armatam & violentam ſuam tyrannidem, in legalem mutare) aut ſaltem ſe declarare contra Scotorum ingreſſum in Regnum. Quo alterutro facto & debilitaret amicos ſuos, qui ſatagunt aureas habenas regiminis hiſce Phaëtontibus eripere & illi reſtituere; & ſe atque poſteritatem ſuam regno exueret in perpetuum: & ab illis circumduceretur pro libitu & coronaretur *ludibrio Coronæ* ſtipulis & ſpinis. Quis enim poteſt imaginari, viginti illis annis abſolutis, uſurpatores hos depoſituros quod tam injuſtè, & contra omnes leges Divinas & humanas, & contra proprias declarationes, juramenta, fœdera, extorſerunt? aut quis poterit aut audebit illis hanc potentiam eripere, cum in conſuetudinem verſa fuerit? populi ſpiritibus fractis per habitualem ſervitutem; numeroſo exercitu & præſidiis undique incumbentibus, omnibus tribunalibus occupatis à corruptis judicibus; qui per coactas interpretationes Legum, ſanguinaria exempla ſtatuent in omnes bonos patriotas, qui auſi fuerint ſe huic Tyrannidi opponere? qui potuerunt reperire chalybem ſatis acutam ad incidendam Cap. *Barleyi* cervicem, quia tentaverat Regem liberare è manibus rebellis Exercitus, qui neque obſequitur Regi neque Parlamento, facile invenient aurum & argentum, quo corrumpant omnes Iudices, quos promoturi ſunt ut propoſitis ipſorum inſerviant. Sed ſperandum eſt illum habere plus regii & humani, quàm ut ſuorum principiorum obliviſcatur, ut rurſus impingat in eundem la-

lapidem, eidemque ſcopulo hæreat ad Sirenum cantum: gnarus ſe habere filium in libertate, qui injurias ſuas poſſit ulciſci, omnes Principes Chriſtianos fœderatos, maximos Angliæ & Scotiæ ſuos agnatos, & populum generatim (cujus ſummum ſtudium fuit conſervare Leges & libertates, & tueri Parlamentum ne armis ſubjugaretur) indignabundè intuentem hos ſeductores, qui per gradus inſenſibiles & plurimas fallacias ipſum longius perduxêre, quàm intenderat, non *ad defenſionem Religionis, Legum & Libertatis*, ſed ad erectionem *Schiſmatum, Commiſſariam Legem, Martialem legem, accuſationes coram Dominis, & illimitatam ſervitutem.*

Confido autem Factionem hanc deſperare ſe quicquam impetraturos à Rege, qui inſtar ſcopuli, *mediis tutiſſimus undis*; quidquid dicant in contrarium, qui ab initio mendacia refugium ſuum fecêre: quod cum Rex prudenter animadvertiſſet, miſſionem ad utramque Domum deſtinavit (per viam prævention is) quæ tradita fuit à D. Lauderdalio, deputatorum Scotiæ uno; quæ tria capita continebat.

1. *Se invitum abductum ab Holdenby.*

2. *Ut tuerentur honorem & privilegia Parlamenti.*

3. *Ne crederent ulli miſſioni, ut venienti à ſe, quandiu eſſet in arcta cuſtodia Exercitus, ſed ſolum crederent iis quæ accepturi erant è proprio ſuo ore.* Grandes illi jam diu fefellerunt Regnum, & nuper denuo tentârunt fallere urbem, ſed fruſtra. Verùm Rex jam ſæpius ab illis fuit deceptus, & cum illum in arcta cuſtodia teneant; fortaſſis illi perſuadere conabuntur ad ſalutem illius facere, ut adhuc ſemel ſe decipi patiatur: Quapropter (non oſtantibus tot machinationibus, ad eradicandum Monarchiam, deponendum Regem ipſiuſque poſteros, & uſurpandum illius poteſtatem; in quem

finem illum & omnes ſuos, innumeris calamitatibus & opprobriis obruerunt:) poſt jam editam declarationem contra Regem, deſperata ipſorum conditio permovit illos denuo clanculum cum Illo agere & conferre, licet illa quatuor Vota pœnam perduellionis, contravenientibus minentur.

Sed *Cromvello* tam naturale eſt prodere, quàm falſo accuſare, proteſtari & mentiri. Eſt enim Proditor in ſuperlativo gradu, ita ut leges illum nequeant coërcere. Tribunus militum *Lylburnius*, accuſavit illum multarum proditoriarum actionum, coram pleno conſeſſu Communium, quas & recepit in ſe probare; verùm, quaſi *Cromwellus* eſſet proditor *cum Privilegio*, Domus Communium (ſub armatis illius præſidiis conſtituta) non auſa fuit cognitionem ſuſcipere. Verùm Romanus Tribunus rectè dicebat Scipioni Africano (apud Livium) *Qui jus æquum ferre non poteſt, in eum vim haud injuſtam fore.* Vt concludam, *Cromwellus* nuper Farnhami privatim collocutus eſt cum *Hammondo*. Comes Suydthamptoniæ rogatus ut tractaret cum Rege, oblato utriuſque Orationis Warranto. Capitaneus quoque *Titus* in gratiam receptus & ad hoc adhibitus.

Deputati Scotiæ v. aut vi Ian. 1648. miſerant literas ad Domum Communium; in quibus, facta mentione Votorum, poſcebant ſibi exponi: Vtrum Domus, per Vota ſua, *quod nemo omnino præſumat facere aut recipere ullam applicationem aut relationem, ad aut à Rege; etiam velint Scotos à Rege arcere, atque illum incapacem reddere ad perficiendum actus regiminis erga eos.* Inter diſceptandum, *Independentes* vocabant in memoriam, antiquius Votum, quo ſtatuebatur, *Scotos ad Regem admitti poſſe:* contra quod allegabatur, *poſtrema hæc Vota, generaliter facta, ſine ulla exceptione, ſuperius illud Votum abrogare.* Poſtremò per interpretativum Votum con-

concluſum fuit, *Quod non obſtantibus quatuor poſterioribus Votis, prius Votum, quo Scoti ad Regem admittebantur, adhuc valeret.* Obſerva hoc factum quatuor aut quinque dies poſtquam deputati Scoti ſe jam parâſſent ad reditum in Scotiam.

Alteræ literæ agebant de 100000 lib. quæ per contractum debebantur Scotis à Parlamento Angliæ: quarum 50000 lib. per aſſignationes ſolvendæ erant diverſis Scotis, qui nummos impenderant ad maturandum Scotorum exercitum ad noſtrum Concilium, quorum 10000 lib. ſolvendæ erant Comiti Argylio. Hîc, *Hen. Mildmayus*, longam orationem habuit, in laudem Argylii, inquiens, *Illum & illius factionem, & clerum Scoticum, ſolos eſſe qui in Scotia Anglicam factionem ſuſtentârint, & magis nobis amicos fuiſſe quàm reliquam Scotiam: quare ſuadebat, ut Argylio iſtæ* 10000 *lib. ſolverentur & reliquæ mutuæ retinerentur, ad* VIII *per centum.* Continuo tota Independentium turba, cum magno zelo & pauca prudentia, pedibus ibat in hanc ſententiam, donec moderatiores obviam irent, ſuggerentes quantam ignominiam & periculum allaturi eſſent amico ſuo, & expoſituri illum ſuſpicioni. Poſt illa concluſum, mittere quatuor Communes & duos Dominos in Scotiam; ut Deputatos cum mandatis: Mittere omnes Independentes, haud acceptum fuiſſet, itaque duo Preſbyteriani miſſi (quorum unus delibutus dono 1000 lib. & officio, antequam auderent illi fidere) & cum ipſis duo concionatores *Mr Hearle* & *Mr Marshall.*

XXIV Feb. deliberari cœptum ex parte de Reſponſo ad declarationem Scotorum; in qua diſceptatione Nationale fœdus parvi factum à multis & appellatum *Almanach extra datum: Nat.* quoque Fiennes in arguendo contra illud, dicebat clauſulam illam in Fœdere (*ad defendendum Regis*

perſonam, coronam & dignitatem &c.) nequaquam poſſe conſiſtere cum IV. Votis; *de nihil amplius referendo ad Regem* &c. ad quæ à nonnullis reſponſum fuit, *velle ergò ſe Vota illa omittere, & fœderi Nationali adhærere.*

Circa principium Martii, data Col. *Sydenham* & *Byngham* 1000 lib. ſingulis, in partem ſtipendiorum ipſis debitorum; rationibus illorum nondum ſubductis. D. *Borghill* 2000 lib. Mr *Fenwick* 500 lib. pro damnis toleratis. Mr *Millington* 2000 lib. pro damnis. Col. *Ven* 4000 lib. licet moneretur, par fuiſſe ut ante rationem redderet contributionum, ſpoliationis regionis circa Windſor, & direptionis ſupellectilis Regiæ. Mr *Pury* præter 1000 lib. officium quantivis pretii; & filio ejus 100 lib. per annum; omnibus Independentibus.

VII. Martii *Olivero Cromwello* donatæ è terris Marchionis Worceſtriæ 2500 lib. annuæ: quæ ut fertur, valent 5000 aut 6000 lib. per annum. Vides, licet Reg. Carolum haud fecerint glorioſum Principem, ut promiſerant, tamen *Oliverum* fecerunt tam magnum & glorioſum Regem, quam umquam fuerit *Ioannes Leydenſis:* Vt mirari non poſſis eos conſpirare ad retinendum Exercitum, tam ut tueantur liberalitates has, quàm capita ſua.

IX Martii, Domini miſerunt ad Domum Communium, rogantes ut probarent obligationem illam Membrorum quæ fugerant ad Exercitum, qua voverant, *ſe victuros & morituros cum Exercitu.* Diſceptatum tota illa die uſque ad ſeptimam veſpertinam, & tunc quæſtio propoſita; *An Domus probaret dictorum membrorum ſubſcriptionem ad obligationem Exercitus?* Centum affirmabant, XCI negabant. Obſerva primo, Mr *Sollicitatorem, Haſlerigum* & plures alios, cum viderent difficulter perferri poſſe, cœpiſſe longis ſuis gladiis denuo pugnare: & quidam ajebant, *ſatisfaciendum*

tam

tam illis qui extra erant (puta Exercitui) *quàm qui intra, alioqui rem diſcrimine non carituram.*

Secundò; eorum membrorum de quibus agebatur XL interfuiſſe huic deliberationi, & tuliſſe ſententiam in propria cauſa: & erant quoque multi qui non audebant ferre negativam. Tertiò, multos Preſbyterianorum jam exceſſiſſe è Domo, quia ſerum erat; Quartò, hanc obligationem jam ante ſemel atque iterum miſſam fuiſſe à Dominis ad Communes, ſed rejectam: & nunc rurſus obtruſam à Dominis, qui nolebant acquieſcere, contra privilegia Domus Communium. Quintò; approbationem ita ſurreptitiè acceptam, parem eſſe petitioni indemnitatis ante convictionem, quæ ſecundum Leges eſt inſtar confeſſionis criminis. Sextò Agitatores fatentur: *Hanc Obligationem miſſam ad Communes, ut tentarent temperamentum Domus, quæ ſi non probâſſet illam, concluſum fuiſſe in ſecreto Concilio, confugere ad arma, & novum impetum facere in præcipuos opponentes.* Siquidem agnoſcunt, ſe tantum regnare, per vim, *& Domum Communium haud diutius pro ſua agnoſcere, quàm jugum patienter ferat* &c.

Poſtremus conatus fuit, omnium intereſſe, in Domibus, urbe, Exercitu, unire: In quem finem *Cromwellus* (graviſſimus; viliſſimus & maximè ridiculus Tyrannus, eorum, ſub quibus umquam nobilis hæc noſtra Natio gemuit) Orationem in Domo Communium habuit: ad quam reſponſum fuit, *Membra electa eſſe à populo ut promoverent Intereſſe commune*, id eſt commune bonum, *ſalutem & Libertatem populi: & ſiquis habeat aliquot peculiare Intereſſe excentricum ab illo, non eſſe idoneum qui ſedeat in illa congregatione & mereri ut vocetur ad ſtrictam rationem fidei commiſſæ reddendam.* Obſerva interim, molitionem hanc conjungendi hæc tria Intereſſe, comparatam fuiſſe, ad ſuſtentandam

potentiam eorum qui in Parlamento, urbe & Exercitu dominabantur; nam in tribus illis vulgaris multitudo, & modeſtiores atque honeſtiores tantum ſunt ejuſdem conditionis cum cæteris: Parlamento ferente authoritatem, Exercitu gladium, Vrbe Marſupium. Sed placuit Deo largiri Vrbi tantam prudentiam & integritatem, ut cum VIII Aprilis 1648 *Cromwellus* & illius Socii objicerent hanc tentationem in Senatu urbico: Vrbs jam cautior facta, quàm primi noſtri parentes, rejiceret ſerpentem & illius ſubtilitates; ita ut *Cromwellus* irritatus hac repulſa, ſollicitatorem ſuum *Gloverum* interrogaret, *qua authoritate obtuliſſet illis reſtitutionem Turris & militiæ, & relaxationem Aldermannorum accuſatorum?* qui reſpondit, *ſe hoc feciſſe ipſius authoritate*, & protulit *Warrantum* ad hunc finem ſignatum à Fairfaxio, Cromwello, Sollicitatore & *Henrico Vano* juniore; quod *Cromwellus* qua eſt impudentia, arreptum retinuit.

Cromwellus, tentaverat jam ante Civitatem per agentes ſuos *Gloverum* & *Watkins*, & invenerat illam ſibi renitentem: quapropter (non ſolum præcipitis ſed & implacabilis malitiæ) cum conſilio Commiſſariorum Domus derbienſis, rationem inivit cum Schiſmatico D. Majore *Warnero*, qui ridiculum illum tumultum concitaverat, die natali Domini ob roſmarinum & laurum; quique electus fuerat à Parlamento, extra ordinem ad promovendum Machinamenta factionis) & cum Locum-tenente Turris, qua urbem commoverent, atque unde occaſionem opportunam ſuis molitionibus arriperet. Cumque animadverteret cives minus opportunos ſuis inſidiis; Apprenticios invenes provocare ſtatuit ad temerarium quid agendum, è quo occaſionem nanciſci poſſet toti urbi inſultandi.

IX Apri.

IX Aprilis, die Dominico, cum plures Apprenticii, ut moris eſt, luderent in *Moore fields*, Major mittit Capitaneum *Galeum* (unum novorum Capitaneorum, qui fugerat è prælio ad *Newbery-Marsh* & abſconderat ſe in foſſa, ut D. *Whartonus* in prælio ad *Keynton*) ut illos inde fugaret, cum 50 aut 60 urbicis militibus & non pluribus, (quo magis animaret pueros ad reſiſtendum illi) qui contemtim illos interrogans, *quid ibidem agerent?* quidam eorum reſponderunt, *ſe nihil mali facere, tantum ludere, & ſiquidem omnia feſta eſſent abrogata, non habere ſe aliud tempus quo ſe recrearent.* Capitaneus inſolenter imperavit, *ut diſcederent*; illi autem reſponderunt; *illum non habere authoritatem ad hoc imperandum*, & pergebant ludere: Capitaneus mandavit ſclopetariis ut ſclopeta ſua excuterent in eos: quod cum non facerent, ipſe arripuit ſclopetum & exploſit in illos, ut & alii duo aut tres Schiſmatici ſclopetarii, & occiderunt (aut ut ajunt ſchiſmatici, vulnerârunt tantùm) unum illorum: ad hæc cum pueri magnum clamorem excitâſſent, plures accurrerunt, & lapidibus atque ſtipitibus diſturbârunt milites: & cum vexillo eorum eſſent potiti, pueriliter ovantes, & ut erant inermes, moverunt verſus Equile Regis; cum ſubitò turma equitum (ad id jam ante parata) illis obviam venit & facile illos fugavit, *Cromwello* ipſo animante equites, ut nullis parcerent, neque viris, neque fœminis, neque pueris. Tota illa nocte ſe Apprenticii conglobatos tenuerunt in urbe, clauſerunt portas, ſed nullos excubitores appoſuerunt; ut ſatis appareret, tantum eſſe temerariam & inpræmeditatam puerorum veſaniam, non conſilium virorum: quantumvis Independentium factio in Domo Communium factum valdè exaggeraverit; ut colorem quæreret ſubſecuturæ crudelitati & rapinis in urbem. Die

Lunæ

Lunæ mane Fairfaxius miſit validas copias in urbem, quæ impetu facto in puerilem hanc turbam, fugarunt & cæciderunt multos, etiam fœminas prægnantes, & alios: qua ſe inferebant, vociferantes, *Cuculi! continete vos ædibus*; & obvios quoſque vulnerantes: *Cromvello*, (qui poſtremum agmen ducebat, ſatis tutò, cum primum agmen jam plateas ſecuras feciſſet) inclamante ut urbem incenderent. Ohe *Oliveri*! quàm barbarus *Ioannes à Leyda* es factus? Ohe Londinum? quàm miſerum Monaſterium es futurum? denique miſeros & inermes hos pueros fugârunt in *Læden-Hall*, plures eorum captivârunt, nemine civium prodeunte aut ſe movente, ſed militibus permittente ſanguinarium & puerilem de illis triumphum, qui jam carcerati ſunt in Alba Aula. Hæc eſt veriſſima hiſtoriæ ſeries, non obſtante prolixa & mendaci relatione Aldermanni *Foukes*, ad Communes. Qui vir, miſeris hiſce temporibus ſatis lautè ſibi providit, & plurimum publicæ pecuniæ detinet; & cum rationes ſuas Commiſſariis rationum offerret, voluit illas dare ſub jurejurando, (ut ab aliis fiebat) allegans *Magnam Chartam, quod nemo teneretur ſe ipſum accuſare*. Videtur ſibi conſcius fuiſſe alicujus facti, quod examen jurisjurandi ferre non poterat: ſed eſt unus Piorum, & propterea *omnia Mundi bona ſunt ipſius*. Domus Communium (hac occaſione) donavit militibus ob hæc fortia facta 1000 lib. & decrevit 1000 ped. & 100 equites ad præſidium Turris Londinenſis: præſidiariorum numerum in Alba aula & Equili Regis augeri: cathenas in urbe à poſtibus revelli; & deputatos Iudices ad plures pueros legaliter occidendos. Quin & dies conſtitutus plublicæ gratiarum actioni. Non enim pudet hos Sanctos, ſanctum Dei nomen profanare impiis devotionibus, ut colorem addant ſuis molitionibus.

Baro

Baro *Inchiquinus*, præſes Munſteriæ in Hibernia, & generalis ibidem exercitus, longo tempore impetitus fuerat ab Independentium factione. *Lyſleus* (qui muneri illius inhiabat) *John Temple*, *Cromwellus*, *Broughillus*, *Arthurus & Adam Loftus*, *& alii*. Strenuè hoc egerant, impediendo omnia ſupplementa pecuniæ, apparatuum bellicorum, commeatuum, veſtium: nitebantur enim turbare & diſſolvere illius exercitum, ut liceret mittere Schiſmaticos ſuæ factionis, qui dominarentur ibi, ſicut illi hîc, & Hiberniam ſervarent ad refugium Sanctorum: atque ut hoc facilius perficerent, miſerant multos emiſſarios, eoſque illi commendârant, ut eſſent officiarii in illius Exercitu. Quod cum illis non ſucceſſiſſet, ediderunt ſcandaloſos Articulos contra illum, & infinitis modis illum provocârunt, ut incitarent illum ad faciendum, quod falſo accuſabant jam feciſſe. Verùm multa fortia illius facta poſt publicationem horum Articulorum, mendacii arguebant ejus adverſarios & confutabant omnes eorum calumnias: denique (ſub prætextu mittendi ſupplementum militum) nitebantur illum intercipere & captivum abducere: ita ut paſſus fuerit omnes convulſiones, quas falſi amici & malitioſi inimici poſſent infligere. Poſt illa (quo magis ſecretò res gereretur) miſſi tres Commiſſarii in Hiberniam, qui in actiones illius inquirerent: verùm (quaſi ex compoſito res geſta eſſet) cum Commiſſarii Briſtoliam veniſſent, circiter XII. apoſtatæ officiarii illius Exercitus, illis occurrentes, ipſos retrò duxêre. Hi feſtinârunt ad Parlamentum ante Commiſſarios; & XIII Aprilis Domui Communium retulerunt: Baronem Inchiquinum, ab expeditione in Comitatum Kerryæ reverſum, hos officiarios vocâſſe in cubiculum ſuum, iiſque dixiſſe, *ſibi propoſitum eſſe ſe declarare contra Exercitum*

ercitum & Independentem factionem in Angliâ, qui Regem ut Parlamentum detinerent sub violentia: se velle stare pro libertate Regis & Parlamenti, & libera collatione ad Pacem constituendam: exspectare se, quod omnes officiarii ipsius conspirarent cum ipso, ad tam honorabilem conatum: sed petere se ut præstarent juramentum taciturnitatis, antequam cætera ipsis aperiret. Ipsos respondisse: *se non posse jurare antequam intellexissent, an salvâ conscientia possent servare: Se velle fideles esse Parlamento.* Inchiquin. *Ita & ego fui & ero: sed ne ludite me ambiguis verbis. Num intelligitis prætensum hoc Parlamentum?* dixisse illum præterea; se correspondere cum Presbyterianis in Anglia & Scotia, tam in Parlamento, quàm extra: non dubitare se quin conatus sui bene sint successuri; sin contra, bonas conditiones impetraturum sibi & suæ parti. Se pacem velle facere cum Barone *Taffio:* & nôsse se, Independentes Angliæ in eo esse ut tractent cum *Owen-Roë-Oneal*, viro ipsis simillimo, & qui studeat bellum alere. Cum autem refutarent, se cum ipso conjungere, dimissos esse in Angliam. Eadem die & literæ *Ioh. Crowtheri* Vice-Ammiralii maris Hibernici, lectæ in Domo Communium, in eandem pene sententiam, licet non ita amplæ, quibus perscribebat, *se pene omnes portus Baronis Inchiquini navibus obsessos tenere.*

Continuò *Allenus* aurifex movit, quandoquidem Baro Inchiquinus declarâsset, se correspondere cum Presbyterianis in Parlamento, antequam agerent de inimicis foras, explorandum esse qui essent inimici intra Domum, adigendo omnes ad aliquod fœdus, obligationem aut protestationem &c. Et *Cromwellus* infit, siquidem crastino mane disceptandum erit de hoc negotio, author essem ut ii, qui contrariis argumentis conabuntur actionem producere & retardare Processus, nigro carbone notentur: cui responsum fuit, hoc tendere ad tollendum libertatem

tatem opinandi quæ eſt *anima* Parlamentorum & omnium conſultationum, & deſtructio ipſius eſſentiæ Parlamenti.

XIV Aprilis, ſuggeſtum fuit, Bar. Inchiquini filiolum octo aut novem annorum, Thiſtelworthæ Scholam frequentare, hunc obſidis loco in Turri cuſtodiendum. Verùm reſponſum fuit, neminem poſſe dare obſidem: oportere obſidem dari ſub publica fide & quadam ſtipulatione, & ita recipi, mutuo conſenſu: iniquum eſſe puerum puniri ob Patris delictum: nihilo ſecius miſſus fuit in Turrem. Baronis Inchiquini commiſſio revocata & ipſe perduellis declaratus: licet nemo juratus fuiſſet examinatus, aut quiſquam in Hiberniam miſſus ad inquirendum: Capitalis autem illius inimicus *Liſlejus* in locum ejus ſurrogatus: & fugitivi illi officiarii remunerati, quaſi acceptiſſima nova attuliſſent. Poſt illa *Reynoldus* in ſcenam reduxit quod *Allenus* ſuperiori die propoſuerat de novo fœdere &c. & declarandum, *liberum hoc eſſe Parlamentum, & ſe velle vivere & mori cum hoc Parlamento & exercitu.* Reſponſum primò, Statuto utriuſque Domus omnibus injunctum ſubſcribere Nationali fœderi: hoc eſſe verum Lydium lapidem Parlamenti, de quo convenerint ſapientes utriuſque Nationis. Multi hîc ſedent qui nolunt obedire huic Statuto; nulla itaque ratio eſt cur quis obediat vobis in aliquo ſtatuto hujus naturæ: obſervemus primò vetus, antequam inſtituamus novum. Secundò, motum fuit in hac Domo, Iuramenta Iuſtitiariorum Pacis & Vicecomitum Provinciarum abroganda eſſe, ſpero vos nolle tollere legalia juramenta, ut ſubſtituatis illegalia. Hæc Domus non habet authoritatem adminiſtrandi juramentum, multominus imponendi; æquum eſt vos aliis concedere eam Conſcientiæ libertatem quam vobis poſtulatis. Tertiò *Grayus* affirmavit vobis, Bar. Inchiquinum dixiſſe, ſe cor-

reſpondere cum Preſbyterianis in Domo, qui pacem fecerint cum Rege: ſed & Independentes tractare cum *Owen Roë Oneal:* purgent ſe hi prius, antequam illos vocetis ad examen, ne actus horum vis videatur. Quia verus Lydius lapis probandi integritatem uniuscujuſque, examinare quinam ditiores evaſerint per temporum calamitates, & vobis ſerviendo; & qui contra inopes ſint facti. Denique hæc nova machinatio ad evertendam Domum. Interea Grandes Domus partiti ſunt Regnum inter ſe, quique in ſua partitione protegentes deputatos terræ, & tributa ab illis capientes ob talem protectionem: & *Prideaux* cum ſit Rex Weſt-Saxoniæ, ejus Vice-Rex & Deputatus in Comitatu Sommerſettenſi, diſcurrens ille Colonellus *Io. Pynius*, ſæpe inſpiratus vino Hiſpanico, regit Deputatos provinciæ per inſpirationem. *Pynus* ergo cum ſuis ſequacibus, ut probaret ſe ſuperioribus ſuis, petitionem adornavit contra Regem ſubſcribendam ab incolis: qua gratias agunt Parlamento pro quatuor illis Votis contra Regem; & promittunt ſe victuros & morituros cum Parlamento & Exercitu; petuntque Comitatum liberari à malignantibus, neutris, & Apoſtatis: quo (ipſorum interpretatione) intelliguntur Preſbyteriani & viri moderati, qui nolunt ſaltare circum pyram quam Independentes accenderunt in Regno. Orientalis partitio Comitatus Somerſettenſis rejecit petitionem: in Occidentali partitione, cum *Pynus* & ei ſimiles, miſiſſent petitionem per ſequeſtratores ſuos, minantes ſe pro malignantibus habituros & ſequeſtraturos eorum bona, qui refutâſſent, multas ſubſcriptiones nacti ſunt: verùm qui ſubſcripſerant, meliùs informati, de periculo & improbitate votorum retractârunt illa per contrariam petitio nem, in qua declarant, ſubſcriptionem ſuam ad priorem petitionem adverſari ſuo Iudi-

cio

cio & conſcientiæ & extortam ipſis ſequeſtratorum terrore & minis. Hæc ignominia punxit Deputatos & aperuit oculos regioni; quemadmodum ſimilis fatuus intentatus, Henrici Milmay oculos Comitatus Eſſexiæ. Quapropter ut aliquod emplaſtrum reperiretur huic malo, Sergeantus *Wyldius* (qui ſuſpendit cap. *Burlyum*) percurrens has partes operam dedit ut congregaret conventum magnum Iuratorum Schiſmaticorum ſequeſtratorum, qui numero XIX ſubſcripſerunt petitioni: quam ille magna gravitate & comta oratione exhibuit. Hoc magna attentione Sanctorum & voluptate ſingulari audita. Colon *Purefroy* eadem egit in Comitatu Warwicenſi; *Arthur. Haſlerigus* circa Novum Caſtrum, alii aliis locis. Miſera fulcimenta labantis authoritatis. Sed pergamus.

Veneris XXI Aprilis ſtatutum oblatum Domui Communium *ad compeſcendum omnes tumultus & inſurrectiones:* (deputati Domus Derbyæ jam ante amplam acceperant poteſtatem contra hæc:) verùm reæ conſcientiæ, licet ſatis tutæ, numquam ſunt ſecuræ; (inſtar *Caini*, metuunt ne quivis obvius ipſos cædat.) Perlatum fuit poſt aliquot emendationes, in hunc modum: aliquos tres Commiſſarios habituros *poteſtatem incarcerandi & ſequeſtrandi omnes qui actualiter adhærebunt alicui eorum quo monebunt aut incitabunt movere Tumultus & Inſurrectiones, aut loquentur aut edent, quod ignominioſum ſit Parlamento, aut eorum actionibus.* Videte quæſo, hîc taxam impoſitam (parem valore omnibus quæ poſſides) cuivis levi verbo; ad ruinam ſuam & poſteritatis; ſub prætextu defendendi *Leges* & *Libertates*, & *proprietates*, redacti eſtis in meram & abſolutam ſervitutem & mendicitatem: ne quidem licet queri. Quis Tyrannus umquam fuit tam barbarus, ita inhumanus ut ſimile quid deſignaret? Tria ſunt Principia in Lege valdè ipſi chara & tangi

non patitur niſi in gravibus offenſis, & probationibus & formalitatibus obſervatis, vita, Libertas & fortunæ, ſecundum *Magnam Chartam*, *& Petitionem Iuris*, & plura alia Statuta.

Nemo impriſonetur aut diſſeiſietur niſi per legale Iudicium Parium ſuorum. Feciſtis populum fundere abundè pecuniam & ſanguinem, prætextu defenſionis Religionis, Legum & Libertatum, fruantur nunc demum eo quod tam carè emerunt: & ne differte eos prætenſa neceſſitate quam ipſi inveniſtis: omnia quæ ipſi cara ſunt, obnoxia facitis tribus Commiſſariis, qui judicaturi ſint & executuri pro libitu, ſine Lege aut aliqua formalitate illius; & tamen utraque Domus Parlamenti ſæpe promiſit abolere hos Commiſſarios, homines quorum improbitatis & ſtultitiæ ipſos & totum Regnum meritò pudet. Vetus elogium ſive character Anglicæ nationis fuit, *Hilaris gens, cui libera mens & libera lingua.* Nunc verò conpatriotæ mei, linguæ veſtræ captivæ ſunt, & corpora in carceribus, animæ in tenebris, Fortunæ in miſericordia eorum qui nullius miſerentur: *Vale Anglica Libertas.*

CATALOGVS

Eorum Membrorum quæ ab exercitu, conniventibus reliquis Membris in carceres fuêre concluſa, aut aliter à conſeſſu ſecluſa: cum jam certo conſtituiſſent Regem vitâ privare.

INCARCERATA.

Major. Gen. *Rich. Brouvne.*
Col. *Iohn Birch.*
Thomas Boughton, Armiger.
Iohn Bulckley, Armiger.
Francis Bullur, Armiger.
Henricus Cholmeley, Eques.
Iohn Cloothwoorthy, Eques. Comit. Eſſex. Malden.
Lionellus Copley, Commiſſarius.
Ioannes Creuv, Armiger.
Franciſcus Drake; Armiger. Comitat. Dorſet Waymouth.
Waltherus Earle, Eques.
Nathaniel Fines, Armiger. Oxonii Comitat. Bambury.
Gilbertus Gerards, Baronetus. Comit. Middelſexiæ.
Franciſcus Gerard, Armiger.
Thomas Gewery, Armiger.
Giles Greene, Armiger.
Harbottus Grinſtone, Baronettus.
Robertus Harley, Eques Balnei. Comitat. Herefordiæ.
Eduardus Harley, Colonellus.
Anthonius Irby, Eques. Com. Lincoln. Boſton.
Richardus Knichtley, Armiger.
Martinus Liſter, Eques. Northamton. Comitat.
Robertus Harley, Maur.
Eduardus Leigh, Colonellus.
Thomas Lane, Armiger.

Wil-

Wilhelmus Lewes; Baronettus.

Samuel Lucæ, Eques.

Eduard Maſſey, Major General.

Iohannes Merrick, Eques. Comitat. Staffordiæ.

Richard Aneſloe, Eques. Comitat. Surreyæ.

Henricus Pelhamus, Armiger. Quem virum magni nominis in illo conſeſſu fuiſſe ex eo liquet, quod abſente Oratore Lenthallo in locum ipſius fuerit electus.

Wilhelmus Prieſtley, Armiger.

Wilhelmus Prynne, Armiger.

Robert Pye, Eques.

Benjamin Ruddyard., Eques. Qui vir inde ab ipſo initio hujus Parlamenti, cum M. Grimſtono & Pymmio indefeſſam operam navavit, plures Orationes in conſeſſu habuit, atque ita ſe geſſit ut ab omnibus magnifieret.

Thomas Soame, Eques. Londinenſis urbis.

Eduardus Stephans, Armiger.

William Strode, Colonellus, Devoniæ. Comit. Bereatſton.

Iohannes Swinfex, Armiger.

Charles Vanghan, Armiger.

Eduardus Vanghan, Armiger.

Wilhelmus Wallerus, Eques. Multis rebus præclare geſtis tam bello quàm pace, ita ut merito à ſuis prædicaretur, antequam turbo ille Exercitus in ipſum & alios incumberet.

Clemens Walker, Armiger,

Thomas, Vice-Comes *Wenman.*

Wilhelmus Wheeler, Armiger. Ita ut hîc numerentur membra omnino XLV. eaque facilè præcipua dignitate, natalibus & rebus geſtis pro Parlamento, cum plenum & liberum eſſet; & Parlamentum Exercitui Leges daret, non ut jam ab Exercitu cogeretur accepere: quàm miſerè, nimium acriter contendendo pro libertate, ipſa Libertas amittitur!

SE-

SECLVSA MEMBRA

Quæ variis terriculamentis & fraudibus prohibita Domum Communium ingredi & officio suo fungi.

Mr. Peregrinus Hobbye.
Mr. Iohannes Holcroſt.
Mr. Georgius Horner.
Mr. Thomas Hodges.
Mr. Wilhelmus Iones.
Wilhelmus Knepſon, Colonellus.
Northonus Knathpole, Eques.
Mr. Iacobus Cambellus, Ducat. Cornubiæ.
Mr. Capellus Luckinge.
Martinus Lumley, Eques.
Mr. Carolus Pym.
Mr. Henricus Peck.
Iohannes Pagroue, Eques.
Philippus Parckerus, Eques. Comitat. Suffolkiæ.
Wilhelmus Playterus, Eques. Comitat. Suffolkiæ.
Mr. Pelhamus.
Thomas Pelhamus, Eques. Comitat. Suſſexiæ.
Nevillus Pool, Eques. Comitat. Wiltoniæ.
Mr. Eduardus Pooll.
Eduardus Patridge, Eques.
Thomas Parckerus, Eques.
Mr. Thomas Povy.
Mr. Henricus Oxenden.
Mr. Arthurus Aneſloo.
Mr. Arthurus Owen.
Dudlejus North, Eques. Cantabrig. Comitat.
Robertus Needham, Eques.

Mr. Iohannes Nash.
Nicolaus Martin, Eques.
Thomas Middleton, Eques.
Mr. Thomas Middleton.
Oliverus Lucas, Eques.
Wilhelmus Litton, Eques. Comitat. Hartfordiæ.
Mr. Henricus Lucas.
Wilhelmus Liſter, Eques.
Mr. Iohannes Ash.
Mr. Robertus Packer.
Mr. Iohannes Harris.
Ioannes Seimor, Eques.
Mr. Samuell Vaſſall.
Robertus Napper, Eques.
Rogherus North, Eques.
Mr. Thomas Grove.
Mr. Ioannes Selman.
Mr. Herbertus Hay.
Mr. Robertus Gennes.
Ioannes Burgen, Eques.
Iohannes Barcker, Colonellus.
Mr. Iohannes Nelſhorpe.
Mr. Willielmus Owfield.
Mr. Willielmus Ellis.
Mr. Eduardus Wingate.
Mr. Ioannes Whadden.
Mr. Thomas Waller.
Richardus Win, Eques. Comitat. Lancaſtr.
Mr. Richardus Winwood.
Eduardus Asken, Eques.
Radolphus Ashton, Eques.
Mr. Mattheus Allen.

Mr. Ioannes Alford.
Mr. Michaël Bidulfe.
Mr. Petrus Brooke.
Iohannes Booth, Colonellus.
Mr. Mauritius Barrow.
Mr. Ioannes Buller.
Ambroſius Brown, Eques.
Thomas Trever, Eques.
Mr. Simſon Thelwell.
Mr. Thomas Thinne.
Iohannes Temple, Eques.
Mr. Thomas Temple.
Mr. Ioannes Thomæ.
Mr. Samuel Terrick.
Humfredus Tufton, Eques. Cantii Comitatus. Maidſton.
Mr. Eduardus Thomas.
Ioannes Corbettus, Eques. è Prov. Salopienſi.
Eduardus Lord Clinton.
Ioannes Curſon, Eques. Darbiæ Comitat.
Thomas Dacres, Eques.
Wilhelmus Davies, Colonell.
Mr. Iohannes Dodrighde.
Mr. Thomas Earl.
Mr. Wilhelmus Edwards.
Mr. Carolus Rich.
Wilhelmus Spring, Eques.
Mr. Simon Snow.
Mr. Thomas Sands.
Mr. Georgius Scut.
Wilhelmus Lord Fitzwilliams.
Mr. Wilhelmus Hoxwiſt.
Ioannes Floid, Colonellus.

Mr. Ioannes Genninges.
Mr. Thomas Gell.
Mr. Franciſcus Gawdey.
Mr. Samuel Gardiner.
Mr. Henricus Hungerford.
Mr. Denzill Hollis, Qui haud unam Orationem in Domo Communium habuit. Deputatus Com. Dorſet.
Franciſcus Hollis, Eques. *Et diverſi alii à Domo Communium fugati.*

Habes hîc XCVIII. nominatim, inter quos quidam qui ab initio ipſius Parlamenti, authoritate, conſilio & perſuadendi facultate inter plures enituerunt. Videre eſt quàm facile fuerit Exercitui & iis qui ejuſdem factionis cum ipſis fuerunt, quicquid pro libitu concludere, & pro Actis Parlamenti venditare. Sed hoc ſuperat omnem impudentiam, quod è decretis paucorum, totius Populi Angliæ conſentientem ſententiam voluerunt demonſtrare. Omnes omnino Comitatus, & in ſingulis Comitatibus urbes & burga, quibus hoc juris eſt, mittunt ad Parlamentum ſuos Deputatos. Non tamen cum ulla inſtructione, ſed libera poteſtate conſultandi, votandi, agendi per & ſecundum Leges Regni & antiqua jura Parlamenti, unde ne quidem tenerentur rationem reddere à quibus electi ſunt de iis quæ ſecundum judicium proprium & conſcientiam ſuam votaverunt. Quis autem nunc rectè concluſerit N. N. è tali Comitatu, hoc aut illud inter deliberandum cenſuit, fuit ergo totius populi illus Comitatus idem judicium. Quàm hæc ſint abſona & periculoſa, quivis videt.

SEX

SEX SERIÆ QVÆSTIONES

Concernentes Regis Examen coram Novo Supremo Tribunali Iuſtitiæ.

I.

VTrum *Rex* trium diſtinctorum *Regnorum*, poſſit condemnari & ſupplicio affici ab uno tantum *Regno*, citra concurrentem *conſenſum*, aut contra judicium reliquorum duorum?

II.

Vtrum, ſi *Rex* fuerit poſtulatus aut accuſatus *criminis læſæ Majeſtatis*, non oporteat illum examinari aut judicari *à Paribus ſuis?* & utrum ii qui jam ſunt nominati ad judicandum, aut alii quivis intra Regnum, ſint Illius Pares?

III.

Vtrum, ſi *Rex* judicari poſſit ab ullo Tribunali, ob *proditionem* adverſus *Regnum*, non oporteat Ipſum, judicari ſolummodo in pleno *Parlamento*, modo maximè ſolemni & publico, *coram omnibus Membris utriuſque Domus*, tam honorabili via, ut *Straffordus* fuit, in principio hujus Parlamenti? Et an non oporteat Illum habere *Libertatem* & *Tempus* adornandi *plenam defenſionem*, & beneficium *docti ipſius conſilii*, in omnibus materiis *Legis*, quæ poſſint emergere, in aut circa Ipſius examen, aut circa exceptionem contra Iuriſdictionem hujus *Illegalis novi Tribunalis*, ut *Straffordus* & *Canterburienſis* habuêre?

IV.

Vtrum ſolum octava pars Membrorum Domus Communium, convenientium in Domo, ſub *Exercitus violentia* ubi reliqua membra ſunt violenter *reſtricta*, *ſecluſa* & diſperſa per *Exercitus violentiam*, repræſentantium haud ſupra

octavam partem Comitatuum, Civitatum & Burgorum Regni, citra *consensum* & contra *Vota majoris partis Membrorum*, excluſorum & fugatorum, & *Domus Parium*, ſub quovis prætextu *Authoritatis*, *Legis*, *aut Iuſtitiæ*, poſſit erigere *Novum magnum Tribunal Iuſtitiæ* ad examinandum Regem, in quo reliqua Membra, Pares & Regnum (longe major pars exiſtens) majus Intereſſe habent quam ipſi? Vtrum tale ſupremum Tribunal erigi poſſit ſine *Acto Parlamenti*, aut ſaltem ordinatione utriuſque Domus, & *commiſſione* ſub grandi Sigillo Angliæ? Et ſi non, utrum hoc proprie appellari poſſit *Tribunal Iuſtitiæ?* & utrum ſit ſuperius an inferius iis qui illud erexerunt? qui aut non poſſunt aut non audent examinare & condemnare Regem in Domo Communium; licet illam jam appellent *Supremam authoritatem Regni:* Et utrum omnes qui ſedebunt ut *Iudices*, aut agent ut officiarii in eo ad deponendum, & auferendum Regis vitam, non ſint realiter rei criminis læſæ Majeſtatis & omnes qui adjuvârunt & adſtiterunt erectioni ejus ſecundum tam irregularem modum, ſecundum Legem & Statuta hujus Regni?

V.

Vtrum illi qui ſunt *profeſſi inimici Regis*, & per *Remonſtrantias* ſuas, *Orationes* & *Actiones* profitentur, ſe *ſitire Illius ſanguinem*, *& quærere Illius vitam*, poſſint aut per *Legem* aut *conſcientiam* æſtimari competentes Iudices, ad examinandum Illum quoad vitam? Cum ſit juſta exceptio adverſus quemvis *Iuratum virum*, qui examinaturus ſit viliſſimum & pauperrimum *felonem*, & legalis oppoſitio cur debeat abſtineri; quod ſit profeſſus inimicus & proſecutor qui quærat illius vitam, & propterea haud legalis aut indifferens examinator illius, de ea.

VI. Vtrum

VI.

Vtrum judicium, & ablatio vitæ Regis; per tam illegale & arbitrarium *Supremum tribunal Iuſtitiæ*, uti hoc, non ſit ſe probaturum valde periculoſum ingreſſum, ad abſolutiſſimam *Tyrannidem & maxime* ſanguinariam carnificinam, qualis umquam audita fuerit, aut uſitata in hac aut alia aliqua Natione? & trita via, quâ doceamur, alii aliorum capita demetere donec omnes deſtruamur. Nam ſi poſſunt auferre Regis caput, citra & contra omnes regulas Legis: per eandem & fortiorem rationem ad eundem modum poterunt demetere caput cujuſvis *Nobilis*, *Paris*, *Membri*, *generoſi* aut inferioris ſubditi ob aliquam *imaginariam proditionem* aut *offenſam*, & confiſcare eorum bona, cùm nemo poſſit aſſecurare illos deſituros in Rege. Et ſi illi, quos conſtat eſſe *Majorem partem Domus Communium* (vide *Reſponſum Generalis conſilii officiariorum concernens captiva & ſecluſa Membra Ianuar.* 111. $\frac{1648}{1649}$) & propterea excluſam; aut Princeps Walliæ proximus hæres Coronæ, aut *Malignans pars*, aut alia quævis factio qualiſcunque, quæ poſſet inſurgere, aliquo tempore ſuperior evaderet, per populum generaliter ipſis adhærentem, aut aliqua diviſio Exercitus, aut alio aliquo modo, quem *Dei providentia* poſſet ſubminiſtrare (qui 1000 habet vias dejiciendi arrogantiſſimos Tyrannos, & diſſipandi validiſſimos exercitus in momento; ut fecit *Sennacheribis*, *Midianitarum & Moabitarum* & *Ammonitarum*, & plurium aliorum quorum mentio extat in S. Scripturis & profanis Hiſtoriis, & *Scotici exercitus* paucis menſibus elapſis) illi poterunt per ſimilem authoritatem & exemplar, erigere novum Tribunal, ad demetendum capita omnium Membrorum quæ nunc ſedent, & præſentis *Generalis concilii* Exercitus, & omnium *Commiſſariorum* actitantium in hoc novo Tribunali: & ita

ag-

aggredi cædes & carnificinas promiſcuè inter nos, donec omnes deſtruamurr, & fiamus ſpectaculum maximè innaturalis Tyrannidos & crudelitatis toti orbi, Angelis & hominibus & præda communibus inimicis. Poſt hanc conſiderationem, unuſquiſque ſerio imponat manum pectori ſuo, & gnaviter perpendat, quid ſanguinarius & tragicus exitus hujus novi Phalaridis tauri, aut ſibi aut ſuis poſſet afferre? & utrum quiſque *liberè natus* Anglus (præſertim nobilioris generis, & amplioris fortunæ) non extremè ſit obligatus, per prudentiam & conſcientiam, uti ſummo ſtudio, cum periculo vitæ & fortunarum ad prævortendum erectionem tam *exorbitantis* & *illegalis authoritatis*, in ipſo ortu & fundatione, antequam ſerum ſit nimis; & non patienter tolerare audacem & inconſideratum numerum præfervidorum (*vilis conditionis* & *fractarum deſperatè fortunarum*, maximam partem) è privata *malitia*, *terrore* aut propoſito ſecurandi & locupletandi ſeipſos per everſionem aliorum, quibus *meliores* ſunt *fortunæ* & *qualitates*, erigere novam ſcenam, ad occidendum *Regem*, *Nobiles*, *Parlamentarios homines*, *Generoſos*, & perſonas cujuſvis conditionis, qualis numquam audita fuit inter *Paganos* aut *Chriſtianos*, à *Creatione* ad hoc tempus, & qualis neutiquam congruit cum Anglico noſtro ſolo, jam ſatis ſuperque inundante Anglico ſanguine; & tam profunde obligato contra omnes arbitrarias & *Tyrannicas uſurpationes* & proceſſus (præſertim capitales) in manibus quorumcunque, quæ nobis conſtiterunt tanto ſanguine & Theſauro, opponendo & pugnando adverſus illas hiſce ſeptem annis proximè elapſis.

FINIS.

Seria ac fidelis

REPRÆSENTATIO

Iudiciorum Miniſtrorum Euangelii

In

PROVINCIA LONDINENSI,

Contenta

In Epiſtola eorum ad Generalem & Concilium ejus Bellicum.

Tradita Excellentiæ ipſius à quibuſdam ſubſcriptorum, Ianuar. $\frac{1648}{1649}$.

Proverb. 24. 11, 12.

Si differas ſervare eos qui trahuntur ad mortem & eos qui parati ſunt ad cædem. Si dicas, Ecce non novimus! an non qui ponderat cor conſiderat? & qui cuſtodit animam tuam, an ille ignorat? & non reddet unicuique ſecundum opera ſua?

Editum LONDINI,
Apud *M. B. pro Samuele Gellibrand, & Rad. Smith.*
1649.

& Latinitate donatum.

XUM

Seria ac fidelis Repræsentatio Iudiciorum Miniſtrorum Euangelii in Provincià Londinenſi contenta in Epiſtola eorum ad Generalem & Concilium ejus Bellicum.

QVandoquidem nuper diverſa tentamenta fuerunt facta, tam ſcripto quàm verbalibus nuntiis, invitantia Miniſtros Londinenſes, aut quoſdam eorum, ad conveniendum cum officiariis Exercitus in conſultationibus de materia Religionis: Nos miniſtri Euangelii in Provincia Londinenſi, officii noſtri putavimus talem congreſſum denegare: itaque nunc Tuæ Dominationi & tuo Concilio rationem reddemus hujus negationis, ne videamur deſtituti ea ingenuitate & candore qui omnes decet, ſed potiſſimum Miniſtros Ieſu Chriſti. Et certiores facti quoſdam noſtrarum fratrum, in collatione coram Tua Dominatione. Et quibuſdam tui Concilii[a] & in altera cum præcipuis quibuſdam tuis conſiliariis [b] jam manifeſtârunt ſe improbare, tam poſtremas actiones veſtras contra plura membra honorabilis Domus Communium, & quod publicâſtis in poſtrema veſtra Remonſtrantia & declaratione, quoad intentionem veſtram ſtabiliendi negotia Regni (uti à quibuſdam illorum accepimus) Operæ pretium putavimus manifeſtare conſenſum noſtrum cum Reverend. fratribus noſtris: humiliter rogantes, ſiquidem utimur ea ſimplicitate & libertate quæ decet Legatos Chriſti, hæc noſtra actio non ſecus interpretetur, niſi ut transgrediens Legem Chriſtianæ æquanimitatis, aut excedens limites miniſterialis libertatis: cum nobis mandatum ſit exclamare & attollere vocem inſtar Tubæ, ad oſtendendum populo ſuas transgreſſiones, & Domui *Iacob* peccata ſua.

(a) *Mr. Marſhal. Mr. Calamy. Mr. Wilthaker. Mr. Sedgwick &c.*

(b) *Mr. Wilthacker Mr. Calamy. Mr. Aſſe &c.*

Si collatio nobiſcum tantum fuiſſet deſiderata ad declarandum, utrum viæ quas hodie ingredimini, ſint congruæ Verbo Dei, (qui caſus idoneus fuiſſet qui à privatis perſonis proponeretur, & à Miniſtris Euangelii determinaretur) ultro & libere expoſuiſſemus noſtrum Iudicium (quemadmodum prædicti noſtri fratres fecerunt) de his veſtris actionibus, & quidem confirmatum è Scriptura; nimirum, quod in locum procedendi ulterius in tam improbabili curſu, teſtaremini tempeſtivum veſtrum & probum mœrorem pro eo (tam directe contrario Normæ verbi) quod hactenus egiſtis.

Et ſi ſolum ad illuſtrandum hunc caſum, collatio fuiſſet quæſita, ab initio profeſſi eramus nos convenire paratos fore, ubique & cum quibuſvis, ad aſſerendum judicium noſtrum. Verùm quaſi juſtitia viarum veſtrarum jam eſſet nobis probata, tantum invitabamur aſſiſtere proſecutioni ejus quod jam aggreſſi eratis, quod concipimus eſſe extra noſtram Sphæram; & jungendo nos conſultationibus hujus naturæ, acceſſarios nos eiſdem feciſſet; reos mali quod in illis eſt, & *participes adeo aliorum hominum peccatorum*, contra regulam Apoſtoli, qui præcipit *ut abſtineamus etiam ab omni ſpecie mali, & non habere commercium cum infructuoſis operibus tenebrarum, ſed arguere potius.*

1. *Tim* 5. 22.
1 *Theſſ.* 5. 22.
Ephes. 5. 11.

Sufficienter jam cognitum eſt (præter præcedentia delicta) quæ nuper attentata ſint adverſus legalem auctoritatem: potiſſimum per poſtremam veſtram Remonſtrantiam & Declarationem publicatam contra proceſſus Parlamenti: uti & per incarcerationem Regiæ perſonæ, abſque cognitione & conſenſu Parlamenti, & illam inauditam violentiam oblatam Membris illius, prohibendo per vim ſupra centum eorum (niſi erremus in numero) à conſeſſu in Parlamento & incarcerando multos illorum: licet no-

noverimus plurimos illorum esse viros eminentis dignitatis & integritatis, & qui multa testimonia dederunt singularis sui affectus erga bonum Regni: & præter hæc habetis propositum formandi novum Modulum, tam Legum & Regiminis Regni; quam constitutionis novi *Representativi* (ut vocatis) in locum hujus & omnium futurorum Parlamentorum; subscribendi per totum Regnum sub notione *Consensus Populi:* ut declaratur in postrema vestra Remonstrantia, Novemb. 16. 1648 pag. 67. Quas omnes molitiones non possumus non judicare manifestè oppositas legitimæ authoritati eorum Magistratuum quos Deus supra nos constituit, & obsequio atque obedientiæ, quàm per leges divinas & humanas, & crebra juramenta & fœdera, illis debemus. Et propterea judicamus officii nostri esse, potius testari nos maximopere detestari hæc, quàm ullo modo (vel implicitè & interpretativè) approbare. Recordamur sententiæ Salomonis: *Time Deum, & Regem & ne misceas te iis qui dediti sunt mutationibus:* & illud Pauli *Subducite vos ab omni fratre qui ambulat inordinatè & non secundum traditiones quas accepistis à nobis:* quarum hæc una est; *Suggere ipsis ut sint subditi Principatibus ac Potestatibus, & obediant Magistratibus:* Item: *Omnis anima Principatibus eminentibus subdita sit, non enim est Potestas quàm à Deo; & quæ sunt Potestates à Deo ordinatæ sunt, quicunque ergo resistit Potestati, resistit ordinationi Dei, & qui resistunt, ipsi sibi condemnationem ferent.* Timor igitur Dei (cujus ordinatio violatur, cum Magistratui resistitur) terret nos communicare cum iis, qui sine ullo colore legalis Authoritatis solummodo præsumtione Virium, tentant ejusmodi mutationes, & non possumus non graviter affici dolore & stupore, quod videamus Exercitum, delectum authoritate Parlamenti ad conservationem Privilegiorum ejus, & Religionis nostræ,

Prov. 24. 21.
2 Thess. 6. 3. ἀτάκτως
Tit. 3. 1.
Rom. 13. 1. 2.

ſtræ, Legum & Libertatis, contra fidem ſuam & multas obligationes, ea facere quæ tendunt ad manifeſtam ſubverſionem eorum omnium.

Haud excidere nobis declarata fundamenta & rationes ob quas Parlamentum primum arma ſumſit, & nos inducti fuimus ut illis nos jungeremus (à quibus hactenus non declinavimus & confidimus per Dei gratiam non declinaturos.) Reminiſcimur, quod cum Rex, cum multitudine armatorum, poſceret tantum exiguum numerum (in comparatione eorum quos jam ſecluſiſtis) membrorum Parlamenti; judicatum fuiſſe horrendam violationem privilegiorum, & actionem tam injurioſam, & deſtructivam boni Regni, quale hactenus nullum habebat par exemplum; & cujus naturæ æſtimata fuerit à libero & pleno tunc Parlamento, apparet è ſtatuto Domus Commun. Ian. 3. 1641. Quando ſolummodo audientes Regem propoſuiſſe quædam ipſorum Membra captivare, declarârunt: *Si perſona quæcunque tandem, arreſtabit aut detinebit aliquod membrum Domus, niſi ante notificaverit huic Domui & ab ea licentiam acceperit, fas fore tali membro adſiſtere, & ſe defendere, & reſiſtere, ſecundum proteſtationem factam tuendi privilegia Parlamenti.* & è declaratione Ian. XVII 1642. *Arreſtatio cujuſcunque membri Parlamenti, quacunque tandem authoritate, ſine legali proceſſu contra illud, & ſine conſenſu illius Domus, cujus eſt membrum, eſt contra libertatem ſubditorum, & ruptura Privilegiorum Parlamenti; & quicunque arreſtabit aliquam harum perſonarum, aut quodvis aliud membrum Parlamenti, declaratur publicus inimicus Reipub.*

Et hæc violatio ipſorum Privilegiorum, occaſionem dedit præſidii aſſumendi, & poſtea cauſa fuit colligendi exercitum: verùm, quod exercitus ita collectus ipſorum authoritate & ad ipſorum conſervationem, nunc tantopere ſuper-

ſupergrederetur actio quæ credebatur ſine exemplo, difficulter potuiſſemus imaginari, niſi oculi noſtri teſtes fuiſſent.

Et licet ambæ Domus Parlamenti (quibus junctim cum Rege ſuprema authoritas Regni credita eſt) ſumſerint arma ad ſui defenſionem, adverſus attentata Regis & malorum ejus conſiliariorum; & ad conſervationem Proteſtantium Religionis ſtabilitæ (quæ tunc in diſcrimine verſabatur ob incrementum diverſorum Errorum & Novitatum) & ad ſecurandum fundamentales Leges & Conſtitudines Regni, quas putabant ſuffodi à diverſis illegalibus irruptionibus: Verùm hæc non poſſunt patrocinari vobis (qui in relatione ad poteſtatem Magiſtratus, tantummodo privati eſt) ad uſurpandam authoritatem ſuper Regem & Parlamentum) & vos immiſcendum negotiis, quæ ad vos non pertinent. Nam Leges Dei, Naturæ & Vationum, unà cum dictatis Rationis, & communis conſenſus omnium Caſuiſtarum, concedunt hoc iis quibus exercitium ſupremæ auctoritatis creditum eſt à ſtatu Regni, quod non permittunt multitudini privatarum perſonarum, licet potentiam habeant illud efficiendi. Præterea, licet Parlamentum ſumeret arma ad defenſionem ſuarum perſonarum & privilegiorum, & conſervationem Religionis, Legum & libertatis: tamen non erat eorum intentio inferre violentiam Regis perſonæ, aut ſpoliare illum Regia ſua authoritate, & quod jure ipſi debetur (ut liquet ex quamplurimis eorum declarationibus:) multo minus erat ipſorum propoſitum ſubvertere univerſam Machinam & fundamentalem conſtitutionem Regiminis in hoc Regno aut dare poteſtatem & authoritatem aliquibus hoc faciendi.

Ei propterea ducimus nos obligatos comparere pro defenſio-

fenſione Religionis, Legum & Libertatum; conſtitutionis, poteſtatis & Privilegiorum Parlamenti & Regiminis ſtabiliti in Regno: tam ab una parte, contra omnia malignantium conſilia & Machinationes ad introducendum Arbitrarium & Tyrannicam poteſtatem in Regem: quàm ab altera parte, contra omnes irregulares & licentioſos Proceſſus privatorum, qui tendunt ad illorum ſubverſionem, & introductionem Anarchiæ, confuſionis, prophanitatis & irreligioſitatis.

Tenemur autem eo firmius adhærere prioribus noſtris principiis propter diverſa Iuramenta & fœdera generaliter ſumta per totum Regnum; & ob proteſtationem May 5. 1641. in qua in præſentia Omnipot. Dei, *promittimus, vovemus & proteſtamur, ſecundum officium fidelitatis noſtræ, conſervare & defendere, vitis noſtris & fortunis, Majeſt. ſuæ regalem perſonam, Honorem & ſtatum, & poteſtatem & Privilegia Parlamenti.* Quemadmodum per Votum & Fœdus, in quo Domini & Communes declarârunt; *quod fuerit proditoria & horrenda machinatio intercipiendi civitates* Londinum & Weſtmonaſterium, *cum ſuburbiis: & armis cogendi Parlamentum*; & *invenientes per conſtantem experientiam, multas vias violentiæ & fraudulentiæ quotidie tentari* &c. requirunt, *ut omnes qui ſunt fideles & amatores patriæ ſuæ, ſe ligarent inter ſe in ſacro illo voto & fœdere; in quo declaramus nos abhorrere & deteſtari impios illos & proditorios conatus, & velle ſecundùm vocationem noſtram & vires ſe illis opponere & reſiſtere*; & ſimilia illius naturæ; Et in ſolemni Liga & fœdere, *ad reformationem & defenſionem Religionis, Honoris & Felicitatis Regis, Pacis & incolumitatis Regni* &c. in quo promiſimus; *quod velimus ſincere, realiter & conſtanter, in noſtris diverſis vocationibus ſatagere, conſervare & defendere, jura & Privilegia Parlamentorum, conſervare & defendere, Regis perſonam & autho-*

rita-

ritatem, in defenſione & conſervatione veræ Religionis & Libertatum Regni; ut orbis teſtetur cum conſcientiis noſtris noſtram fidelitatem, & nos non cogitare aut intendere ſuæ Majeſtatis juſtam poteſtatem & Magnitudinem imminuere.

In quibus omnibus obligationibus, licet materia ex parte ſit civilis, tamen vinculum Iuramenti & compacti eſt religioſum, ſacrum & inviolabile. Quod licet quidam haud aliter æſtimare poſſint quàm Almanach extra datum, tamen nos illud intuemur ut Iuramentum Dei, in cujus nomen juravimus, & qui haud dubio illud à manibus noſtris requiret.

Novimus quàm zeloſo oculo & ſevera manu, Dominus vindicaverit querelam fœderis facti à Zedechia cum Rege Babylonis, licet extorti ab eo, & ipſi damnoſi. *An proſperabitur* (inquit Deus) *an evadet qui talia facit? An franget fœdus, & liberabitur? Vt vivo, inquit Dominus, ſiquidem deſpexit Iuramentum rumpendo fœdus (cum ecce dediſſet manum) non evadet.* Propterea ita dicit *Dominus Deus; Vt vivo, ſane juramentum meum quod deſpexit, & meum fœdus quod rupit, recidet in ipſius caput.* Non audemus itaque (quando habemus vitam in manibus noſtris altiſſimo Deo) per violationem juſtioris juramenti, provocare indignationem Domini contra nos, qui eſt ſcrutator cordium omnium, & cui rationem reddituri ſumus in Magno illo die. *Ezech.* 17. 14. 15. 18. 19.

Quare in loco jungendi in conſultatione vobiſcum; ſedulo vos obteſtamur in nomine Domini noſtri & Magiſtri Ieſu Chriſti, cujus legati ſumus: ut velitis conferre cum cordibus veſtris, conſiderareque malitiam præſentium veſtrarum viarum, & reverti ab iis; recordamini unde excideritis, reſipiſcite & facite priora veſtra opera: fuiſtis ante honorabiles & pretioſi in oculis noſtris & aliorum ſervorum Dei, cum viam Dei cuſtodiretis, & intra ve-

ſtram ſphæram verſaremini; habebatis corda noſtra, auxilia & preces pro ſucceſſu in ea, verùm eheu! eclypsâſtis propriam gloriam & induxiſtis nubilum Excellentiis veſtris. Ambulatis jam in aviis veſtris propriis, in quibus non audemus dicere, *Benedictio Domini ſit ſuper vos, benedicimus vobis in nomine Domini, neque precari ut Deus vos proſperet, ne ſumus participes malefactorum veſtrorum.* Loco conſervandi veritatem & puritatem Religionis & cultus divini; veremur; vos aperire januam damnabilibus & deſperatis erroribus & hæreſibus contra veritatem Dei, & multis impiis machinationibus adverſus cultum & vias Dei. Quo pacto Religio fœtet propter veſtras offenſas & veriſimilis evadere opprobrium toti Chriſtiano orbi? quàm obductæ ſunt facies fidelium Dei Servorum ignominia, & eorum corda repleta propter hæc triſtitiâ & anguſtiâ? quo pacto aurea cathena regiminis diſrupta eſt? Honor & authoritas magiſtratus convecta in pulverem? quomodo Parlamentum, quod ſuſtinebat vim & oppoſitionem profeſſorum inimicorum multis annis, factum eſt contemtibile & diſruptum in partes à profeſſis amicis in uno die? Non poteſtis ignorare quàm plenè & frequenter Dei verbum commendet & præcipiat obedientiam & ſummiſſionem Magiſtratibus reddendam; prohibens & condemnans (idque ſub pœna damnationis) ejuſmodi molitiones quales veſtræ ſunt. Itidem quàm ſeveræ comminationes & exquiſita Iudicia Deus denuntiârit & inflixerit contemtoribus ſuæ ordinationis. Noviſtis quantum cauterium inurat Apoſtolus Iudas, iis *qui deſpiciunt Dominationes & male loquuntur de dignitatibus: Væ illis*, inquit, *ambularunt enim in via* Cain, *& currunt ſtudioſe poſt errorem* Balaam *pro mercede, & pereunt in contradictione* Corah.

Pſal. 129. 8.

2. *Ioan* 11.

Iud. ver. 8. 11.

Nôſtis exempla *Corah, Datham* & *Abiram*, in tumultuoſa

ſa ipſorum rebellione & libratore propoſito adverſus Magiſtraturam & miniſterium in perſonis *Moſis* & *Aaron: nimium vobis aſſumitis*; (inquiebant Moſi & Aaroni) *ſiquidem tota congregatio eſt Sancta; quare igitur effertis vos ſupra congregationem Domini?* quam Moſes non veretur appellare, *congregationem adverſus Dominum* & monet populum vitare eorum conſortium, *diſcedite à tentoriis horum impiorum, & ne quicquam illorum attingite, ne conſumamini in omnibus illorum peccatis:* poſt quæ terra aperuit os ſuum, & devoravit illos, cum omnibus quæ ad illos pertinebant; & tamen erant in illa rebellione conſiderabilis numerus eminentium virorum, *ducenti & quinquaginta principes congregationis, famoſorum in Congregatione & viri magni nominis.* קרשים

Num. 16. 3. 11. 26. 32. 33.

Et conſonans tenori Scripturarum in hoc, ſemper fuit conſtans judicium & doctrina proteſtantium Theologorum tam domi quàm foras, cum quorum judicio nos plenè concurrimus; reprobantes, deteſtantes & abhorrentes improba & ſanguinaria axiomata & praxes Ieſuitarum (peſſimos Papiſtarum) quoad oppoſitionem adverſus legitimos Magiſtratus à privatis perſonis, & cædem Regum à quibuſvis, licet ſub maximè ſpecioſo & colorato prætextu. Quæ Ieſuitica principia & conſilia verentur habere minus magnam concurrentiam ſi non influentiam in has poſtremas tranſactiones.

Nunc ſeriò vos obſecramus, & ut in conſpectu Dei, ut examinetis corda veſtra & vias, & cum vobis ipſis agere ut *Nathan* egit cum Davide. Ponite caſum; quædam alia pars in Regno, cujus principia non erant congrua veſtris, attentaverit acta qualia vos perfeciſtis; & captivarunt Regis perſonam, & duxerunt illum à loco ad locum, citra & contra illius & Parlamenti conſenſum an non judicâſſetis intolerabilem contemptum, illius & horum authoritatis?

ritatis? Ponite caſum, ipſi & ipſorum adhærentes, attentârunt removere excubias à Parlamento, captivârunt & excluſerunt magnum numerum Membrorum, concinnârunt & promoverunt novos modulos de ſuo, deſtructivos eſſentiæ hujus & omnium Parlamentorum; & ſimilia alia: appellamus ad conſcientias veſtras, quos clamores, quas accuſationes non intentâſſetis! Et ſi in aliis condemnetis *factum*, det Deus vobis oculos ut videatis, qui ſint *homines*. Fuitne aliquando ſummum crimen, ſtudere fundamentales Leges Regni ſubvertere, diſſuadere vocationem, aut ſuadere diſſolutionem Parlamentorum: favere Arminianis, & connivere ad Papiſtas, & poteſtne jam eſſe laudabile machinari ſubverſionem univerſarum Legum & totius Regiminis Regni ſimul & ſemel; & loco tolerandi paucos errores (ut veremur quidam inter vos conari) totalem impunitatem inducere & univerſalem tolerationem omnium Religionum? *Nolite falli, Deus non irridetur.* Novit quàm frequenter hoc condemnetis ut magnum crimen in aliis, quod velletis in vobis reputari virtutem; ſed Deus qui non reſpicit Perſonas, non approbat
Rom. 1. 32. ejuſmodi normam. *Qui noſcentes judicium Dei, quod qui talia agunt digni ſint morte, non ſolum eadem faciunt, ſed etiam patrocinantur aut conſentiunt facientibus ea, in judicando alios, ſeipſos condemnant. Et putas ne, ô homo, qui judicas eos qui hæc faciunt, & facis eadem, te evaſurum judicium Dei?* non ſane,
Rom. 2. 2. *ſcimus Iudicium Dei eſſe ſecundum veritatem, adverſus eos qui talia agunt; qui redditurus eſt unicuique ſecundum opera ſua; Non enim eſt acceptio perſonarum apud Deum.*

v. 11. Vellemus vos non nimium confidere ſuperioribus ſucceſſibus. Si Deus fecit vos proſperè agere cum eſſetis in via illius, hoc non poteſt vos excuſare ambulantes in propriis viis & vobis promittere ſimiles ſucceſſus: quinimo,

mò, ſi permiſſione Dei (ob rationes ipſi optimè cognitas) fortaſſis bene vobis ſuccedat in mala via, hoc tamen vos non juſtificat, aut impetum dat ad procedendum in ea. Nôſtis verò, eſſe unum maximorum Iudiciorum, cum Deus permittit homines proſperari in viis peccatorum. Sapiens Solomon dicit nobis ex propria experientia, *aliquando eſſe viros juſtos quibus accidit ſecundum opera improborum: rurſus; quibus accidit ſecundum opera juſtorum: Eſt vir juſtus qui perit in juſtitia ſua, & eſt improbus qui producit vitam in improbitate ſua:* verùm, *quia ſententia adverſus malum opus non traditur ſubito executioni*; an *propterea cor filiorum hominum ſe confirmabit ad faciendum malum*? Deus prohibeat. Eccl. 8. 14. Eccl. 7. Eccl. 8. 11.

Propterea dei Providentia (quam toties advocamus ad juſtificationem viarum noſtrarum) non eſt certa norma ſecundum quam ambulemus, potiſſimum in ejusmodi actis quæ Dei verbum condemnat. Deus non approbat quicquid Providentia ejus permittit. Cum *David*, in ſpelunca, haberet opportunitatem deſtruendi *Saulem* (qui tum perſequebatur vitam ejus) milites Davidis utuntur tali argumento à Providentia, *Ecce* inquiunt, *dies de quo Dominus dixit tibi, En traditurus ſum inimicum tuum in manus tuas, ut poſſis facere ei quod bonum videbitur tibi:* verùm *David* neque ipſe auſus fuit, neque voluit ſuis permittere occaſione illa uti; ſed dicit, *Dominus prohibeat, ut faciam hoc Domino meo uncto Domini, & extendam manum meam contra Ipſum.* Rurſus, cum *David* inveniret *Saulem* dormientem intentorio ſuo, (vide Providentiam, potuiſſet *Abishai* dicere) *Deus*, inquit ille, *tradidit inimicum tuum in manus tuas hodie, quare liceat mihi cædere ipſum* &c. *Nequaquam*, inquit *David, ne deſtruas illum. nam quis poteſt extendere manum adverſus unctum Domini, & eſſe innocens?* verùm ſi ſequi providentiam tutum fuiſſet, *David* aliam viam ſecutus fuiſſet. In ſumma, ſi hoc 1 Sam. 24. 4. &c. 1 Sam. 26. 8. 9.

ſit ſufficiens argumentum, nihil poteſt eſſe peccatum, nam nihil poteſt fieri, niſi permiſſiva Dei Providentia ſubminiſtret opportunitatem.

Neque tutum eſt duci impulſu ſpiritus, aut ab impreſſionibus prætenſis in cordibus noſtris, citra aut contra normam ſcripti Dei verbi. Nam hoc modo tentationes Sathanæ, & motus ſpiritus divini mittentur in æqualem bilancem. Et deſideramus vos quoque conſiderare, an ulla Hiſtoria, ſacra aut profana recenſeat ullum exemplum impulſus ſpiritus cadentis in multitudines perſonarum eodem tempore, ſimulque impellentis ad perficiendum ea quæ ſunt contraria moralibus præceptis; quemadmodum & an tales perſonæ quæ aguntur impulſu Spiritus, poſſint præcipere iis qui illo carent (& qui ne quidem prætendunt ſe illum habere) ad faciendum illud ad quod ipſi prætexunt ſe incitari? Novimus officium eſſe Chriſtiani, probare tales inſtigationes ad verbum Dei, & examinare quàm bene cum illo congruant, ut conſequenter poſſint judicare, an ſit vox Dei, an verò vox Sathanæ, & corrupti ſui cordis, quod illam exſerit. *Ad Legem, & Teſtimonium, ſi non loquantur ſecundum hoc verbum, id fit quia non eſt lumen in illis.* Apoſtolus Petrus monet Iudæos ad quos ſcribebat, adhærere ſcripto verbo, *ut firmiſſimo ſermoni Prophetico.* Ad eandem normam, ad quam debemus *probare ſpiritus*, etiam debemus probare *impulſus ſpiritus*, aliter validè corroboramus diaboli manus contra animas noſtras, & tentamus ipſum, ut nos tentet. Si præter hæc omnia arguitis neceſſitatem ita faciendi, ne quod prætenditis glorioſum eſſe opus, poſſit everti, & propterea tentatis has vias, quas ipſi fatemini eſſe *irregulares & non juſtificabiles*; Reſpondemus, nullam neceſſitatem obligare hominem ad peccandum: Deus non eget noſtro peccato ad promovendum ſuum opus:

Ieſ. 21.28.

2 *Pet.* 1.19.

opus: *Vis loqui improbe pro Deo, & dicere fallaciter pro eo?* inquit *Iob.* Et tamen hoc argumentum neceſſitatis minimi eſt ponderis in veſtro caſu, quia, veremur, fines quos intenditis, non ſunt magis excuſabiles, quàm media quibus utimini; & neceſſitas quam arguitis aut merè prætenſa eſt, aut ſaltem contracta per proprias veſtras offenſas. *Iob.* 13. 7.

Quod ſi autem per neceſſitatem aliquando diſpenſari poſſit de aliquo Dei præcepto; tamen ſupponimus, vos ipſos conceſſuros, quod hanc neceſſitatem oporteat eſſe abſolutam, præſentem & claram; non dubiam, incertam & conjecturalem, ut ea quæ allegatur in veſtro caſu neceſſario eſt, quia tantum diſcernitur à vobis ipſis & veſtra parte. Satis nobis liquet, nuper non fuiſſe talem neceſſitatem irregularium veſtrarum molitionum: cum Parlamentum fuerit (donec à vobis vis adferretur) plenum & liberum, agens ex fœdere, & (ſi non fallimur) de quo convenerat multo ante inter Parlamenta utriuſque Regni. Præterea, obſtrinxiſtis vos per Iuramentum conſervare Majeſtatis ſuæ perſonam & privilegia Parlamenti: & clariſſimum eſt, nullam neceſſitatem poſſe juſtificare perjurium, aut diſpenſare de legitimo juramento: Tremendum illud *volans volumen* paratum arripere illum qui *falſo jurat in nomine Dei.* Exemplum ſeveri Dei judicii, ob violationem Iuramenti, habes in *Saule*, qui licet ex bona intentione, zelo ad filios Iſrael, cæcidiſſet *Gibeonitas*, (populum ante maledictum, & qui frandulenter impetraverat à Ioſuah fœdus, ante annos 200) tamen ob ruptionem illius fœderis totum regnum Iſrael, & ejus poſteritas ſpeciatim, ſeveriſſime fuêre à Deo caſtigata. *Zech.* 5. 4. 1 *Sam.* 21. 1. 2. 6.

Quapropter ſerio vos obteſtamur, ut in conſpectu Dei, recedite à malis hiſce viis, & continete vos intra proprios limites, diſcite Ioan. Baptiſtæ monitum ad milites, *Nemi-* *Luc.* 3. 14.

nem

nem concutiatis (aut neminem terrete) *neque calumniamini, & contenti eſtote ſtipendiis veſtris.* Sed ſi pertenditis in his viis,

1 Pet. 4. 15. *Ecce, peccâſtis contra Dominum, & certi eſtote quod peccatum veſtrum vos inveniet*: & cavete, ne cum manus Dei vos aſſequetur, & in vos convertet rotam, inveniamini pati non modo *ut malefactores*, ſed & ut *curioſi in alienas res inſpectores.*

Et cum ita revertemini ad officium, quemadmodum cauſam habituri ſumus laudandi Deum, ita non neceſſe erit nos metuere minas quæ quibusdam noſtrûm objectæ (non dicimus adhuc à vobis ipſis) ab internuntiis directis (ut affirmabant) immediate à vobis ad quoſdam noſtrûm; *quod ſi pergamus populum movere ad ſeditionem* (ita enim interpretamini deplorationem peccatorum veſtrorum coram Domino) *& milites nobis damnum inferant, nobis ipſis hoc imputemus: quod ſi novum bellum ſequatur, vos nolle parcere cuiquam qui contra vos eſt, vos nolle parcere viro, fœminæ aut puero, Anglo aut peregrino*: verûm ſi hæc exhortationes noſtræ non prævaleant apud vos, officio noſtro functi ſumus, & (ut ſperamus) *liberavimus animas noſtras.* Et ſi contingat nos pati, confidimus *nos paſſuros ut Chriſtianos*; & *pro benefacto*; & ejuſmodi *tribulationes fore Deo acceptas*; *in cujus oculis mors Sanctorum eſt pretioſa*: *Qui cum inquirit de ſanguine, non obliviſcitur clamoris humilium.* Et licet quibuſdam noſtrûm dictum ſit ab uno internuntiorum veſtrorum, *quod ſi nos objiciamus tribulationibus, abunde toleraturos*; tamen novimus, *Deum cui ſervimus, potentem eſſe nos liberare.* Cui, in officio faciendo, *committimus cuſtodiam animarum noſtrarum, ut fideli creatori.*

Mr. Hug. Peters

Ezech. 33. 9
1 Pet. 4. 16
1 Pet. 3. 17.
1 Pet. 2. 20
Pſal. 116. 15
Pſal. 9. 12
Hug. Peters
Dan. 3. 17.
1 Pet. 4. 19

Atque ita è zelo gloriæ divinæ, ſtudio defungendi officiis noſtris, & ſingulari deſiderio ſolatii & ſalutis animarum veſtrarum, liberè & fideliter declaravimus judicium noſtrum de poſtremis veſtris actionibus: ſi placuerit Domino dare ut operetur in vobis reformationem, erit quod

noſtræ

noſtræ & omnes Eccleſiæ Chriſti ipſi propterea gratias agant: ſin ob peccata noſtra & totius Terræ, Deus vos fecerit inſtrumenta calamitatum & confuſionum (ad quas actiones veſtræ hodie tendunt) dicemus cum *Eli*: *Eſt Dominus, faciat quod ipſi bonum videtur.* Veruntamen meliora de vobis ſperamus, & ſubſcribimus;

Ian. XVII 1649. *Servi Veſtri in Domino,*

Thomas Gataker, Paſtor Rotherhith.
Georgius Walker, Paſtor Iohn. Euangeliſtæ.
Arthurus Iackſon, Paſtor Michaël Woodſtreet.
Carolus Offspring, Paſtor Antholini.
Henricus Robrough, Paſtor Leonardi Eaſtcheap.
Nicolaus Profet, Miniſter verbi in Foſtres.
Thomas Caſe, Miniſter Maudlins Milckſtreet.
Stanleius Gower, Miniſter Euang. Martins Ludgate.
Andreas Ianeway, Alhalloios ad Mœnia.
Samuel Clarck, Miniſter Bennet-Fynck.
Thomas Clandon, Paſtor Alhallows-Barking.
Ioannes Wale, Miniſter Michaël Cornhill.
Iacobus Cranford, Paſtor Chriſtofori.
Iacobus Nalton, Paſtor Leonardi Foſterlan.
Thomas Cawton, Paſtor Bartholom. Exchange.
Ioannes Fullerus, Miniſter Butolph Bishopgate.
Franciſcus Roberti, Paſtor Auguſtin.
Wilhelmus Ienkin, Paſtor Chriſt-Church.
Elidad Blackwel, Paſtor Alhallows Vndershaft.
Wilhelmus Harriſon, Miniſter Grace Street.
Ioannes Sheffield, Miniſter Swithini.
Mattheus Haviland, Miniſter Trinit. parochiæ.
Georgius Smalewood, Paſtor Mildreds Poultry.

Wilhelmus Taylor, Paſtor Steph. Colemanſtreet.
Chriſtophorus Love, Paſtor Annæ Alderſgate.
Robertus Marcerus, Miniſter of Brides.
Radulphus Robinſon, Paſtor Mariæ Wool-nooth.
Wilhelmus Blackmore, Paſtor Petri Cornhill.
Franciſcus Peck, Paſtor Nicolai Ancons.
Stephanus Watkins, Miniſt. Euangel. Salvat. Southwark.
Wilhelmus Wickins, Paſtor And. Hubbard.
Ioannes Wallis, Miniſter Martini Ironmongerlane.
Thomas Manton, Miniſter Stoke-Newington.
Thomas Gouge, Miniſter Sepulchr.
Thomas Watſon, Paſtor Stephani Walbrook.
Nathaniel Staniforth, Miniſter Mariæ Bothaw.
Iohannes Halk, Concionator Alhallows ad mœnia.
Iohannes Glaſſcock, Miniſt. Euang. Andree Undershaft.
Thomas Whately, Paſtor Mariæ Woolchurch.
Iacobus Tice, Paſtor Buttolph Billingsgate.
Ionathan Lloyd, Paſtor Iacobi Galickhith.
Ioannes Morton, Paſtor Newinghton Buts.
Ioshuah Kirby, Miniſter verbi.
Arthurus Barham, Paſtor Helen.
Benjamin Needler, Paſtor Margar. Moſes.
Ioannes Wells, Miniſter Olav. Iury.
Robertus Matthew, Miniſter Andr. Wardrobe.

FINIS.

Ian. XVI. 1649. *Imprimatur*

IACOBVS GRANFORD.

EXCERPTA QVÆDAM

Ex

WILHELMI SEDWICK

REMONSTRANTIA

Ad

GENERALEM EXERCITVS

Et

CONCILIVM BELLICVM

In qua deteſtatur Malignum Spiritum qui illos ducit in omnibus Conſiliis & actionibus.

William Sedgwick

Excerpta quædam ex Wilhelmi Sedwick Remonſtantia ad Generalem exercitus & Concilium Bellicum.

PRoponitis & poſtulatis, *ut capitalis ille & grandis author noſtrorum tumultuum, Perſona Regis, adduci poſſit ad Iuſticiam ob proditionem, ſanguinem* &c. Duo conſiderabimus: Primò veſtram Iuſticiam. Secundò perſonam in quam adminiſtranda eſt.

Primò non eſt Iuſtitia quam vos deſideratis. ita quidem videtur cæcis & deceptis cordibus veſtris; verùm in facie Dei longè aliter apparet: aſſerere vobis *Iuſtitiam debere fieri ſecundum Legem*, & *nullam legem obligare Regem*, non vos convincet, licet aliis manifeſtum faciat vos qui prætexitis *vos contendere pro Legibus*, ſummos eſſe Legum violatores. Verùm ſcrutator cordium aliter vobiſcum aget & revelabit falſitatem & Injuſticam quæ eſt in veſtris ſpiritibus.

Secundò Iuſtitia veſtra eſt tantùm nudum nomen, mutuo acceptum ab Ethnicis ad operiendum veſtram ignominiam, malitiam, incredulitatem, terrorem & alias monſtroſas paſſiones, & fraudes quibus adverſarios veſtros ſupplantâſtis. Cum interea quamplurimos è villiſſimis & peſſimis militibus partium regiarum, atque adeo integras centurias admiſeritis in Exercitum veſtrum, quia credebatis vos iis corroborari poſſe. Sed inquitis, omittere principales & punire inferiores, non eſt juſtum: verùm parcere inferioribus ut iis utamur, & punire majores ut ſecuri ſimus ab illis, magna quoque injuſtitia eſt: vetus eſt deceptio juſtitiæ apprehendere minores delinquentes, & dimittere majores, id quidem commune & iniquum; verùm minores recipere in fœdus, favorem & ſervitium

quia corporibus eorum nobis opus est, & quærere ruinam majorum, quia inhiamus ipsorum honoribus, officiis & fortunis nova est improbitas, via non ante trita: insignis crudelitas, parcere nebulonibus hominibus servilibus nullius conscientiæ, aut honestatis, & impetere Principem qui defendit dignitatem suam, quemadmodum tenetur secundum conscientiam & honorem: hæc nimirum vestra est Iustitia de qua gloriamini.

Nunc quo ad Regem contra quem tantum clamorem excitatis, hæc dicenda habeo, ut violentiam vestram retundam.

Primò, illum habuisse & habere verum & legitimum jus in Regno & ad Regnum, adeoque bonum quàm quisquam habet ad id quod possidet: Corona ejus, Reditus & dignitas tam justè est nativum ipsius jus & possessio, quàm cujusdam Domus aut fundus, & qui hoc negat, voluntariè cæcus est. Quemadmodum Ille jus habet ad Coronam & subditos, ita Populi jus est habere Regem. Fateor jus genituræ meæ esse, habere relationem ad Regem, vivere sub magno Monarcha, & si mihi hoc denegetur, defraudor jure meæ genituræ, & voluptate honorandi Illum & serviendi illi, & vicissim recipiendi ab illo honorem, aliaque commoda profluentia ab Ipso.

Secundò Cum Rex haberet jus ad coronam & populus ejus jus ad Ipsum; æque justum erat Ipsi & Ipsius parti stare pro suo jure, quàm cuiquam alteri parti pro suo verum est, interesse Regis, & Parlamenti & Populi ita confusa esse, ut nemo separare ea posset à se invicem aut clarè definire, quid cujusque esset: verum quoque est Regem abusum sua potestate & in exercitio illius offendisse Deum & populum suum. Interea haud minus verum est, cum Parlamentum poscceret jus suum & quidem contentiose, non mi-

minus peccâſſe in Deum & Regem : ita ut ambo habuerint jus; ambo cauſas contendendi de eo, ſed utrique errârunt in tuendo jura ſua : Et propterea neque Rex ſolus liber eſt à peccato, neque ſolus reus : neque Parlamentum ſolum innocens, aut reum : ſed hæret in utriſque aliquid boni & aliquid mali permixtum : utrique à vera via aberrârunt : quare arrogantiæ eſt & malignitatis, quod dicitis *Regem reum eſſe omnis ſanguinis, rapinarum* &c ; Imo omnes ſunt rei.

Tertiò, Ajo Regem in preſenti ſua conditione, juſtiorem eſſe quàm vos : Patitur jam & agit, inque hac via juſtiſſimus eſt totius Regni.

Primò, Confeſſus eſt errorem ſuum, licet vos illum impiè urgeatis adverſus ipſum : *expreſsè* quidem agnovit peccata ſua, Parlamentum autem *implicitè*, oſtendens ſe paratum cùm ipſo redire in gratiam : verùm vos juſtificatis vos ipſos ut innocentes, cum ſitis omnium nocentiſſimi.

Secundò, Rex in tractatu multum de jure ſuo remiſit, licet aliter interpretemini ex inimicitia & ſuſpicionibus: vos & Parlamentum acquiritis ea ad veſtram ſecuritatem. Ille deſcendit, vos adſcenditis ; ille patitur, vos infligitis quicquid lubet.

Tertiò; Agnoſcit Deum in Mundo & provocat ad ipſum. Hoc principium quod vos tantopere dedignamini, multo juſtius eſt, quàm veſtrum, qui ſtudetis erigere obſcuram quandam Formam Regiminis ſine Deo ; ita juſtum ut Deo non egeat, in quo liceat nobis conquieſcere & non ultra provocare ad Deum. Rex provocavit ad Deum & Deus judicavit illum propter peccata ſua.

Quartò; Rex in iis quæ obtulit ad pacem faciendam, oſtendit paternum animum & valdè liberalem, & conatus

tus eſt omnium intereſſe comprehendere: vos verò tantummodò inſiſtitis veſtro, & illorum qui aliquam relationem ad vos habent.

Quintò & ultimò, *Rex eſt imago Gloriæ Dei Patris*, & electus à divina ejus Majeſtate, ad illam producendam: *vas honoris*, redemtum, dilectum, & aſſumtum in unionem cum Deo.

Non minima autem eſt aggravatio peccati veſtri, quod contra illum pertenditis, poſtquam Dei gratia ita publicè illum ſibi aſſumſit. Et licet Remonſtrantia veſtra adverſetur Dei Gloriæ prorumpentis in Rege, actiones veſtræ illam & promovent & promovebunt; nam afflictiones ità purgabunt & illuſtrabunt Regem, ut per excellentem Charitatem & bonitatem, nobis liberè condonaturus ſit violentiam quam erga ipſum exercetis & exultaturus in afflictionibus ſuis, gnarus tutiſſimam viam eſſe ad verum Thronum Gloriæ. *Et poſt pauca.*

Vultis Parlamentum certam habere periodum. Hoc Parlamentum percommodus fuit equus vobis; licet vehi eo quandiu vultis, & quocunque vultis, & tunc dimittere, præſcribere quid facturum ſit & quandiu. Nunc demum videmus quantum tribuatis Privilegiis Parlamenti; quàm miſerè utamini hac *Antiqua Maſſa*, ut vocatis, quam fingitis atque refingitis donec propoſito veſtro conveniat: & cum Regem de Throno depoſuerit, & conſtabiliverit novum veſtrum Regimen, tunc & ipſum dimittetis: Similes eſtis Mari, ſine limitibus, ſoluti omnibus vinculis & obligationibus ſuperiorum, & nemo poteſt coram vobis conſiſtere: conculcatis Parlamentum haud ſecus quàm Regem, incarceratis illum, Parlamentum aut cogitis facere opus veſtrum, & hinc erit periodus.

FINIS.

EXAMEN

DIVERSORVM VOTORVM,

Dominorum & Communium Congregatorum in Parlamento,

Concernentium eos qui capiunt arma contra Parlamentum Angliæ, aut assistunt in tali Bello. In quibus declaratur omnes tales esse proditores, secundùm fundamentales Leges hujus Regni; quæ XX *Iun.* 1648. *à Communibus congregatis in Parlamento, jussa sunt excudi & promulgari per Vice-comites in omnibus oppidis quæ foro rerum venalium gaudent.*

AVCTORE

ANONYMO ANGLO.

XUM

EXAMEN

Votorum aliquot Parlamenti.

INter multas irregularitates Domorum hujus Parlamenti, assumserunt sibi consuetudinem VOTA sua excudendi; quæ, licet haud legalis efficaciæ, tamen fuêre velut traduces seditiosarum suarum machinationum ad populum, ut præpararent illos proditoriis suggestionibus ad juvandum ipsarum conatus; efficacia illorum Votorum pendente ab existimatione machinatorum: verisimile autem est præsentes Domus sentire quandam diminutionem suæ autoritatis apud populum, & niti eam opinione quam populus habuit de eorum antecessoribus: itaque nunc xx Iun. 1648 utuntur Votis factis xx Mart. 1642.

Fatendum est xx Mart. 1642 populum Angliæ, magnam habuisse opinionem de honestate, sapientia, & integritate utriusque Domus Parlamenti & ipsius verbis potius quàm suo sensui, credidisse, quædam perperam se habere in regimine & à Parlamentariis remedium esse exspectandum: sed jam dudum fuit expertus, quantum ipsorum actiones & consilia differrent ab ipsorum prætensis: & nunc xx Iun. 1648 apparet etiam minimum intelligentibus, onera plebis esse multiplicata, & moderata tributa, quæ utraque Domus queritur à Rege sumta, in præjudicium ipsorum Libertatis, conversa esse in intolerabiles Exactiones, his Domibus non studentibus ulla onera levare, sed potius aggravare ad potentiam lucrandam, docentque populum, *minimum suum digitum graviorem esse, quàm Regis lumbos.*

Populus nunc videt, reverentiam & Zelum, quem habebant

bebant erga has domos, fuiſſe falſam & imaginariam deitatem, & obſequium quod ipſis deferebant, abominabile Deo, & odioſum bonis viris; faciens ipſorum filios & filias tranſire per ignem, ſubditos Angliæ pati quodvis genus miſeriarum, ut placeant huic Idolo: vident nunc nullam eſſe injuſtitiam & oppreſſionem æqualem illi utriuſque Domus Parlamenti; earum regimen arbitrarium, & earum Proceſſus tyrannidem, prætenſiones, hypocriſin, crudelitatem & inclementes actiones contra ſuum Regem & Socios ſuos ſubditos; oſtendentes ſe potius inhumanos Canibates, quàm Chriſtianos, & ipſarum multiplicatas falſitates & perjuria, excedentia profeſſos ſeductores; ſed veriſimile eſt eos putare, Vota quæ ſemel deceperunt, adhuc valere apud populum; & propterea neceſſe eſt aperire quam veritatem hæc Vota contineant quibus ita creditur, poſt tot argumenta malæ fidei eorum qui illa concinnârunt.

Primum obſervamus in titulo, ea Vota hunc habere ſtylum, *Dominorum & Communium congregatorum in Parlamento, de iis qui arma capiunt contra Parlamentum Angliæ, aut aſſiſtunt in tali bello; in quibus declaratur, omnes eos eſſe proditores ſecundum fundamentales Leges hujus Regni, & quod teneantur puniri ut tales.*

Si Domini & Communes in Parlamento congregati, ſint Parlamentum Angliæ, non opus fuit ſtylum mutare, ſed aut Vota potuiſſent vocari vota Parlamenti, aut bellum contra Parlamentum, potuiſſet vocari bellum contra Dominos & Communes; ſed ipſi probè nôrunt, utraſque Domus non eſſe Parlamentum, & ad quid ergo ſunt ipſorum Vota? non enim votant bellum contra duas Domos eſſe proditionem; & bellum Regis contra ſeipſum, non intelligunt. Sed utraque Domus, quæ vulgo vocantur

tur *Parlamentum*, ad populum decipiendum, induſtriè laboravit populo perſuadere, *duas Domos, ſine Rege eſſe Parlamentum, & in illis eſſe Majeſtatem; & proditionem adverſus illas committi poſſe*, & quam efficaciam acta Regis habent in Parlamento, eam arrogant ſuis actis ſine Rege, & vellent omnem poteſtatem annexam ipſius perſonæ in Parlamento & alibi, pertinere ad ſe, præter imò contra ipſum, quia ipſe erexit ſupremam ſuam poteſtatem in Parlamento. Ita hæ viperæ devorant ſuam parentem; & vocati à Rege ut ſint Ipſius Conſilium (quem titulum aſſumunt in ſua declaratione) & ſecundum officium ipſorum tantùm Ipſi conſilium dare, ipſi proditoriè capiunt conſilium contra Ipſum, & auctores ſunt populo ut rebellent contra Ipſum, quæ eſt ſumma horum Votorum: proditio ſine exemplo ſuperiorum ætatum & contraria prioribus ipſorum profeſſionibus & praxi. nam in omnibus commiſſionibus hujus Parlamenti ab ipſis expetitis ad ferendum Leges, expreſſe affirmatur, *nulla acta aut Statuta utriuſque domus ligare poſſe extra conſenſum Regis*, & per conſequens non eſſe Acta Parlamenti, neque utraſque domos, judicio Legis, eſſe Parlamentum.

In barbaris ipſorum Proceſſibus contra eos, qui arma tulerunt contra ipſos, offenſam eorum deſcripſêre, quod bellum moviſſent contra Regem, & molitionem Capitanei Burley ad liberandum Regem è carcere, fecerunt levationem belli contra Regem, haud ignari nullum bellum aliter eſſe proditionem ſecundum legem: quærimus ab iis, Vtrum machinatio Thomæ Fairfaxii equitis removendo ipſorum Oratorem *Pelhamum* & alia membra, & reſtabiliendo *Lenthallum* & alios, non fuerit bellum contra Parlamentum? oportet neceſſariò eſſe ſecundum ipſorum principia, aut omnino nullum eſt. nam ſtatuta fece-

runt ad revocandum ea quæ Acta erant Pelhami tempore, quo nihil opus fuiſſet, ſi non fuerat Parlamentum ex ipſorum ſententia, & tum ſequi neceſſe eſt, Excellentiam ipſius eſſe proditorem ſecundum ipſorum normam, & ipſos quoque qui illi aſtiterunt.

Nullus belli motus eſt crimen læſæ Majeſtatis, niſi contra Regem, licet actum in ſubditos ipſius in Parlamento, aut in alia acceptione; & quod facit bellum proditionem, & contra Regem, eſt defectus ipſius mandati. *Mr S. Iohn* declaravit in Oratione ſua contra Com. Straffordiæ, motum belli contra ſubditos Regis eſſe proditionem, quia eſt bellum contra ipſum; & non ſunt ipſi omnes proditores, qui bellum hoc moverunt in ſubditos Regis, non ſolum eos qui aſtiterunt Regi, ſed neutris? quodcunque motum fuerit contra Ipſius Dominia & ſubditos ſine ipſius mandato, eſt proditio; ſed inſanum fuerit propterea dicere bellum ipſius mandato geſtum eſſe proditionem. nam tum ſi victus fuerit à Rebellibus, qui aſtiterunt ipſi, forent proditores, qui bellum moverunt in ipſius ſubditos; quæ eſt ſtolida aſſertio, & probaret opprobrium illud Legis, *Victoriam ſolummodo facere proditores:* axioma quod nunquam admiſerunt Leges, nec Religio, ſed quod acceptum eſt ab improba praxi Rebellium. nam bellum movere eſt peculiaris Regis prærogativa & opus ſupremæ poteſtatis, non juriſdictio, & non pertinet ad ullam curiam aut ſenatum, & utraque Domus non poteſt ſibi plus arrogare, quàm quod pertinet ad curiam aut Senatum.

Domus Communium ordinavit impreſſionem ſuorum Votorum, & ſine dubio expectant obedientiam, quaſi eſſent decreta Parlamenti, licet ſine Rege & Dominis, numquam una aut utraque Domus Parlamenti hactenus præſumſerit imprimere; & licet credere eos hoc habere privi-

privilegium ſecundùm fundamentales leges: quod ignotum fuit ante hos ſeptem annos proxime elapſos, quemadmodum & Dominos & Communes eſſe integrum Parlamentum, aut bellum à Rege motum eſſe proditionem. Sed veniamus ad Vota.

Primum Votum; *Apparet Regem (ſeductum à pravis conſiliariis) intendere bellum gerere contra Parlamentum, quod in omnibus ſuis deliberationibus & actionibus haud alium finem ſibi propoſitum habuêre, quàm ſollicitudinem pro Regno, & omne obſequium & fidelitatem erga ipſius perſonam.*

Hi homines tantam voluptatem videntur cepiſſe in poteſtate judicandi, ut animum adverterent ad judiciariam Aſtrologiam & prædicerent futura: nam audent dicere quid Rex intenderit, cùm Salomon dicat, *cor Regis eſſe inperſcrutabile*; ſine dubio in puncto obſequii non licet ſubditis in illud penetrare, & certo poſſumus concludere; ut falli poſſunt in ſuis conjecturis de ipſius intentionibus, ita certò ſuam fidelitatem corrupiſſe in faciendo tale Votum; & properant ad certam rebellionem, ſuper incertas ſuſpiciones; Sed caſus illorum pejor eſt. propoſuerant enim, ante hanc prætenſionem violentiæ, contra ſuum Regem, & magna ex parte conciverant tumultus contra Ipſum minati ipſi populares furias, niſi conſentiret damnoſis legibus quas fecerant, coëgerant exercitum ad tuitionem ſuarum perſonarum adverſus accuſationem proditionis, curaverant diverſa membra utriuſque Domus aſſiliri, & minabantur iis; quibus minis fecerunt deſerere domos; ſurripuerant claſſem, diſpoſuerant Militiam, muniverant oppida, & nunc ad faſcinandos oculos miſeræ multitudinis, ajunt Regem intendere bellum inferre Parlamento! nullus Regum umquam majores cauſas habuit ſe defendendi, neque ullus populus minores

cau-

cauſas ipſum oppugnandi: vellent populo perſuadere, ſi ipſorum bellum ſit defenſivum contra Regem, eſſe legitimum, & ſi verum ſit quod dicunt, eſt extra controverſiam.

Si ſui ipſius defenſio legitima eſt in ſubditis contra ſupremam poteſtatem, non tenentur aſſiſtere ſuo Regi contra malefactores aut rebelles, niſi cauſâ prius cognitâ, atque ita actum eſt de regimine, & oportet obedientiam ſequi privatam perſuaſionem, non publicam auctoritatem; & Rex fruſtra proclamabit hoſtem foris, aut rebelles domi, & ſic non poteſt ſperare diu geſtare Coronam: & ſi ſubditi adhæreant inimico, Rex non poteſt bellum gerere contra ipſum, ſed primùm quærere Iudicem qui citet illum; & malefactor non minus poteſt violentiâ uti contra ſententiam Iudicis ſub prætextu injuſtitiæ, quam ſubditi contra ſuum Regem ſub prætextu defectus juſtæ cauſæ movendi bellum, cùm ſit tam eſſentiale ſupremæ poteſtatis, quam hi homines jurant eſſe in Rege, quàm civiles deciſiones cuivis tribunali: & ſi non eſſet, ut certè eſt fundamentum omnis regiminis, tamen ſecundum leges & praxin maxime irrefragabilem in Rege Angliæ, non poſſumus ſperare nos inventuros modeſtiam, ubi obſervamus infidelitatem & rebellionem; & in horum hominum iteratis remonſtrantiis, accipitur pro fundamento Legis, *Regem non poſſe facere malum:* & ſi Lex non velit ſupponere illum poſſe malè facere, poteſtne ulla Lex ſuadere ipſi bellum inferre ſub prætextu quod male faciat? & ſi per politicam conſtitutionem *cujuſvis Regni ſupremus Gubernator exemtus* ſit *à pœna legis*, ut neceſſariò debet eſſe, abſurdiſſima opinio eſt, ipſum obnoxium eſſe privatæ violentiæ, & ſi membra Parlamenti fuerint corrupta, & habeant negotiationes cum externis Principibus, Regis ſui inimicis

cis & adhæreant illis, ut magis quàm possibile est, & Rex declaret bellum contra tales personas, possuntne arma capere contra Ipsum ut se defendant? tunc omnes rebelliones erunt sui ipsius defensiones, & nemo potentior se submittet legi, atque ita necesse est sequi, si quis committat proditionem, vis qua Rex utitur ad sui conservationem, aut illorum punitio, appellabitur *bellum contra Parlamentum*, aut *contra subditos*; sed cum ordinariæ viæ justitiæ obstructæ sunt, Rex recurrit ad regiam suam Potentiam, & si consiliarii ipsius in tali casu non essent ipsi auctores ut bellum inferret ejusmodi personis, meritò judicarentur esse infideles & improbi consiliarii: & licet Rex non proposuerit sibi bellum, non obstante magna violentia ipsi oblata, ut manifestum fecit multis testimoniis & rationibus; tamen hi homines in faciem ipsi exprobrant hoc proditoriis suis votis, & addunt (*Rex seductus ab improbis consiliariis.*) expressio tam odiosa in ore & penna subditorum, ut non possit consistere cum obsequio & fidelitate, & professionibus solicitudinis pro Regnis, & præstatione officii & fidelitatis erga Regis personam, ita contradictoria illorum Votis ut non possit fidem mereri: sed fuit excogitata tantùm ad colorem ipsorum actis addendum, non autem pars est ipsorum propositi. Et cùm hæ Domus constent magno numero talium, qui neque per ætatem, educationem, aut qualitates, idonei sunt judicare de consiliis, & seducti sunt ab improbis consiliariis, ad exprobrandum Regi suo, & quærunt ejus ruinam, non magis fides ipsis habenda est quoad curam pro Regno, quod reduxerunt ad infamiam, impotentiam & mendicitatem, quàm quoad præstationem obsequii Regi suo, quem omnibus imaginabilibus contumeliis affecerunt, deposuerunt à Regimine, in carcerem concluserunt,

& nunc propter horrorem culpæ ſuæ & timorem pœnæ, machinantur quomodo vitam ipſi poſſint auferre, veneno aut aſſaſinatu; & hi impudentes nebulones vellent credi, movendo bellum in ipſum, attentando occidere & deponere ipſum, incarcerando, & afferendo vim ipſius perſonæ, non eſſe proditionem; ſed defendere ipſum, liberare è carcere, conſervare vitam illius, eſſe proditionem: ô prodigioſam imprudentiam! poſſent atque votare illum non eſſe Regem, & Angliam numquam habuiſſe Regem legitimum.

Secundùm: *Quandocunque Rex movet bellum in Parlamentum, eſſe infractionem fidei ipſi commiſſæ à populo, contrarium ipſius juramento, & tendens ad diſſolutionem ipſius regiminis.*

Manifeſtum eſt Regem juſtè poſſe inferre bellum omnibus aut aliquibus membris Parlamenti ob infideles & proditorios actus, cum ordinaria via juſtitiæ eſt obſtructa, & non eſſe infractionem fidei à populo ipſi commiſſæ, nec contra ipſius juramentum, neque tendens ad diſſolutionem ipſius regiminis, & ſi Rex ipſos oneret aut ſingulos talibus offenſis, non oportet illos ſe defendere ſed exſpectare legale examen. Confeſſa eſt veritas, illos debere examinari per ordinaria tribunalia legum, & ipſorum Vota in contrarium, nullum habent pondus aut fidem, cùm ſint contra leges, quæ non concedunt malefactori eſſe ſui ipſius judicem, aut teſtimonium ferre in propria cauſa. Vna eſt uſitatarum fraudum horum hominum, debilitare opinionem & obſequium populi erga ſuum Regem, taxare ipſum infractionis fidei Regi commiſſæ à populo, ſi exprimere jubeantur, Tempus quando hæc fides ipſi commiſſa eſſet, reſpondent ſupponi debere, cum Monarchia primum eſt conſtituta; & loquuntur quaſi omnes hæreditariæ Monarchiæ eſſent electivæ, & quævis earum eſſet fideicommiſſum: Sophiſtica plane perfidia: haud dubio

omnes

omnes Reges habent officium præſtandum, & omnes ſubditi ſperant & orant ut Illud præſtent: Verùm conſtitutio hæreditariarum Monarchiarum non includit ullam commiſſionem, quam in fabrica & conſtitutione illius formæ regiminis; & populus in principio non poterat non prævidere, poſſe fieri ut aliquando eſſent mali Reges, verùm elegit non infringere ordinem, & maluit pendere à Dei providentia, quàm aditum aperire factionibus & domeſticis concertationibus, quæ pejores ducebat, quàm accidentale unius Principis malum; & quas Status alterius conſtitutionis ſæpe inveniunt per triſtem experientiam; & ipſorum imaginaria commiſſio non habet plus fundamenti, quàm Regis proſecutionem Proditorum eſſe ejus infractionem aut bellum contra Parlamentum: Sunt officia Parentum erga liberos, ſed non ſunt commiſſiones; & in hæreditariis Monarchiis Rex eſt Rex natus, non datus, & populus non poteſt ſub prætextu alicujus criminis præcedentis, refutare illius admiſſionem; multo minus obſequium ipſi ſubtrahere ob aliquod conſequens crimen: & quemadmodum Reges bellum inferentes omnibus aut aliquibus membris Parlamenti non inferunt bellum Parlamento, ita concludi non poteſt id eſſe contrarium ulli puncto Iuramenti ipſius, cum habet talem cauſam, ut ſupra expreſſimus.

Ad diſſolutionem Regiminis. Bellum Principum contra rebelles eſt neceſſarium ad illud conſervandum; ſed rebellio adverſus Regem diſſolvit omne regimen; per eam quippe Rex fit ſubditus, omnis ejus poteſtas deſpicitur, ſubditi ipſius reguntur ab alia poteſtate, & ſubmittere ſe illi non minus peccatum eſt, quàm alicui externæ poteſtati, nam eſt deſtructiva Regiæ; & jam plane cernimus omnes leges, libertatem, proprietatem eſſe amiſſam, &

quidvis esse arbitrarium secundum voluntatem Potentiæ, & neminem obligatum se submittere alicui Magistratui, cujus potestas non sit derivata à Rege; & odiosa est usurpatio prætensæ derivatæ potestatis cùm ipsi supprimant supremam; & Exercitium supremæ potestatis à duabus Domibus committentibus in nomine Regis, idem est, ac si esset ipsorum proprium; & si sit homicidium damnare ad mortem per commissionem in ipsorum nominibus; an minus est cum committunt in nomine Regis? Non possunt prætendere se habere ullam talem potestatem in se derivatam, neque potest Regia potestas esse in utraque Domo. nam possunt dissentire ipsorum Vota, quod Regnum non potest ferre, aut ulla lex aut ratio concedere. Et si his hominibus venirent in mentem miseriæ quæ sequuntur dissolutionem regiminis, non conscidissent omnia illius ligamenta; neque darent operam impetrare Regis assensum, ad stabiliendam talem confusionem in hoc misero Regno, qualis numquam restitui possit in futurum; quærentes distrahere subditos, & prætendentes obedientiam ipsis præstitam, esse fidelitatem erga Regem, licet sit contra Ipsum; & facere bellum pro Rege, æque pœnale, quàm bellum contra Ipsum, ut hæc Vota faciunt: & qui utuntur tali potestate, rei sunt infractionis fidei ipsis commissæ à regionibus & oppidis quæ illos miserunt: juramenti fidelitatis & supremitatis quod fecerunt cum intrarent Domos; omnis sanguinis & miseriarum, quæ promanârunt à damnabili illa positione & praxi.

Tertium: *Quoscunque qui Ipsi servituri sunt aut adstituri in tali bello, esse proditores secundùm Leges Fundamentales Regni, & sunt tales judicati à duobus actis Parlamenti & debent puniri ut proditores.* 11 *Rich.* II. 1 *Henr.* IV.

Quare non exprimunt adversus quos sit proditio assistere

ſtere Regi? nôrunt non eſſe proditionem niſi contra Regem; & ſi omnia dixiſſent; incidiſſent jugulum Votis ſuis, Bellum Regis eſſe proditionem contra Regem, quod apparet ex his ſanguinariis votis tantum. nam ſi Rex habet poteſtatem inferendi bellum, poteſt judicare de cauſa illius, & ſi erret in juſtitia cauſæ, qui aſſiſtunt ipſi non poſſunt puniri quia faciunt officium, quod eſt aſſiſtere ipſi in omni bello intra Regnum. 11 Henr. VII. ſed oportebat hos dicere, *quæ aut ubi eſſent hæ fundamentales Leges*, ne homines fallerentur. Si Statutum x x v Eduard. III. eſt fundamentalis Lex, hæc non eſt proditio in illo Statuto; & ſi 1. Mar. ſit fundamentalis Lex, nihil eſt proditio, quam quod memoratur in illo Statuto x x v Eduard. ita, ſi fuiſſet ejuſmodi judicium ut ipſi prætendunt, vis ejus plane detracta eſt. Imaginari licet; multos eorum qui fecerunt hæc Vota, non intellexiſſe differentiam inter fundamentales & non fundamentales Leges, aut quenquam eorum noviſſe ejuſmodi fundamentales Leges, quales hîc ſupponunt, ſed fuit perfida machinatio quorundam ductorum hujus ſectæ, invenire verba ignoti ſenſus, ut poſſent vocare quasvis actiones crimina contra imaginarias leges, quæ ab aliquibus fuerint commiſſa, quos proponerent deſtruere, & terram eo facto fecerunt ream ſanguinis; judicantem ſecundùm leges quas non nôrunt & crimina quæ non intelligebant. *Martin*, *Lilborn* & alii volunt Fundamentalem Legem eſſe rectam rationem, & nullam rationem rectam quàm ſuam; & probabile eſt primos inventores hujus termini in Parlamento, reſervâſſe hoc ſuæ rationi. nam nemo Iudicum aut doctorum hominum umquam potuit reperire, quid per Leges fundamentales intelligerent. Sed, inquiunt, ita judicatum à duobus actis Parlamenti, primò 11 Richard. Secundi.

Accidit Parlamentis Angliæ, uti omnibus conventibus, ut quædam ſint quorum actiones non ſint imitandæ: ſunt recorda inordinatorum & proditoriorum conventuum in Parlamento & improborum decretorum ab ipſis factorum; & nemo honeſtus crediturus eſt indicia aut acta Parlamenti tempore Henr. VIII. concernentia ejus uxores & liberos, & plurima triſtia ſupplicia innocentiſſimarum perſonarum habere authoritatem: & hi homines declarârunt in hoc Parlamento, ſe opinari Parlamentum quod depoſuit hunc Richard. II aut alium quemvis Regem non fuiſſe legitima Parlamenta, quod intelligi debet aut quia illegitimè erant vocata, aut ob proditoria ipſorum Acta, & hoc Parlamentum 11 Rich. II. congregatum fuit à proditoria & prædominante factione in bello ut illud fuit, & ejus auctoritas fuit tantùm vis & acta ejus infidelia & extorta, & fuerunt fundamentum diſtractionum regni illius Regis, & proditoriæ illius depoſitionis & execrabilis cædis, & hi Votatores eligunt inſiſtere illius veſtigiis, & nemo poteſt dubitare quin progreſſuri ſint ad eundem finem niſi impediantur; & tamen ipſorum caſus ita eſt deſperatus, ut non poſſit defendi niſi per odioſum hoc exemplum, cum hi homines exceſſerint vel peſſimos proditores; & licet prætendant quod nondum occiderint ſuum Regem, non deeſt ipſis voluntas, ut apparet ex methodo ipſorum proceſſuum, ſuper detectione ipſorum moliminum contra illius vitam. Infelix ille Princeps Richardus II. Iuvenis venit ad coronam, & diſtrahebatur & ſupprimebatur à potentia ſuorum avunculorum & aliorum magnorum Principum ſui ſanguinis, & impediebatur à factionibus potentis Nobilitatis, qui tum conſtituebant conventum Parlamenti, ad perficiendum ſua ambitioſa propoſita, & cogebant Regem committere magnas co-

copias quibuſdam Ipſorum, quibus facti ſunt ipſius Domini; & coëgerunt copias contra illum & ſuperârunt ipſum: occiderunt & deſtruxerunt plures fideliſſimorum Regis ſubditorum; coëgerunt illum convocare illud Parlamentum ann. 11. & egerunt tumultuariè & rebelliter in eo; & minati ſunt deponere Regem niſi aſſentiretur, decreto ad poſtulandum & puniendum diverſos, quos accuſabant conſpirationis ad deſtruendum Regem (notum mendacium) ſed nulla eſt mentio, eos fuiſſe accuſatos quod adſtitiſſent Regi gerenti bellum contra Parlamentum, cùm nihil tale eſſet: inſanum quippe foret credere Regem voluiſſe bellum movere contra Parlamentum (intellige Domos) quod poſſet ſolo halitu diſſolvere; nec ulla mentio fundamentalium Legum, ſecundùm quas talis caſus eſſet proditio, tam improbè falſi ſunt hi homines in ſuis Quotationibus. In eodem Parlamento itidem generalem Proceſſuum ſuorum abſolutionem à Rege impetrârunt, ob hanc cauſam, quod acta eſſent omnia ad ſalutem regni; (ſecundum ipſorum opinionem) judicet nunc quivis honeſtus aut intelligens, hæc legens, ubi proditio hæreat, in iis quibus ita fuit condonatum, an verò in iis qui illegitimè fuerant deſtructi: Et cum Henricus IV unus præcipuorum conſpiratorum contra illum, & depoſitorum illius, confirmet in ſuo Parlamento, (poſtquam incaceraverat legitimum ſuum Regem) Acta illegalis illius Parlamenti, nemo aliter poteſt judicare quàm illum aſſecurare voluiſſe improbam ſuam uſurpationem, & antecedentem proditionem; & non eſſe alicujus autoritatis, ſed & nullius uſus in præſenti quæſtione. Et ſi non haberemus clariores demonſtrationes corruptionum horum hominum, ſolus uſus hujus odioſi exempli, ſufficienter poſſet inſtruere omnes homines quid intendant; & triſtis hiſtoria ſucceſſuum deteſtabilis illius uſurpationis poſſet nos monere

ad

ad prævortendum horum hominum progreſſus; nam poſt annum illum 11 Richardi II. Regnum nullam habuit quietem pene centum annis, perpetuæ factiones fuêre inter nobilitatem, ſanguinaria ſupplicia eorum quos uſurpator ille metuebat, continui tumultus & aut civiles diſcordiæ Domi aut bella foràs, quæ non deſierunt niſi in finalem exſtirpationem numeroſæ lineæ maſculinæ noſtrorum Regum, deſtructionem familiarum maximæ partis Nobilium, præter magnam mutationem animorum humanorum. natio enim facta fuit barbara, & plurimæ inhumanæ crudelitates & injuſtitiæ, quæ quotidie occurrebant, horrorem poſſunt incutere cuivis honorato, pio & honeſto, qui modò intuetur ejuſmodi conditionem, quam hi Votatores magna menſura jam introduxêre.

Atque ut concludam, conſentiunt prioribus Votis, & opinantur id quaſi duplex teſtimonium ut ſtatuta 11 Rich. II. & 1 Hen. IV. & cum antè ridiculis querelis uſi fuiſſent de Regis propoſito, rumoribus, terroribus ut bellum hoc in Ipſum aggrederentur, nunc perſeverant in iiſdem impudentibus exclamationibus, cum Illum incarcerârunt, & dethroniſârunt; æque fides ipſis haberi poteſt, ſi votent aut Regem non eſſe in carcere, aut ſe non moviſſe arma contra Ipſum; quàm cum votant bellum contra ipſos ad liberandum Regem, eſſe bellum contra Parlamentum; Niſi proditionis ſibi conſcii fuiſſent, numquam hæc Vota fuiſſent, neque hoc bellum. Sed potentiam nacti ſunt, & hæc eſt ipſorum Lex: quamvis ſperandum ſit Regnum ipſorum acquiſitum per perfidiam, & exercitium per tyrannidem brevi finem accepturum, & tunc tam odioſi futuri ſunt ſibi ipſis, quàm inſolentes fuêre erga alios, & ut *Caini* maledictioni obnoxii ſunt, ita optabunt illius ſignum, ne quivis obvius ipſos occidat.

FINIS.

RELIGIOSA ET FIDELIS

PROTESTATIO

IOHANNIS GAVDEN
S. Theologiæ Doctoris,

Adverſus præſentia declarata propoſita & Proceſſus Exercitus & aliorum, ad judicandum & deſtruendum ſupremum noſtrum Dominum

REGEM.

Miſſa ad Colonellum quendam, ut præſentetur D. FAIRFAXIO & Bellico illius Concilio, quinto Ianuarii 1648/1649.

John Gauden

Secundum exemplar excuſum

LONDINI apud Richardum Royſton.

Ad Lectorem.

NVlla vanitas aut oſtentatio audacis & inopportunæ libertatis (quæ nequaquam merentur ut quis incurrat pericula aut offenſam) ſed ſolummodo obſequium & integritas, præcipiens mihi ſine metu habere rationem gloriæ Dei, & conſcientiæ meæ erga Deum & homines, perſuaſit mihi hoc ſcriptum publico dare, quod nuper, cum omni humilitate & charitate, tradidi in manus Colonelli (mihi amiciſſimi) ad Excellentiam ſuam & reliquos Conſiliarios bellicos: ſanè, perſuaſus ſum Deum requirere & expectare (in generali hac perplexitate ſpirituum humanorum, qui Exercitum reſpiciunt, magis cum terrore, quàm amore aut charitate, quod à me alienum eſt) ut quidam repente aſſerant tam ipſius juſtitiam, quàm ſuam integritatem inter & contra perverſas motiones aliorum, in hac perverſa generatione, qui parant affingere Deo & Chriſtianæ reformatæ Religioni, tam adulteros, deformes & prodigioſos eventus, quales umquam homines mundani animo conceperint, & eorum infrenata potentia produxerit, aut Sol aſpexerit. Quapropter, neque ſilendo, multo minus aſſentiendo, me decet partem habere in obſtetricatu tam monſtroſi fœtus, qui videtur minari ruinam Regi, & ſubverſionem fundamentalium conſtitutionum Parlamenti, Legum & Libertatum. Proximum, proditioni & cadi Chriſti, fuit eorum peccatum, qui aut abnegârunt aut illum deſeruerunt. Impetuoſus torrens præſentis potentiæ, egreſſus eſt omnes ripas antiquarum & legalium formarum, ita ut negotia jam diffuſa videantur in tam generales & populares fluctus, ut coërceri non poſſint, niſi à communi populi aſſenſu aut diſſenſu. Durum eſt, Si in tanta hominum multitudine, omnia noſtra juramenta, proteſtationes & fœdera, ſacra & civilia vincula, non poſſint tantum impetrare à fidelibus & religioſis ſubditis, ut uno atque altero verbo decenter & opportune ſe interponant,

cum (ut Deus vivit) tantum paſſus videtur inter vitam ſupremi noſtri Domini Regis, & violentam mortem. Videor mihi audire Majeſtatem ipſius in agone ſuo, ſolitudine, & expectatione violentæ mortis, interpellantem me & omnes alios ſuos ſubditos: Vos qui non credebatis vitam meam quæri in fundo hujus belli, verùm ſecuritatem meam & honorem; vos qui nunquam pro me pugnâſtis, & tamen profitebamini vos abhorrere à pugnando deſtinatè contra me, aut deſtruendo Me: an non poteſtis aut non audetis unum verbum proloqui ad vitam meam ſervandam; & animas veſtras? an veſtrum ſilentium videbitur ſuffragari ipſorum ſententiis, qui prætendunt ſe poſſe & velle me perdere, quia id placet vobis & toti generalitati populi mei?

Ad me quod attinet, uti ſpero me communionem habiturum cum Deo in Chriſto, nolo communionem habere cum tam enormi peccato, cæde Regis, ſed teneor illud coarguere & plane contra illud proteſtari, quodcunque illius peccatum ſit; tamen non opinor illum obnoxium cujuſquam tribunali, præterquam Dei cujus deputationem, authoritatem aut commiſſionem, nullo modo poſſunt (quantum video) producere, ad ſatisfactionem cujuſvis religioſæ mentis, ii qui hodie præſumunt Ipſum examinare, Iudicare, condemnare & deſtruere, ſolummodo quia eſt in ipſorum poteſtate. Cum Dei commiſſio probans ejuſmodi actum, debeat habere non tantùm imaginem prævalentis poteſtatis ab una parte (quam etiam flagitioſiſſimæ actiones ſæpe habent) ſed etiam ſuperſcriptionem verbi ipſius, & expreſſam ſignaturam ejus voluntatis: ab altera parte, Municipali Lege à quibus omnis poteſtas derivatur, limitata & præcipiens agere cum moderatione & Iuſtitia.

Precor Deum, ut refrenet potentiam, molliat corda ut fruſtra fiant hæc propoſita quæ mihi videntur tantum trahere à peccato, Inferno & horrore, ut ſi actores odiſſem præ omnibus hominibus, (quos, Deus novit, amo, eorumque me miſeret & oro pro ipſis)

non

non posſem odium meum majore argumento demonſtrare, quàm optando eos implicari & ſinendo eos progredi, & ita adimplere menſuram ſuorum peccatorum, deſtruendo Eum, pro quo ſemper didici & nunc maxime officium meum opinor, altiſſima voce clamare: DEVS! SERVA REGEM.

Ita clare punctans ambiguum illum verſum, quod pars maxima hominum timet facere:

REGEM OCCIDERE NOLI. TIMERE BONVM EST.

Ian. x. 1648 Styl. Angl.

IOHANNES GAVDEN.

Ad Excellentem

D. FAIRFAXIVM

Et Generale ejus Concilium Bellicum.

HOnorabilis, & honorati Generoſi, Potentia veſtra & actiones reddunt vos terribiles, ſed candor & affabilitas quam dicitis vos omnibus impendere, facit vos acceſſibiles, & invitat vos compellare etiam illos qui à vobis diſſentiunt. Ego viliſſimus ſum multorum, ad conteſtandum vobiſcum & impediendum veſtros Proceſſus: tamen ſiquidem quidam veſtrûm heri me invitârunt, aut alium quemvis, ad liberam declarationem noſtrûm judicii, in ordine magnorum negotiorum quæ agitis, in quibus licet vos, maxime implicemini ut principales, tamen ego & alii videmur involvi in ſuceeſſu veſtrarum actionum, tam in temporali quàm æterna ſalute, ſi aut probem aut diſſentiam. Humiliter obteſtor vos, ut citra indignationem veſtram mihi liceat uti ea libertate quam Deus & ratio mihi concedit, & vos nondum prohibuiſtis mihi aut aliis. Potuiſſem utique melius & ſecurius in ſilentio tremere, & humiliter adorare Iuſtitiam & Potentiam Magni Dei, quam per vos cœpit & adhuc poteſt promovere contra peccata hujus Nationis; ſed conſidero non vos tantum, ſed & me rationem reddere debere Deo & hominibus, de iis quæ vos agitis & quibus ego videor aſſentiri, in rebus tam enormibus, & tantæ conſequentiæ, tam in hoc ævo, quàm poſteritate. Non ignoratis eventum & ſucceſſum eſſe magnum laqueum judicii, ſi cor non vigilantiſſime attendat, & non aſſiduè precetur à Deo ſapientiam & gratiam, quæ maximè cernitur in utendo ſucceſſibus

ceſſibus humiliter & decorè, ad promovendam Pietatem & Charitatem.

Proſpera potentia difficulter fert ſe moderatis limitibus coërceri, aut ſeipſam ſuſpicere, ſive, ne careat, aut prætergrediatur lineam & limites Iuſtitiæ; cingitur à multis applaudentibus & adulatoribus, qui facile aliter interpretantur ipſum factum, aut audaciam in agentibus, quoad normam Iuſtitiæ, & interpretantur Dei permiſſionem, ejus quod eſt verè improbum & injuſtum, illius approbationem & teſtificationem ipſorum Iuſtitiæ. Cujus, (id eſt humanæ Iuſtitiæ) regulam puto fixam & immobilem, aut in expreſſo Dei verbo, aut ſtabilibus Legibus humanæ ſocietatis; per quas ejus Providentia,(ad bonum hominum) per vias publici & Nationalis conſenſus, clare produxit lumen communis & politicæ rationis, quæ tantum obſcure lucet in hominum cordibus, ſingulatim & privatim: divina bonitate coërcente per has publicas & ſtabiles regulas, exorbitantes illas varietates, in quas hominum privata Ratio, voluntas & potentia proclives ſunt erumpere, ad implendum particulares libidines, ad injuriam proximorum & detrimentum publici boni: fateor me non poſſe determinare apud me, ex ulla re hactenus publicata, neque ex ullis fundamentis divinarum aut humanarum Legum, aut veſtris declaratis principiis, ut ullo modo juſtificem ſuperiores & nuperas veſtras actiones, ſine & contra mentem utriuſque Domus Parlamenti; nihilominus multum divinæ lucis intueor in ipſorum & veſtrûm tenebris, & ipſius ordinationis & gloriæ in his communibus Confuſionibus. Verùm ſunt multi qui judicio pollent præ me, qui ratione privilegiorum ſuorum magis perſonaliter tenentur vindicare & aſſerere illa adverſus oppreſſiones violentas, qui haud dubio parentes & fontes

veſtræ

veſtræ poteſtatis, ut militum, & quorum Commiſſio, tam limitare quàm licentiare apta eſt militares veſtras actiones.

Quod admiſſum eſt contra Domus, ſolummodo admittit ejuſmodi remedium & reparationem, qualem Providentia opportunum judicabit concedere.

Id, quod animam meam afficit ſummo horrore & ſtupore, eſt, quomodo propoſitum veſtrum declaratum contra Regem reconciliari poſſit, aut cum bona opinione quam vellem retinere de vobis, aut cum illa communi lenitate & obſequio, quod vos atque ego Majeſtati ſuæ debemus.

Iuſtitia, quam prætenditis contra Ipſum, maxime controverſa mihi videtur, tam quoad materiam aut meritum, quàm quoad formam & modum agendi: Siquidem nulla poteſtas, quam noverim, ſub cœlo, aut inveſtivit vos aut poteſt inveſtire, ea auctoritate ad agendum id quod videmini intendere.

Leges hujus Regni (præſumo vos confiteri, & alii evidenter evicerunt) planè contra vos faciunt, dantes nulli ſubdito, in quocunque caſu, judicialem poteſtatem in vitam ſui Regis, aut ejus ſuperioritatem.

Verbum Dei (quantum mihi dedit ejus intellectum) neque dat ullum præceptum, neque commendat ullum exemplum, in hoc genere, quod imitemini, ſed in utroque abſolutè refragatur: ignorare nequitis Davidis conſcientioſam & generoſam reverentiam, ad Saulis incolumitatem & vitam, quem relinquit Dei judicio; neque per uſurpationem poteſtatis, ſucceſſum aut oportunitatem vindictæ, patitur ſe tentari, ad præveniendum manum Dei.

Numquam quiſquam in Eccleſia Dei, alicujus nominis ob pietatem & ſanctitatem, memoratur aliquid violenter

egiſſe

egisse contra legitimum suum Regem, ut in confesso est nostrum esse: nunquam Christus aut ejus Apostoli, per praxin aut præceptum, vel minimum intimavit voluntatem sui Patris congruere cum eo, quod vos declaratis vos intendere: quinimo, plenissime persuasus sum in animo meo, Servatorem nostrum Iesum Christum si jam in terris ageret, omnino adversaturum vestris consiliis & actionibus in hoc puncto: secundum quam illius mentem, doctrinam & exemplum, omnes Christiani qui verè timuerunt Deum, etiam honorârunt suos Reges.

Talis fuit violentia prætorianorum militum, Ianissariorum, Mamalucorum; eorum qui sequebantur Cæsarem, aut Syllam, aut Marium, qui ignari fuêre mentis Dei in Christo: at numquam cujusquam Christiani militis, viventis sub potestate divinitatis.

Ita destituti omni auxilio, à Dei verbo aut legibus humanis, quoad regulam aut exemplum, ad probandum id quod vos meditamini perpetrare per viam expositam tot horrendis gravaminibus: Sanè crederem me non solum infinitè peccaturum si vobiscum sentirem; sed ipso silentio meo vos proditurum (cætera fortes viros) quantum in me est; tam grandi & pene inexpiabili peccato; siquidem destituti claris fundamentis, necesse est vos peccare contra claram lucem quæ vos illuminat, & contra Processus vestros: & animis vestris debeo & offero majorem charitatem, juxta meæ ipsius salutem.

Præterea, per silentium meum, omitterem, secundum inopes reliquias obedientiæ, quæ mihi superfunt, exprimere obsequium meum superiori meo Domino & Regi, uti unus Ipsius Subditorum, cum tot juramenta Dei me obligent desiderare & omnibus modis promovere, tam Ipsius honorem quâm incolumitatem.

Videmini primos & maximos impetus capere, ad juſtificandum veſtros Proceſſus, à mera naturali & militari potentia quam obtinetis: quæ vos conſolari non poteſt, ut ſignum aliquod gratioſi & ſpecialis Dei favoris, quantumcunque proſpera, niſi timorem ejus coram oculis habeatis, qui vos docet decedere ab agendo malum: ſervando exercitium potentiæ veſtræ intra limites moralis & politici Boni, ad quod Deus verbo ſuo vos vocat & Legibus terræ & potiſſimum veſtra derivata Commiſſione: ad quæ omnia, non ſolùm primaria vincula conſcientiæ ad Deum, & fidelitatis ad Regem, verùm etiam honoris, fidelitatis, modeſtiæ, & limitatæ fidei commiſſæ à Parlamento, debent vos obligare ut viros veræ dignitatis & ſobriæ fortitudinis, quorum voluntas nunquam foret menſura ipſorum potentiæ (ut in pyratis & latronibus) verùm oportet ſemper contineri potentiam, intra eos religioſos & honorabiles limites, intra quos pii viri ſemper detinent mortificatas ſuas & domitas voluntates: ut *David* fecit, cum præter perſonales injurias toleratas, tam potentia quàm opportunitas ipſi eſſet oblata adverſus Saulem. Quod attinet ſeveritatem Samuelis contra Agagum; nôſtis, neque Regem eſſe Agagum in vos; neque vos inſtar Samuelis in Ipſum.

Secunda defenſio ſita videtur in populi petitionibus, & veluti aſſenſu ad id quod vos intenditis facere: cum, ut plane ſum perſuaſus, & vos ignorare non poteſtis, ſi libera ſuffragia & ſubſcriptiones caperentur in tribus Regnis, invenirentur viginti, pro uno, contra veſtrum Iudicium & Proceſſus: & quidem è maximè gravibus, ſobriis & conſiderabilibus.

Ita ut non poſſim, ad meam & aliorum æternam pacem cum Deo, non libere, at cum omni lenitate & reverentia,

rentia, vobis exhibere, ut præcipuis Conſiliariis & machinatoribus propoſitorum contra Regem, meam hanc fidelem & religioſam Proteſtationem contra ea, & vos ſeriò obteſtari, non attrahere ſuper animas veſtras, & Regnum; quantum in vobis eſt, ſanguinem ſuæ Majeſtatis, uncti Domini. Vt ſaltem poſſim, ut *Ioſephus ab Arimathea*, me immaculatum conſervare ab illo, cujus vox non poteſt non altius clamare, quàm alius cujusvis innocentis cæſi: ut ſanguis Adami feciſſet, ſi Cain illum occidiſſet, patrem loco fratris Abelis. Nôſtis ſapientiſſimi Regis Salomonis cautionem, datam & reiteratam: *Eſt Via quæ recta videtur homini, ſed finis ejus ſunt Viæ Mortis* Proverb. XIV. 12. & XVI. 25. Obſecro itaque vos, in nomine Dei & propter charitatem Ieſu Chriſti, ne ſinite veſtrum progreſſum, impedimentum adferre pœnitentiæ & retroceſſui veſtro: ad quæ opinor Deum vos vocare, uti ab aliis dignioribus & me peritioribus: ita & ab hac mea humili remonſtrantia, in qua mea haud ſimulata charitas ad animarum veſtrarum æternum bonum, quemadmodum & ad Regis & Regni temporalem felicitatem, poterit & volet apud homines qui aliquem habent ſenſum Dei Spiritus in ſe, me excuſare, hanc præſumtionem meam contradicendi conſiliis veſtris, aut ſuſpendendi veſtros Proceſſus.

Subjecta tam eminentis naturæ, aut non attentanda ſunt, aut publice arguenda, magna lenitate, plane & libere: quorum poſtremum vos ſuſtuliſtis, ſiquidem plurimi dominorum & generoſorum, qui tantam relationem habent ad Regem & intereſſe in negotiis Regni, quantam vos Ipſi, prohibentur uti illâ & frui.

Precor vos, reminiſcimini, quam clementiam promulgaveritis coram orbe à Deo vobis exhibitam, & quâ clementia adhuc vobis opus ſit: quas prætenſiones & promiſ-

ſiones Moderationis & fidelitatis quondam Regi feceritis: ô ne inveniat Orbis in eventu, veſtram prætenſam clementiam, propoſitam fuiſſe crudelitatem.

Poſt tam longam & duram captivitatem quam Rex toleravit cum tanta patientia, poſt tot conceſſiones ad ſui Ipſius diminutionem, ut Parlamento ſatisfaceret, Regnis & Exercitui, tam junctim quàm ſeparatim: quomodo poteſtis nunc, pacato animo, ſine ullo colore aut accepta authoritate à Deo aut hominibus, deſtruere veſtrum & noſtrum Regem; qui ſe conjecit in brachia ſuorum ſubditorum, & receptus fuit cum omni aſſecuratione incolumitatis & honoris?

Si Majeſtas ſua erravit in judicio ſuo aut conſilio, quod adegit Illum, ut opinabatur, ad neceſſarias vindicias Iuris ſui adverſus eos, quos ſuſpicabatur velle Se illo ſpoliare, an non minor vindicta ſufficere poteſt ſubditis in Regem, aut filius, in ſeductum parentem, quàm poſt tam longas & graves afflictiones, extrema deſtructio Ipſius & Suorum? Nolite obliviſci (ut ſpero vos non facere) communium errorum, quibus omnes homines ſubjecti ſunt: & horum notoriorum, quibus mutuæ recriminationes aſperſerunt tam Parlamentum quàm exercitum; & quo metuendum eſt juſtiſſimum Iudicem cœli & terræ oneraturum qui maxime inter nos innocentes videri volunt.

Ne commaculate quæſo famàm veſtram tam inclemente actione, deſtruendo Regem; laudabilem, etiam quibuſdam veſtrûm, ob magnitudinem intellectus, & alias regias virtutes, & incomparabilia dona.

Vos eſtis, generoſi, qui profitemini vos ambulare ſecundùm normam bonæ conſcientiæ coram Deo & hominibus; in qua neceſſario deficietis, cùm Deus vobis haud dederit, aut ſcriptum ullum mandatum, aut Magiſtratus

pote-

poteſtatem ſupra aut contra Regem; quinimo non poteſtis non ſentire (opinor) multos ſcrupulos, ſi non anguſtias in contrarium, in vobis non minus quàm aliis ſubditis, à quibus per nullas offenſas Regis aut aliqua terrena poteſtate poteſtis liberari.

Præſagium diluvii illius miſeriarum, quæ veriſimiliter ſequentur ruinam Regis in miſeris hiſce regnis, non ita me terret, quàm peccata illa quæ hæc judicia nobis meruerunt & attraxerunt. Quibus ſi accedat, nimirum hoc enorme peccatum & judicium deſtructionis Regis, contra omnes Leges Dei & hominum, belli & pacis, probitatis & honeſtatis, neceſſe eſt tanto gravius fieri, quo magis fiet nationale, impetrato conſenſu aliorum.

Quapropter officii mei exiſtimavi, ſi quidem per amorem Dei, & Charitatem erga animas veſtras, liber ſum à ſpiritu illo Servitutis, qui multos nimis ſerviliter cogit veſtram potentiam timere ſatagere, quantum in me eſt vitare contagium tam enormis peccati, & obſtare tam peccato quàm ſubſequentibus pœnis: Nullum alium finem mihi proponens his paucis lineis, quàm teſtificari veritatem Dei (ut illam concipio) honorem veræ Chriſtianæ Religionis, particulare meum officium, & juramenta fidelitatis, atque adeo charitatem & reverentiam meam ad ſalutem patriæ meæ, & veſtrûm perſonarum.

Mallem vos videre & prævertere peccata veſtra, in ſpeculis liberarum & pulchrarum obteſtationum; quàm ſero nimis audire per clamores, maledictiones, & acerba opprobria aliorum, aut tremenda Echo veſtrarum turbatarum & terrefactarum Conſcientiarum, & juſtæ Dei vindictæ ſuper vos & Regnum.

Seriò deprecor Deum, ſapientiſſimum & juſtiſſimum ordinatorem omnium rerum (cujus exequutivam poteſta-

tem improbi homines ſæpe ſibi arrogant, verùm gratioſi nunquam invadunt aut exequuntur, abſque ordinata authoritate, derivata aut immediate à Deo, aut mediatè à politicis illis Legibus, aut conſtitutis Magiſtratibus, qui ſunt ordinati à Deo inter homines) illum, inquam, precor intueri vos in miſericordia, quos peccatum, ſucceſſu facturum eſſet longè miſeriores, quàm Regem, aut quàm quiſquam hominum eſſe poſſit, ſub maximis mundanis afflictionibus, quos (ut ſpero) Deo ſanctificavit, & porrò ſanctificaturus eſt.

Spero Magnum Deum illum & Regem, inclinaturum corda veſtra ad vias quæ clarè ſunt illius voluntatis: non autem ad privatas imaginationes, quæ ſunt variæ, fallaces & periculoſæ ſed ad publicas & infallibiles declarationes ipſius oraculorum & Providentiæ, videlicet S. Scripturas & Leges noſtras. Quarum intuitu ut clariſſimæ & conſtantiſſimæ lucis, ea, quam vocatis Iuſtitiam contra Regem, mihi videtur ſumma & incomparabilis injuſtitia. Quod humiliter expono vobis, ſecundùm juſtiſſimum & (ſaltem) miſericordem affectum erga veſtrum ſupremum Dominum, & animas veſtras non minus eſt veſtrum obſequium quàm veſtra conſolatio, & commendatio in æternum. Quum Orbis videbit veſtram potentiam limitatam fidelitate, ſanctificatam pietate, & temperatam ſuavi miſericordia, non fatuam & fæmininam, quod velim à vobis abeſſe, ſed maſculinam, Heroicam, verè Chriſtianam & divinam: quæ vobis commendat adjicere multis aliis veſtris victoriis, coronam hanc noſtræ exultationis & veſtrorum triumphorum, victoriam de vobis ipſis; ſuperando quod putatis malum & culpandum in aliis, cùm irreprehenſibili lenitate in vobis ipſis. Inqua, humiliter Deum miſericordiarum veneror, ut vos

faciat

faciat abundare, ſuperando omnes paſſiones & imbecillitates in vobis, ut hominibus, & perficiendo omnes gratias in vobis, ut verè Chriſtianis ſubditis Chriſtiano Regi. Hæc ſcribo, & oro ut

Veſter fidelis monitor & ſervus, ſecundùm voluntatem Dei,

Ian. v. $\frac{1648}{1649}$

IOHANNES GAVDEN.

BREVE
MEMENTO
ad Præſens
NON-PARLAMENTARIVM
CONVENTICVLVM

Tangens ipſorum præſentes Intentiones & Proceſſus ad deponendum & ſupplicio afficiendum

CAROLVM STEWARDVM
Legitimum ſuum
REGEM:

William Prynne

Per GVILIELMVM PRYNNIVM, Armigerum, membrum Domus Communium & captivum ſub Exercitus Tyrannide: qui, ut apparet, arma fert contra Domos Parlamenti, ſuos quondam Dominos: quarum membra nunc violenter capit & detinet captiva, durante ipſorum illegali licentia.

Proverb. XXIV. 21, 22.

Fili mi, reverere Iehovam & Regem, & ne admiſce te iis qui quarunt mutationes: nam ipſorum calamitas conſurget repentè, & quis novit ruinam amborum?

Galat. 1. 10

Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem.

LONDINI Impreſſum 1648.

24P

AD OMNES PRINCIPES Et incolas universi Orbis Christiani.

PArricidium execrabile & omnibus seculis inauditum, à Conventiculo Latronum perpetratum nuperrimè fuit in CAROLVM MAGNÆ BRITANNIÆ REGEM: *quem isti Sicarii & perduelles, planè novo exemplo, libidine paucorum, qui non modò Regni nobilitate, sed & longè maxima parte Communium, qui plebem Regni repræsentant, in carceres conjecta aut aliter fugata & secluſa, Parlamenti Angliæ nomen usurparunt: Regem non modo ad tribunal suum pertraxerunt, sed & inauditum, quia judicium eorum uti insolens & iniquum detrectabat, condemnarunt & immani crudelitate obtruncarunt. Cujus actus tam funesti horror ad omnes, exemplum ad Principes pertinet alioſque qui in aliqua auctoritate sunt constituti: qui nisi unanimiter concurrerint ad tam horrendum facinus vindicandum, non bene aut suæ securitati aut publicæ fidei sunt consulturi. Viderint ii qui improvidè Regem suum hostibus suis prodiderunt, et separent se ab hisce perduellibus Sicariis, qui neque consenserunt neque consentiunt eorum iniquitati & crudelitati, ne supplicia, quæ illos manent, ipsos quoque assequantur. Quam injustè, perfidè, perjurè, crudeliter hæc gesta sint in* VNCTVM

DOMINI, *Auctor hujus Scripti, quanquam omnium minimè Regi obnoxius, liberrimè & fideliſſimè exponit; quare operæ pretium duxi illud ex noſtro Anglico idiomate in Latinum transferre, ut videat univerſus Orbis, quæ monſtra Sanctorum Anglia hiſce poſtremis ſeculis produxerit: quibus licuit quod libuit, quia vi & armis tantum ſui terrorem ſparſerant, ut nemo bonorum & fidelium ſubditorum contra ire, imò ne hiſcere quidem vix auſus fuerit. Acta eſt hæc pluſquam Tragœdia* xxx *Ianuar. Styl. Angl.* CIↃ IↃC XLIX.

Excidat illa dies ævo, nec poſtera norint
Secula.

BREVE

BREVE MEMENTO

Ad Præſens Non-Parlamentarium conventiculum,
tangens ipſorum intentiones & proceſſus
ad deponendum & obtruncandum

CAROLVM STEWARDVM
Legitimum REGEM ANGLIÆ &c.

GENEROSI,

SEntentia eſt Regis Solomonis Prov. xxv. ℣. 11. *Verbum dictum ſuo tempore eſſe ſimile malis aureis in patinis argenteis.* Quum itaque Ego (& alia membra ſupra ducenta) violenter ſecluſus ſim à vobis, ab Exercitus officiariis, per inauditam tyrannidem, ita ut non poſſim in aut ad tanquam Domum Communium vos liberè alloqui, officii mei exiſtimavi eſſe, liberè ſcribere mentem meam ad vos, ſolummodo ut homines privatos, ſub tyrannide deliberantes in *Domo*, ſine concurſu aut conſilio veſtrorum Sociorum, de repentina depoſitione & obtruncatione REGIS CAROLI, *Legitimi veſtri Principis*, ut obſequamini *Generali, Officiariis, Magno concilio Exercitus* (qui injuſtè uſurparunt ſupremam authoritatem tam *in Regem* quàm Parlamentum) aut potiùs *Ieſuitis* & *Sacerdotibus*, qui inter eos verſantur: quorum conſiliis illi & vos jam planè circumferimini, & quorum proditorias machinationes vos reipſa exequimini in pleriſque poſterioribus veſtris votis & actionibus. Pauca tantummodo

verba & considerationes vobis impertior; *Dictum sapienti sat est.*

Coock 3. instit. Stamford cas. Coron. l. 1. c. 1. 2.

Primo: Vobis in memoriam revoco per *Communem Legem Regni*; Statutum xxv Ed. III & omnia alia decreta de *Proditione*, Crimen læsæ Majestatis in summo gradu censeri, siquis deliberet aut cogitet de depositione aut cæde Regis aut primogeniti ipsius Filii & Hæredis: licet non perficiatur, quanto magis si compleatur. multos fuisse accusatos, condemnatos, supplicio affectos ob ejusmodi proditiones propositas superioribus seculis: uti Comitem *Arundeliæ* & alios judicio Parlamenti, xxi R. II. Plac. Coronæ N. 4, 6, 7. Et proditores illos pulveris nitrarii 3. Iacobi, ut omittam alios, quorum exempla deberent alios admonere, & quorum capita & mutilata membra adhuc suspensa visuntur supra Domos, in quibus hodie convenitis & sedetis.

Secundo: In *Iuramento fidelitatis*, quod singuli præstitistis immediatè antequam in domum ut Membra estis admissi, *vos verè & sincerè agnovisse, professos, testificatos & declarasse, in conscientiis vestris, coram Deo & Mundo, Supremum Dominum & Regem nostrum* CAROLVM ESSE LEGITIMVM ET VERVM REGEM HVIVS REGNI *& omnium aliorum Majestatis suæ Dominiorum & terrarum: Et quod Papa nec per se ipsum, nec per ullam aliam auctoritatem Ecclesiæ vel sedis Romanæ, vel per ulla media cum quibuscunque aliis aliquam potestatem, nec auctoritatem habeat Regem deponendi, vel aliquorum Majestatis suæ Dominiorum vel Regnorum disponendi, vel alicui Principi extraneo ipsum damnificare, aut terras suas invadere auctoritatem concedendi, vel ullos subditorum suorum à suæ Majestatis obedientia & subjectione exonerandi, aut ullis eorum licentiam dare arma contra ipsum gerendi, tumultus seminandi aut aliquam violentiam aut damnum Majestatis suæ per-*

perſonæ, Statui vel Regimini, vel aliquibus ſuis ſubditis infra ſua Dominia inferendi. Et, *quod non obſtante aliqua declaratione vel ſententia Excommunicationis aut deprivationis facta à Papa &c. vel quacunque abſolutione dictorum ſubditorum ab eorum obedientia:* Vos velle tamen, *fidelitatem & veram obedientiam ſuæ Majeſtati, hæredibus & ſucceſſoribus ſuis præſtare: Ipſumque & ipſos totis viribus defendere, contra omnes conſpirationes & attentata quæcunque quæ contra Perſonam illius vel illorum, eorumque Coronam & dignitatem, ratione vel colore alicujus ſententiæ vel declarationis aut aliàs facta fuerint.* Præterea juraſtis, *quod ex corde abhorreatis, deteſtemini & abjuretis tanquam impiam & hæreticam hanc damnabilem doctrinam & propoſitionem: Quod Principes per Papam excommunicati vel deprivati, poſſint per ſuos ſubditos vel alios aliquos quoſcunque deponi, aut occidi. Et vos credere & in conſcientia veſtra reſolvere, quod nec Papa, nec alius quicunque poteſtatem habeat vos ab hoc Iuramento aut aliqua ejus parte abſolvendi: & quod hæc omnia planè ac ſyncerè agnoveritis & juraveritis juxta expreſſa verba & juxta planum ac communem ſenſum & intellectum eorundem verborum, absque ulla æquivocatione, aut mentali evaſione vel ſecreta reſervatione quacunque.* Voſque, *Hanc recognitionem & agnitionem facere cordialiter, voluntariè & verè, in vera fide Chriſtiani viri.* An autem præſentes veſtræ actiones & intentiones contra Regem, non ex diametro repugnent ſolemni huic Iuramento (quod maxima pars veſtrûm juraſtis poſt bellum & quidam veſtrûm poſt Tractatum) Deus & orbis judicent, coram quibus juraſtis, & conſcientiæ veſtræ, in quibus tunc juraſtis, determinent, ſiquidem in his agitis Papæ & Ieſuitarum partes.

Tertiò: Vos ipſos inter cætera membra, in pluſquam centum *Remonſtrantiis, Declarationibus, Petitionibus, Decretis, & impreſſis Libellis,* publicatis nomine & auctoritate unius aut utriuſque Domus, profeſſos tam Regi ipſi, quam Regno,

gno, orbi & exteris ſtatibus, *vos numquam intendiſſe vel minimum damnum, injuriam aut violentiam in Regis perſonam, Coronam, dignitatem, aut poſteritatem:* Sed contra; Ipſi & Regali ejus poſteritati *majorem honorem, felicitatem, gloriam & magnitudinem, quàm qua umquam quisquam ipſius prædeceſſorum fuerit gaviſus: vos ſemper probaturos, & vitis & fortunis, fidem & obſequium, quod ipſius Majeſtati veraciter & ſincerè ſemper detuliſtis. Haud alios fines vobis ipſis propoſuiſſe, quàm omne obſequium & fidelitatem Majeſtatis ipſius perſonæ exhibere. Omnia tributa & æs alienum publica fide contractum, ſolummodo impenſum iri ad tuendam Proteſtantium Religionem, Regis auctoritatem, ipſius perſonam, Regiam dignitatem, Leges Regni & pacem, & privilegia Parlamenti, & non abutenda adverſus ipſius Majeſtatis perſonam aut auctoritatem. Exercitus & delectus habitos à domibus coactos fuiſſe ad ſecuritatem & tuitionem Regis perſonæ & utriuſque domus Parlamenti &c. Majeſtatis ſuæ perſonalem ſecuritatem, honorem & magnitudinem vobis chariores eſſe vitâ veſtrâ & fortunis, quas animitus devoveritis & lubenter impenſuri ſitis ad defenſionem & conſervationem earum. Parlamentum ſummo ſtudio ſemper vitaturum quodvis periculum quod Majeſtas ipſius jure poſſet metuere Perſonæ ſuæ. Vtramque domum decreviſſe, vitas & fortunas ſuas periculo exponere ad tuendam & conſervandam veram Religionem, Regis perſonam, honorem & Statum, poteſtatem & privilegia Parlamenti: quod non obſtante Majeſtatis ſuæ Proclamatione contra ſuum Generalem & Exercitum ut perduelles, ad teſtandam ſuam conſtantem & inconcuſſam fidelitatem erga ſuam Majeſtatem, utraque domus declaret, ſe, ubi copias ſuas exauthoraverit, reverteturque & audiet conſilia Magni ſui Senatus, ſe re ipſa operam daturos, ut tam ipſe quam ſui, ita & domi diligantur & foris metuantur, quàm quiſquam Princeps, qui unquam ſceptrum moderatus ſit: hanc eſſe ſuam firmam & conſtantem reſolutionem, à qua non ſint diſceſſuri ob ullum*

pri-

privatum reſpectum quemcunque: Se fideliter daturos operam ut Majeſtatis ſuæ perſona & Corona tuta ſit ab omnibus periculis. Inculcantes, *apparens diſcrimen ipſius Regiæ perſonæ inter Papiſticos & malignantes exercitus, pravos Conſiliarios*, & propterea ſuadentes, atque invitantes, *ut illis deſertis ſe Parlamento ſuo adjungat:* proteſtantes, *Parlamentum ſemper fuiſſe & adhuc eſſe paratius, quam iſti, ad tuendam & conſervandam auctoritatem, prærogativas & honorem Regis & ſecuritatem ipſius Perſonæ; quod jam ſæpius teſtati ſint multis ſupplicibus petitionibus & declarationibus, tam ipſi, quam orbi & Regno:* & plures ejuſmodi expreſſiones. An vero quæ jam actitatis & deliberatis, non directè contradicant, & vos mendacii arguant ad æternam veſtram infamiam & publicæ fidei violationem, quantum in vobis eſt, utraque Domus, orbis & omnes homines judicent, ut aliquando & ſuo tempore facturi ſunt.

Quartò. Conſiderate, cum Rex & qui partes ejus ſequebantur, utrique Domui exprobrarent, quia inſinuaverant: *etiamſi exempla aliorum Parlamentorum & extrema conſilia fuiſſent ſequuti, non futuram fuiſſe cauſam querendi de ipſorum immodeſtia aut inobedientia:* id eſſe; *deponere poſſe Reges cum voluerint, neque ita facientes reprehendi poſſe; & exercitum à Parlamento coactum ad deponendum & occidendum Regem.* Vtraque domus per duas ſolemnes declarationes explicitè profeſſa eſt & proteſtata, falſiſſimam & malitioſiſſimam hanc eſſe accuſationem; *numquam hoc ipſis veniſſe in mentem neque venturum unquam: Quemadmodum* Deus teſtis ipſorum cogitationum, ita actiones ſuas teſtaturas coram toto orbe, ſe ad honorem noſtræ Religionis, & eorum qui obſervantiſſimi illius ſunt, toleraturos longè plura pro atque à Principe ſuo quam ſperarent Deum permiſſurum malitiæ pravorum ipſius conſiliariorum ipſis infligere; ſiquidem Regni felicitas potiſſimùm pendeat à ſua Maje-

ſtate & Regia auctoritate ab ea radice. Speraſſe ſe, *inventores hujus falſæ & ſcandaloſæ imputationis, aut alios profitentes nomen Chriſti, non poſſe habere tam parum charitatis, ad tantum ſcandalum excitandum; præſertim cum neceſſariò debuerint ſcire, proteſtationem factam à membris utriuſque Domus, qua promittunt coram Omnipotenti Deo, ſe defenſuros & conſervaturos Majeſtatis ſuæ perſonam:* adhæc promiſſionem & proteſtationem factam à membris utriuſque Domus, cum Comitem Eſſexiæ nominarent Generalem, & ſe victuros & morituros cum illo; in qua expreſſum eſt, *Hunc Exercitum collectum ad tuitionem Regiæ Perſonæ.* Ipſorum crebras, ſerias, & humillimas petitiones, quibus orant ſuam Majeſtatem, *ut relinquat deſperatum & periculoſum exercitum quo cingebatur, collectum & ſuſtentatum ad diſcrimen & ruinam ſuam & Regni, & ut reverteretur in perſona ad Parlamentum ſuum, in quo confidere poſſet ſe remanſurum cum honore & ſecuritate:* Et ipſorum humilem petitionem directam ad offerendum in manus ipſius per Comitem Eſſexiæ, antequam veniretur ad manus, *ut Regia ipſius perſona ſecederet ab exercitu:* quæ ſupplicatio nequaquam poſſet conſiſtere cum illo propoſito *vel minimam violentiam inferendi ipſius Perſonæ, quæ ſemper fuerit & futura ſit ipſis chariſſima.* Applicate nunc animis & conſcientiis veſtris, & videte, utrum veſtra & Exercitûs hodierna conſilia & actiones, non re ipſa juſtificent, Regis & partis illius præcedentes ſuggeſtiones, & mendacii arguant hasce declarationes utriuſque Domus: quæ procul dubio, ſi unquam libertatem conveniendi rurſus nactæ fuerint, publicam reparationem & juſtitiam contra vos poſtulabunt, ſi violaveritis ipſarum honorem, fidem & obligationem mutuò factam Regi, Regno, & exteris Statibus, contra has ipſarum declarationes & proteſtationes.

Quintò: Mementote, Dominos & Communes in Parlamento

lamento congregatos, Octob. 22 1642, *Coram Deo Omnipotente* (quæ eſt obligatio fortiſſima, quam quivis Chriſtianus, & ſolemniſſima fides, quam ullus Status uti Parlamentum poteſt dare) *ad Satisfactionem ſuarum conſcientiarum, & præſtationem fidei ipſis commiſſæ, feciſſe hanc proteſtationem & declarationem, ad omnia Regna & Nationes, & totum orbem. Nullum privatum affectum aut reſpectum; nullam pravam intentionem adverſus Majeſtatis ſuæ perſonam; nullum propoſitum ad præjudicium afferendum juſto ipſius honori & authoritati, ipſos moviſſe ad copias adunandas aut arma ſumenda*; Verùm, ſi redierit ad Parlamentum ſuum pacificè, & ipſorum conſilia audiens compoſuerit perturbationes & confuſiones, quæ abundant in his Regnis, *ſe Ipſum recepturos cum omni honore, delaturos ipſi veram obedientiam & ſubjectionem, & fideliter defenſuros ipſius Perſonam & Statum ab omni periculo; & omnibus viribus ſuis reſtauraturos Ipſum ad omnes benedictiones glorioſi & proſperi Regni.* Et, ſe nullum habere propoſitum, *quodcunque damnum aut injuriam inferendi aut ipſius perſonæ aut juſtæ potentiæ.* Quod deinceps confirmarunt multis ſubſequentibus Declarationibus. Poſtea, utraque Domus & tria Regna Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ, *Solemne fœdus & Ligam* fecerunt, *ad honorem & felicitatem Regiæ Majeſtatis & ipſius poſterorum* (inter alios fines ibidem expreſſos) ſe ſincerè, realiter & conſtanter operam daturos, cum impendio vitæ & fortunarum, *ut conſervent & tueantur Regiæ Majeſtatis perſonam & authoritatem*, in conſervatione & defenſione veræ Religionis & Libertatum Regni, ut orbis teſtimonium perhibere poſſit cum ipſorum conſcientiis de ipſorum fidelitate: & *ſe nequaquam in animo habere, aut intendere, juſtam Regis poteſtatem aut magnitudinem ullatenus imminuere.* Velle ſe cum omni fidelitate & diligentia detegere, omnia prava inſtrumenta & incendiarios, qui ſeparant

Qui deponunt & dividunt ipſius caput ab humeris maximè rei ſunt hujus ſeparationis.

Regem à populo ſuo, ut ad publicum tribunal pertrahi poſſint & condignum ſupplicium ſubire : *neque unquam ſe paſſuros, directè aut indirectè, per quamvis combinationem, perſuaſionem aut terrorem ſe diſtrahi ab hac benedicta unione* &c. quæ tantopere ſpectat ad Dei gloriam, bonum Regnorum *& honorem Regis:* Verum, ſe toto vitæ tempore in eo conſtanter perſeveraturos, adverſus omnes oppoſitiones. Et concludunt : *Hoc fœdus ſancimus in præſentia omnipotentis Dei, ſcrutatoris cordium, cum veraci propoſito illud obſervandi, quemadmodum ei rationem reddere volumus, in magno illo die, cum ſecreta cordium revelabuntur.* Hoc fœdus ſumſiſtis omnes (quidam veſtrûm ſæpe) & impoſuiſtis tribus Regnis. An non feriet facies veſtras & conſcientias, & excitabit Deum ipſum & tria Regna, ut unum hominem adverſus vos, ſi perrexeritis Regem deponere, & deſtruere illius perſonam, & poſteros ejus exhæredare? adeoque an non accerſet certiſſimam ruinam ſuper vos & veſtros, ut ſummos fœdifragos, & maximè perjuras creaturas ſub cælo? Conſiderate quæſo & ſeriò advortite animum antequam procedatis ad ulteriora perjuria. Anno XXIV Ed. III. *Wilhelmus Thropus*, Summus Iuſticiarius regii Banci, quia à diverſis ſumſerat munera, ad LXXX lib. ex ſpeciali commiſſione fuit poſtulatus, convictus & damnatus ad ſuſpendium, & amiſſionem omnium ſuarum terrarum, tenementorum, bonorum, & catallorum ad uſum Regis: quia eo ipſo, *Sacramentum Domini Regis, quod ad populum cuſtodiendum habuit, fregit malitioſè, falsò & rebelliter, quantum in ipſo fuit.* Quod judicium confirmatum fuit, eſſe juſtum & rationabile, in pleno Parlamento, in quo publicè lectum fuit mandato Regis, ut apparet XXV Ed. III Rot. Parlam. N° x. Si tunc hic ſummus Iuſticiarius, ob fractum juramentum Regi & populo ejus, ut Iudex, ſolummodo

ob

ob ſumta duo aut tria exigua munera, meruit ſuſpendi, privari omnibus ſuis fortunis & vita, judicio pleni Parlamenti; quid ejuſmodi membra merebuntur; qui violaturi ſunt non ſolum ſua juramenta fidelitatis & Suprematus, Regi & ſuis hæredibus, verum etiam diverſas proteſtationes, ſolemnem Ligam & fœdus, & multoties promiſſam publicam fidem, declarationes, remonſtrantias & promiſſiones utriuſque Domus, factas Deo, totis regnis & populo Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ, Statibus unitarum Provinciarum, idque malitioſè, falsò & rebelliter, quantum in ipſis eſt, & privatam ſuam fidem, juramenta, vota & fœdera in iis involuta, in deponendo & trucidando Regem & exhæredando Principem, violando privilegia, uſurpando poteſtatem Parlamenti ſibi ipſis, cùm plura aliorum membrorum violenter ſecluſa ſint ab Exercitu, ad ſubverſionem immunitatum & libertatem omnium Parlamentorum? Cum hic fuerit unus Articul. contra Richard. II Anno 1. Henr. IV. Rot. Parl. N° 25. 66. 70. cum depoſitus fuit: Quod in Parlam. habito Salopiæ, intendens opprimere populum ſuum, ſubtiliter procuraſſet concedi conſenſu omnium Statuum ſui Regni (quem vos non habetis) poteſtatem Parlamenti remanere in certis perſonis (Dominis & Communibus) ad determinandum certas petitiones tunc oblatas, ſed non expeditas, poſt Parlamentum abſolutum: ſub quo prætextu dicti Deputati proceſſerunt, ſecundum Regis placitum & voluntatem ad alias res generatim, concernentes dictum Parlamentum, ad ſummam derogationem poteſtatis & privilegiorum Parlamenti & pernicioſum exemplum toti Regno: & uti aliquis color & authoritas accederet ipſorum factis, curaverat Rex Parlamenti volumina alterari & deleri pro libitu ſuo contra mentem dictæ conceſſionis: quemadmodum

vos præſumſiſtis, annullare, revocare, & devotare diverſa vota, decreta & ordinationes utriuſque Domus factas, ſecundùm prædicta juramenta, proteſtationes, ſolennem ligam & fœdus &c. & tractatus cum Domus plenæ eſſent, & non ſub poteſtate & violentia exercitûs. Et ſi ipſorum Acta & totius Parlamenti, an. xx i Rich. II. declarata fuere nulla & inania, & Rex dignus deponi tunc ob ejuſmodi actitata, conſiderent Legulejus Thorpus & alii Iuriſconſulti nunc agentes Vobiſcum, & doceant vos, quid ſupplicii mereamini, ob talem violationem fidei & privilegiorum Parlamenti, & uſurpationem per monopolium poteſtatis Parlamentariæ à vobis nunc, dum per Exercitûs violentiam, maxima pars membrorum inde arcetur: quo caſu non oportebat vos ſedere, neque concludere aut decernere quicquam, ſed tantum procraſtinare, donec vi ſummota, omnia membra liberè convenirent, ut liquet è memoriali illo recordo v i Ed. III. Parl. Eboracenſis No. 1. 2. Dors. Claus. v i Ed. III. apud Weſtmonaſt. Parl. 2. n. 1. x i i i Ed. III. Parl. 2. n. 4. x v Ed. III. n. 5. x v i i Ed. III. n. 2. 6. x v i i i Ed. III. n. 1. 2. 5. x x Ed. III. n. 5. x x i Ed. III. n. 4. x x Ed. III. n. 1. x x v Ed. III. n. 1. x x i x Ed. III. n. 4. x x x v i Ed. III. n. 1. x x x v i i Ed. III. n. 1. x l i i Ed. III. n. 1. l Ed. III. n. 1. l i Ed. III. n. 3. 1 Ric. II. n. 1. i i Ric. II. n. 1. i i i Ric. II. n. 1. i v Ric. II. n. 1. v Ric. II. Parl. 1. n. 1. Parl. i i. n. 1. v i Ric. II. Parl. 1. n. 1. Parl. i i n. 1. v i i i Hen. IV. n. 28. 30. 54. 1 x Hen. IV n. 1, x i i i Hen. IV. n. 1. & longè plura volumina. In quibus Parlamentum cum aliquot conſiderabilia membra aberant, procraſtinabat & detrectabat ſedere aut quicquam agere (licet ſub nulla vi) donec Domus eſſent plenæ; multo magis ſub gladio exercitus; cum adverſetur Magnæ

gnæ Chartæ, ut Barones declararunt in Parlam. An. Domini 1257 ſub Regno R. Hen. III. pauca membra ſedere dum reliqua abſunt.

Sextò. Conſiderate; Licet multi Regum Iudah & Israël fuerint extra ordinem peccatores & Idololatræ, ſanguinarii Tyranni, oppreſſores Populi ſui, ſanguinis Sacerdotum & Prophetarum & aliorum innocentium effuſores, non ſolum in bello, ſed & pace: non tamen in Vet. Teſt. extare ullum exemplum alicujus Regis judicialiter poſtulati, damnati aut depoſiti aut cæſi à congregatione, Sanhedrin, aut Parlamentis Iudah & Israël. Eos qui quoſdam eorum per tumultum aut proditionem occiderunt, maximam quoque partem occiſos, aut in tumultu, *aut ab ipſorum liberis qui ſucceſſerunt, aut à populo terræ.* Et Iſraëlitas poſtquam deſciverant à Rehoboam, nullum bonum Regem habuiſſe, aut fortunatum diem inter ſe, ſed lapſi ſunt in idololatriam, prophanitatem, tyrannidem, oppreſſi ab hoſtibus, denique deſtructi & abducti captivi in Babylonem, ut libr. Regum & Chronicorum vos docebunt. Præceptum eſſe in Vet. Teſt. non deponere improbos Reges à thronis ſuis & capite diminuere; verum, *Auſer improbum à conſpectu Regis & Thronus ejus ſtabilietur in juſtitia.* Et in Novo Teſtam. *Subjectos eſſe debere Regibus & ſupremis poteſtatibus; ſe illis ſubmittere conſcientiæ & Domini cauſa: Et orare, ſupplicare & intercedere pro iis, ut ſub ipſis ducere poſſimus pacificam vitam in omni pietate & honeſtate; id enim bonum & acceptum eſſe in conſpectu Dei & Servatoris:* Non deponere aut fundere illorum ſanguinem, quod nuſquam præcipitur. An non hæc eſt plana Dei via & ſaluberrima, quam vos & exercitum ſequi decet; quinimo compendium ad pacem ſtabiliendam? Ruminate hæc & eſtote ſapientes, tam ad animarum veſtrarum Salutem, quàm Regni.

2 *Reg.* xiv. 6. c. xv. 10. 14. 25. 30. c. xxi. 24.

Prov. xxv. 5. *Rom.* xiii. 1. 2. *Tit.* iii. 1. 2. 1 *Pet.* iii. 13. 14. 17. 1 *Tim.* ii. 1. 2. 3.

Se-

Septimò. Animadvertite, vos jam convenire & ſedere ſub armata potentia & violentia tumultuantis exercitus, qui bellum excitarunt contra Domos, ad diſſolvendum eas, qui captivarunt multa veſtrorum membrorum & plura ſecluſerunt & pene omnia fugarunt à Domibus: Antequam horrenda hæc vis amoveatur, & omnia diſperſa membra reducantur in Domos cum libertate & ſecuritate, omnia veſtra vota, acta & decreta, ſecundum ipſius Exercitus propriam doctrinam, in Remonſtrantia ipſius Aug. XVIII & declarationem & decretum utriuſque Domus (factum ad inſtantiam Exercitus) Aug. XX. 1647. nulla eſſe & inania, ab ipſo tempore quo conſtituta & decreta, & ſecundum ſuperiora quoque Parlamenta, ut XXI Ric. II. 1 Hen. IV. c. 3. 31. Hen. VI. c. 1. XXXIX Hen. VI. c. 1. Et quomodocunque vobis aſſumatis nomen & poteſtatem Domorum Parlamenti & abrogare & decernere quod vobis lubet: tamen ſumite ut infallibilem veritatem, neminem ſecluſorum membrorum & abſentium, nullum Comitatuum, Civitatum, Burgorum, pro quibus ſerviunt, nec quibus vos ſervitis & quos repreſentatis; neque adeo Regna Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ, (quæ tam magnam aut majorem portionem & intereſſe habent in perſona Regis, ut legitimo ſuo Principe, & aſtricti ſunt juramentis, fœdere & aliis quæ præmiſſa ſunt, protegere ejus perſonam & coronam, vita ſua & fortunis, contra omnem violentiam & pericula) cum illius Regina, Liberis & aſſociatis in exteris partibus, cujuscunque tandem religionis unquam conceſſuros vobis (in præſenti conditione veſtra & Statu) vos eſſe Parlamentum, ſed potius conventiculum aut conciliabulum; neque quicquam eorum quæ vos concluditis aut decernitis eſſe valida. Et propterea quicquid tandem conſtitueritis aut decreveritis, quoad Tractatum, depoſitionem

tionem aut cædem Regis, exhæredationem & exilium Principis, diſſolutionem præſentis Parlamenti, erectionem novi & confuſi repræſentativi, aut novæ formæ Reipublicæ; ſolummodò ut gratificemini officiariis exercitus, vel potiùs Ieſuitis & papalibus Sacerdotibus, qui illis perſuaſerunt, eoſque inſtigarunt ad proditorias haſce machinationes, quò perficeretur ipſorum diu deſideratum propoſitum & opus; agere vos iſta ut privatos, non ut Parlamentum: Et ſi hæc, haud minorem offenſam, quam ſummæ proditionis adverſus Regem, Parlamentum & Regnum veſtræ actiones & proceſſus in concluſione ſe probaturæ ſunt, ſi perſiſtatis & perſeveretis in iis; relinquo libero Parlamento, eruditis judicibus & omnibus Iurisconſultis, qui jam ſedent, deliberant & decernunt vobiſcum, conſiderandum & judicandum. Quod officiarii exercitus & concilium, probè callentes, ſatagunt invidiam & periculum in vos derivare quo melius ſe expediant, ſi aliquando ratio reddenda fuerit, ut ſanè veriſimile eſt, & certum erit, opportuno Dei tempore, niſi vos & illos pæniteat, veniamque petatis, antequam ſerum eſt futurum.

Octavò: Reminiſcimini, Nullum Proteſtantium Regnum aut Statum, hactenus contaminaſſe manus ſuas, aut commaculaſſe honorem Reformatæ ſuæ Religionis, depoſitione aut cæde cujuſquam ſui Regis aut Principis, multo minus Proteſtantis Regis aut Principis, moderatæ & ſobriæ vitæ, ut eſt Rex veſter, qui numquam immediatè polluit manus ſuas cujusquam hominis ſanguine, quovis tyrannico & ſanguinario modo, antè aut in bello (quantum audivi) ſed tantùm militari. Et Reformatum & Proteſtans Parlamentum, prætendens maximè præ cæteris Pietatem & Religionem, maculare ſuam profeſſionem & honorem, per depoſitonem aut polluere manus ſuas ſanguine Regis

proteſtantis ; aut aliquem exercitum ſanctorum id facere, aut vos ut complaceatis Sanctitatem ſimulanti exercitui, idque *contra tot ante dicta juramenta, proteſtationes, declarationes, remonſtrantias, ſolemnes ligas & fœdera*, una poſt altera ; accerſet tam incomparabile ſcandalum Proteſtanti Religioni, & omnibus qui illam profitentur, (qui hactenus exprobrarunt Ieſuitis & Papiſtis hanc perfidam & proditoriam praxin, cujus illi profundè rei fuere, cum noſtri eſſent innocentes) tam in tribus hiſce noſtris Regnis, quàm in reliquo orbe ; ut daturum ſit maximam occaſionem & incitamentum Ieſuitis, Papiſtis & omnibus aliis, jungendi manus, capita & fortunas ad opprimendam & extirpandam illam & omnes illius profeſſores tam domi quàm foris, quam umquam habuere, & reddent Parlamenta omnia in æternum deteſtabilia, tam Regibus, quàm populis.

Nonò : Animadvertite Scotiam & Hiberniam eſſe communes poſſeſſores vel ſaltem quaſi poſſeſſores nobiſcum, Regis, ut legitimi ſui Regis & Principis tam ipſorum quàm noſtrûm: & Scotos tradidiſſe & reliquiſſe ipſius Perſonam Commiſſariis noſtris ad Novum Caſtrum, ſub hac expreſſa conditione : *ne ulla violentia inferretur ipſius Perſonæ* &c. *ſecundùm fœdus.* Quomodo igitur valeatis, aut illum deponere aut illi vitam adimere ſub prætextu juſtitiæ, ſine ipſorum aſſenſu, dignum eſt maximè ſeriis veſtris cogitationibus : ſi hoc faciatis ſine rogato aut impetrato ipſorum aſſenſu, adigitis utrumque Regnum ad juſtum bellum contra vos ſuſcipiendum, ad proclamandum & coronandum Principem Walliæ in Regem ſuum (licet fortè vos illum repudiaretis) ut proximè apparentem hæredem. Neque ullum Decretum, quod vos nunc facere poſſitis, impedimentum ipſi futurum eſt ad Coronam Angliæ, in qua reperturus eſt decem millia hominum con-

contra unum, qui ſe jungent Scotiæ & Hiberniæ, ut illum Patris ſui throno imponant ut Regem Angliæ, & vindicent ſanguinem illius de omnibus, qui vos juvaverint in effuſione ſanguinis illius aut dethronatione. Et quid tum fiet de vobis & exercitu veſtro, cùm ita deſerti à pleriſque & infeſtati à tribus Regnis, ab omnibus Regibus, Reginis, Principibus, fœderatiſque, conjunctis viribus? Vbi tunc vos, ubi S. Cromwellus, S. Ireton, S. Pride, S. Peters (carnalis ille Propheta & archijeſuita & ſummus incendiarius horum tumultuum) cum aliis magnis Sanctis Exercitus, qui nunc vos cogunt, Generalem, Exercitum & totum Regnum, ad hæc periculoſa conſilia, ſecundum Ieſuitarum principia & praxin; ubi, inquam, tunc apparebunt, ut ſeipſos ſervent aut vos, aut poſteros veſtros ab exemplari punitione, ſine miſericordia aut ſpe veniæ? Conſiderate ergo hæc ſeriò, ſi non ut Chriſtiani ſaltem ut Politici & pœniteat vos atque ſapite in tempore.

Decimò; Mementote vos non habere legem aut directum exemplum ejus, quod machinamini. Eduardus II. & Richardus coacti fuere à Mortimario & Henrico IV. reſignare Coronas ſuas, formali modo, unus filio ſuo, alter victori ſucceſſori, neuter à Parlamento, ſed depoſiti deinceps fuere per ſubſequentem ſententiam Parlamenti, ut inidonei regnare, ſine ullo examine aut reſponſo: idque non in vacuo Parlamento, & ſub vi, ut nunc, cum maxima pars membrorum per violentiam abducti & ſecluſi ſunt, ſed in pleno Parlamento, in quo Articuli conſcripti contra illos, nequidem lecti fuerunt: & juſſi ſuas depoſitiones (ſecundùm voluntarias tantum ipſorum conceſſiones) & præcedentes confirmare reſignationes. Præterea neuter horum Regum, licet admodum improbus &

Papiſta, umquam condemnatus fuit amittere caput aut vitam, ſed erat bene & honorificè tractandus. Sed hi proceſſus tantùm habiti fuere à Papiſticis Parlamentis, tempore ignorantiæ, quibus non erant ejuſmodi juramenta, vota, fœdera, proteſtationes aut aliæ præcedentes conſiderationes, quæ ipſis ligarent manus, ut nos & vos omnes nunc habetis. Quinimo hoc ipſum Parlamentum ſolemniter & particulatim proteſtatum eſt, numquam ſibi veniſſe in mentem hæc exempla; neque ſe praxin illam umquam ſequuturos, quantumcunque paterentur à Rege aut ſuis, idque propter honorem noſtræ Religionis & maximè Zeloſorum illius. Sed quod maximè obſervandum; *Rogerius de mortuo mari*, principalis actor in depoſitione Eduardi II. & coronatione filii illius Eduardi III. in ipſius locum (quemadmodum nunc tenemini coronare Principem Walliæ in ipſius locum, ſi Regem deponitis, aliter enim non ſequemini illud exemplum ut oportet) in Parlamento 1 Eduard. III. (in quo tamen non invenio mentionem depoſitionis) quadriennio elapſo, fuit in pleno Parlamento cum quibuſdam aliis ſuis complicibus, poſtulatus, condemnatus & ſupplicio affectus, ut proditor & perduellis Regis & Regni, judicio Dominorum, Eduardo III. aſſentiente, ſine ulla legali auditione aut examine (omnino quemadmodum ille depoſuerat Regem) ob occiſum Regem Eduardum in arce Berckleya, poſt depoſitionem: Thomas autem de Berckleya eques, in cujus arce fuerat cæſus, proditionis poſtulatus ob illam cædem itidem coram Dominis in eodem Parlamento, cum ſe innocentem eſſe reſpondiſſet, cauſa illius legali modo coram Dominis acta, & à XII juratis equitibus, poſt plenam elucidationem & examen fuit abſolutus: cum Simon de Bereford eques, poſtulatus condemnatus

mnatus & ſupplicio affectus fuerit per judicium contra ipſum latum à Dominis tantùm, ſine examine, ob cædem hujus depoſiti Regis; & Thomas Gournayus & Wilhelmus Ocle judicati proditores ab ipſis ob idem crimen, ſine ulla evidentia, quæ quidem appareat in Memoriali. Hæc ergo exempla ſunt duræ digeſtionis, & nequaquam applicabilia ad noſtra tempora & Regis cauſam: qui cum nobis conceſſerit poſtremo Tractatu, ad celerem conſtitutionem & ſecuritatem horum Regnorum, (quæ jam ſanguine manant) Eccleſiæ & Religionis quicquid umquam honeſtè, juſtè & rationabiliter poſſemus poſtulare, & majorem immunitatem & ſecuritatem quanquam Anteceſſorum noſtrorum, aut ullum Regnum ſub cœlo à creatione ad præſens ſeculum, poſtulaverit aut impetraverit à ſuis Principibus (ut confido me probaturum vobis & toti Orbi:) quæque Domus communium, poſt duarum dierum & vnius integræ noctis examen, agnovit & decrevit, *ſufficiens fundamentum procedendi cum Rege ad celerem conſtitutionem Pacis in Regnis:* quomodo ergo vos aut exercitus, poſt tam largas conceſſiones, contra Decreta utriuſque Domus, cum plenæ eſſent & liberæ, poteſtis honeſtè, juſtè & rationabiliter, diſcretè & in conſcientia procedere ad deponendum & obtruncandum Regem, *ut fidei ſuæ violatorem, proditorem* &c. niſi faciatis vos ipſos magis perjuros & majores proditores quàm ipſe eſt & incurratis idem judicium & ſupplicium, quod paratis ferre & infligere in ipſum: id relinquo vobis ſeriò perpendendum. Ego ſic liberè & planè & fideliter expoſui mentem & conſcientiam meam vobis, ſine metu aut adulatione, coram Regibus, Regnis, Parlamentis & Proteſtantium Religionibus: & ut confido, ad Hiberniæ (penè irrecuperabiliter amiſſæ) veſtram & Exercitus incolumitatem & ſecu-

ritatem quoque, si Deo placuerit misericorditer vobis dare capita & corda, ut illis maturè utamini, neque patiamini vos ultra à Iesuitis seduci. Attendite porrò; maxima pars vestrum habet fortunas, omnes capita & vitas & animas, servandas aut amittendas, tam hîc quàm posthac. Si hæ & aliæ omnes præcedentes considerationes non valeant vos movere ad desistendum à vestris desperatis consiliis & processibus, vestræ ipsius, Regni, Ecclesiæ, Religionis, Hiberniæ, Parlamenti, vestræ Posteritatis & Exercitus salutis causâ, ferimini porrò triumphanter ignito Ignatii Lojolæ curru, uti juvenes Phaëtontes, donec cadatis & pereatis: sufficit mihi, utcunque digesseritis hoc amicum *Memento*, me veraciter posse dicere, *Liberavi animam meam*, quidcunque fiat de vobis & me. Qui hîc solemniter protestor coram toto Orbe adversus hos vestros processus, ut planè nullos & inanes, non Parlamentarios, illegitimos, non Christianos, si non perfidos & proditorios, hoc respectu.

Concludam omnia, aureâ illâ sententiâ ipsius Dei & hominum sapientissimi, Regis Salomonis, quæ bis iisdem penè verbis repetitur, ut studiosiùs à nobis adverti posset & memoriâ teneri, & ab aliis omnibus, in ejusmodi perplexitatibus publicarum actionum, in quas jam incidimus.

Proverb. XXII. ℣. 3 & XXVII, 1. *Prudens vir prævidet malum & abscondit se, fatui autem transeunt & puniuntur.* & cum ea, quæ huic parallela est. Proverb. XIV. ℣. 15. 16. *Fatuus credit cuivis verbo, sed prudens advertit ad gressum suum. Sapiens timet & recedit à malo, sed stolidus infert se & est confidens, & implebitur suis viis.* Quod ita explicatur, Proverb. I. 18. *insidiantur & in sui ipsius sanguinem, abscondunt se in proprias vitas; quorum pedes currunt ad malum, & qui festinant*

ſtinant effundere aliorum ſanguinem. Nam, *averſio ſtolidorum interficiet eos, & proſperitas fatuorum deſtruet eos. Sed qui mihi auſcultaverit, deget ſecurè & quietus erit à malo.*

1. Ianuar. $\frac{1648}{1649}$ Styl. Angliæ.

Vobis addictiſſimus amicus & ſervus, quoad eſtis Dei, Principis veſtri, Regni, Parlamenti, Religionis, eorum qui vobis fiderunt, aut veſtrûm ipſorum veri amici:

WILHELMVS PRYNNIVS.

Proverb. XXVIII. 23.

Qui coarguit aliquem gratiam potius conſequetur, quam qui blanditur linguâ.

Poſt Scriptum.

CErtus ſum, ſi membra, quæ jam conveniunt Weſtmonaſterii, modò velint perſuadere *Generali* & ipſius *Proteſtantibus Officiariis*, immediatè offerre, *juramenta Supremitatis & Fidelitatis, ſolemnem Ligam & fœdus, & novum juramentum abjurationis, ad meliorem detectionem & celeriorem convictionem, Ieſuitarum, Sacerdotum & Papiſtarum*, cui Rex aſſenſus eſt in Tractatu: omnibus Officiariis, Agitatoribus & militibus Exercitus; ſubitò detecturos *totum conclave Ieſuitarum, Sacerdotum & Ieſuiticorum Papiſtarum*, inter eos, qui ipſorum inſtigarunt ad obaudiendum & violenter cogendum Domos, captivandum ipſarum membra; accuſandum, examinandum, deponendum, ſupplicio afficiendum Regem, diſſolvendum præſens Parlamentum, ſubvertendum præſens regimen & conſtitutionem Parlamenti, prodendam Hiberniam rebellibus & nos conjiciendum in hanc Confuſionem. Praxes & propoſita & Studia haud aliorum quàm *Ieſuitarum & Papiſtarum*, quæ omnes fideles Proteſtantes non poſſunt non abominari.

FINIS.

Statu-

Statutum An. XXV EDVARDI III. *cujus ſupra fit mentio in Conſider.* 1.

QVandoquidem diverſæ fuere opiniones ante hoc tempus, in quo caſu crimen læſæ Majeſtatis dicatur & in quo non: Rex ad requiſitionem Dominorum & Communium fecit Declarationem in hunc modum qui ſequitur: Id eſt; cum quis conatur aut imaginatur mortem Domini noſtri Regis, aut Dominæ noſtræ Reginæ, aut Primogeniti noſtri & Hæredis: aut violat Regis conjugem, aut Regis filiam majorem natu cœlibem aut conjugem ſenioris Regis filii & hæredis: aut ſi quis moveat bellum adverſus Dominum noſtrum Regem in ſuo Regno, aut adhæreat Regis inimicis in ipſius Regno, dans illis auxilium & ſubſidium in Regno, aut alibi, & ejus fuerit probabiliter accuſatus aperti facti, à populo ſuæ conditionis: & ſi quis adulteret Regis magnum aut privatum ſigillum, aut illius monetam: & ſi quis falſam monetam importet in hoc Regnum, adulteratam ad monetam Angliæ, & monetam vocatam *Lusburgh*, aut aliam ſimilem dictæ monetæ Angliæ &c.

Anno 1. *Reginæ Mariæ, capite* 1.

Decretum fuit à Regina, cum conſenſu Dominorum & Communium; Nullum factum aut offenſam, per actum Parlamenti factum crimen læſæ Majeſtatis, exiſtimabitur aut judicabitur eſſe ſumma proditio, niſi ſolummodò ea, quæ declarata & expreſſa ſunt eſſe proditiones, per Act. Parlam. factum XXV Eduardi cap. 2.

FINIS.

IVDICIVM VNIVERSITATIS OXONIENSIS,

De
- 1. *Solenni Liga & Fœdere.*
- 2. *Iuramento Negativo.*
- 3. *Ordinationibus Parlamenti circa* — *Disciplinam, & Cultum.*

In plena Convocatione 1 Iunii 1647.

Communibus Suffragiis (nemine contradicente) promulgatum.

Prostant, apud RI: ROYSTON, sub insigni *Angeli*, in vico vulgo nominato *Ivie-Lane*.

M DC XLVIII.

IVdicium Celeberrimæ Academiæ Oxonienſis communibus Suffragiis in Domo Convocationis Iun. 1. (ſtylo veteri) 1647. nemine (in frequentiſſimo licèt Conventu) contradicente promulgatum, & mox typis vernaculo ſermone excuſum, elapſo jam integro, & quod excurrit, anno, Latinè verſum exhibemus; Eo potiſſimùm Conſilio, ut apud exteras Eccleſias (quibus Reformatores noſtros (ſcilicet!) ſuis præſtigiis ac lenociniis & miſerè impoſuiſſe accepimus, & imponere potuiſſe ex animo dolemus) Facti noſtri & Conſcientiæ ratio aliqua conſtaret. Poſt graviſſimas calamitates, quas Deo permittente, & exigentibus Peccatis noſtris, ab eis dum Avaritiæ ſuæ & Ambitioni litant, in has Eccleſias & Regna invectas; detraxit tandem pro immenſâ ſuâ Bonitate clementiſſimus Pater factioſis iſtis Impoſtoribus illam quâ nefaria ſua conſilia incruſtabant, Religionis Larvam, ipſorúmque hypocriſin populo Anglicano reddidit, reddétque (uti ſperamus) magis magíſque indies, univerſo terrarum Orbi, non jam ſuſpectam ultrà, ſed planè perſpectam & exoſam. Poſtquàm excuſſo leniore optimi Regis jugo, ruptíſque omnium jurium divinorum humanorúmque repagulis, cœperunt in populares & contribules ſuos meram ac apertam Tyrannidem exercere: Machinam è multis unam, ſed quâ vix aliam experti ſumus ad ipſorum conſilia domi promovenda & conciliandos exterorum animos magis accommodam (Solenne ſc: Fœdus & Ligam) ut Conſcientiis noſtris conſuleremus, penitus intro-

ſpiciendam, omnéſque ejus partes ſeverius examinandas cenſuimus: ne fortè, velut in Equo Trojano, Sinonius aliquis in tanto corpore ſubeſſet dolus. Deprehendimus quæ nos ab eo Fœdere temerè admittendo abſterrerent ſatis & multa & gravia; quæ in iſto Libello noſtratibus primùm hominibus propoſuimus, ut qui conſcientiis noſtris ſcrupulum injeciſſent, dubia diſſolverent. Sive id ab ipſis contemtione noſtrî, ſive rei deſperatione factum, ipſi viderint, judicent alii; res certa, toto anno nihil reſponſum. Veſtris itaque oculis atque Arbitrio, quicunque in Reformatis Chriſti Eccleſiis ubivis terrarum vivitis, ſcrupulos noſtros ſubjicimus: Obteſtantes ut expenſis priùs quæ à nobis propoſita ſunt, cum eâ quæ Chriſtianos homines decet charitate & candore, eâdem charitate & candore de Conſiliis, Factis, Conſcientiiſque noſtris judicetis.

Oxonii, Iunii x. 1648.

Pro

Pro reformandâ ac tuendâ Religione, Regiâ Dignitate ac Felicitate, triumque Regnorum Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ Pace ac Salute procurandâ,

Forma Ligæ, ſeu Solennis, quod dicitur, Fœderis.

SOLENNE FOEDUS ET LIGA.

NOs Proceres, Barones, Equites, Generoſi, Cives, Burgenſes, Euangelii Miniſtri, & cujuſcunque Ordinis infra Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ regna Plebes, Dei providentiâ ſub eodem Rege degentes, & eandem Reformatam Religionem profitentes; Dei gloriam, Regnique Domini noſtri Jeſu Chriſti incrementum, Majeſtatis, ſoboliſque Regiæ honorem & felicitatem, publicamque Regnorum (in quâ privata cujuſque fortuna includitur) genuinam Libertatem, Salutem & Pacem ob oculos habentes; & proditorias ac ſanguinolentas inimicorum Dei adversùs veram Religionem, ejuſque profeſſores ubique gentium, in hiſce præſertim tribus Regnis ab initio uſque Reformatæ Religionis, technas, conjurationes, inſidias, & artes; ſimulque quantopere & hoc ipſo tempore aucta ſit & exercita ipſorum rabies, vires, audacia (cujus rei præſentiſſima ſunt & publica teſtimonia, deplorata Eccleſiæ & Regni Hiberniæ, afflicta Eccleſiæ & Regni Angliæ, & dubia admodum Eccleſiæ & Regni Scotiæ conditio) recogitantes; Ad conſervandum noſque ipſos & religionem noſtram ab ultima ruina & interitu (poſt alia tentata Supplicationum, Remonſtrantiarum, Proteſtationum & Perpeſſionum remedia) juxta horum Regnorum laudabilem retroactis ſeculis conſuetudinem, & populi Dei apud exteras Gentes exemplum, matura prius

habita deliberatione, constituimus tandem & decrevimus solennem Ligam & Fœdus mutuò inire; cui omnes subscribimus, & pro se quilibet nostrûm levatis ad Deum altissimum manibus juramus.

I.

Quod per Dei gratiam sincerè, seriò & constanter, pro loci & muneris nostri ratione conabimur, Reformatam in Ecclesiâ Scoticâ Religionem, in Doctrinâ, Cultu, Disciplinâ, & Regimine [Ecclesiastico] contra communes hostes conservare; Religionemque in Angliæ & Hiberniæ Regnis, in Doctrinâ, Cultu, Disciplinâ, & Regimine, secundum Dei verbum, & Ecclesiarum optimè reformatarum exemplar, reformare: Conabimur insuper Ecclesias Dei in tribus his Regnis ad arctissimam [quàm fieri potest] in Religione, Fidei Confessione, Regiminis Ecclesiastici forma, Directorio Cultûs & Catechismi, Consensionem & Vniformitatem adducere: Vt nos Posterique nostri in Fide & Dilectione fraternè degamus, & delectetur Dominus in medio nostrî habitare.

II.

Quòd eundem in modum, sine personarum acceptione, Papismum, Prælaturam, [hoc est, Regimen Ecclesiasticum per Archiepiscopos, Episcopos, eorúmque Cancellarios & Commissarios, Decanos, Decanos & Capitula, Archidiaconos, & alios Officiarios Ecclesiasticos ab illâ Hierarchiâ pendentes quoscunque] Superstitionem, Hæresin, Schisma, Impietatem, & quicquid sanæ doctrinæ, & virtuti pietatis contrarium esse deprehendetur, extirpare conabimur: Ne alienorum peccatorum participes facti plagarum etiam participes simus; & ut unus sit in tribus his Regnis Dominus, atque unum Nomen ejus.

III. *Pari*

III.

Pari ſinceritate, ſtudio & conſtantiâ, Parlamentorum Iura & Privilegia, Regnorúmque Libertates, cum vitâ & Fortunarum noſtrarum deſcrimine mutuò conſervare; & Regiæ Majeſtatis perſonam atque authoritatem, in veræ Religionis Libertatúmque Regnorum conſervatione & defenſione, conſervare & defendere, pro noſtri cujuſque muneris ratione conabimur: Vt atteſtetur univerſus Orbis conſcientiis noſtris de noſtrâ in Regem fidelitate, debitámque Regiæ Majeſtati poteſtatem & amplitudinem imminuendi, nullum nobis animum aut intentionem ſubeſſe.

IV.

*Omnes inſuper qui Incendiarii, Malignantes, aut Reformationem Religionis impediendo, Regem à populo ſuo aut Regna ab invicem dividendo, Populúmve in partes aut factiones diſtrahendo, contra præſentem Ligam & Fœdus Malorum inſtrumenta fuerunt erúntve, omni cum fidelitate detegere conabimnr, ut publicam cognitionem & condignas pœnas ſubeant, pro delictorum ſuorum merito & exigentiâ, vel prout utriuſque Regni reſpectivè ſuprema Iudicatoria aut alii ab eis in eum finem delegati judicaverint * expedire.*

* Æquum judicabunt *legit interpres Latinus malâ fide, cum Anglicè legatur* [judge convenient.]

V.

Et quandoquidem Majoribus noſtris uſque denegata beatæ inter hæc Regna pacis felicitas, nobis ſingulari Dei providentiâ conceſſa & per utriuſque Regni Parlamentum nuper conſtituta eſt & confirmata: dabimus operam ſinguli pro loci & muneris noſtri ratione, ut firmâ pace & unione in omne ævum conjuncta permaneant; útque in pertinaces ejuſdem impugnatores juxta modum & formam in præcedente articulo expreſſam animadvertatur.

VI *Quin-*

VI.

Quinetiam in communi hâc causâ Religionis, Libertatis & Pacis Regnorum, omnes eos qui hanc Ligam & Fœdus ineunt, in eadem tuendâ & exequendâ pro loci & muneris nostri ratione adjuvabimus & defendemus: Neque nos à beatissima hâc Vnione & Conjunctione, directè vel indirectè, combinatione, persuasione, vel terrore qualicunque distrahi ac divelli patiemur: sive factâ in adversam partem defectione, sive nos detestandæ ἀδιαφορίᾳ & neutralitati in hâc causâ, ad Gloriam Dei, Regnorum Vtilitatem, Regis Dignitatem tantoperè spectante, permittendo: Sed in eâdem animosè & constanter contra omnem oppositionem omnibus diebus vitæ nostræ permanebimus; eandémque adversus omnia cujuscunque generis obstacula & impedimenta pro virili promovebimus; & quod non poterimus ipsi superare, ut ei maturè occurratur, notum faciemus. Quæ omnia velut Deo præsente præstabimus.

Porrò quoniam Regna ista plurimorum peccatorum adversus Deum & Filium ejus Iesum Christum, ex eorum effectis (præsentibus sc. difficultatibus & periculis) nimis liquidò constat esse rea; coram Deo & mundo profitemur & denuntiamus sincerum cordis nostri desiderium, pro peccatis propriis & pro peccatis istorum Regnorum, nosmet humiliandi: maximè quod Euangelium, quantivis pretii beneficium, prout par erat non æstimavimus, quod ad ejus puritatem & vim non anhelavimus, quodque Christum in corda nostra recipere, atque eo dignè ambulare, non curavimus, quæ reliquorum in nobis tantoperè exuberantium peccatorum ac iniquitatum causæ fuerunt: Simulque pro nobismetipsis aliisque omnibus fidei & curæ nostræ concreditis, cum publicè tum privatim, verum & sincerum animi nostri desiderium, studium

dium, & conatum, in omnibus officiis Deo hominique debitis, vitam noſtram emendandi, & aliis veræ Reformationis exemplo invicem præeundi; quò Dominus à nobis iram ſuam & triſtem indignationem avertat, atque has Eccleſias & Regna in veritate & Pace ſtabiliat. In hoc autem Fœdus coram Deo Opt: Max: omnium cordium ſcrutatore juramus, cum verâ intentione idipſum adimplendi; ut in magno illo die, quum omnium cordium arcana patefient, rationem reddituri: Humillimè Dominum rogantes, ut in eum finem dignetur nos ſancto ſuo Spiritu confirmare, ſicque conſilia noſtra & conatus benedictione ſua proſequi, ut populo ſuo cedant in libertatem & ſalutem, aliæque Eccleſiæ Chriſtianorum Antichriſtianæ tyrannidis jugum cum gemitu vel expertæ vel metuentes, ad conſimilem Aſſociationem & Fœdus ineundum provocentur; ad Dei gloriam, regni Ieſu Chriſti propagationem, Regnorumque & Rerump. Chriſtianorum pacem & tranquillitatem.

Forma Iuramenti Negativi.

EGo A. B. *ex animo juro me in hoc Bello ſive Causâ contra Parlamentum Regi vel copiis quibuſcunque ſine authoritate utriuſque Domûs Parlamenti collectis, directè vel indirectè, non adhæſurum aut opem ſponte laturum. Iuro inſuper in Parlamenti me poteſtatem & fidem mémet recepiſſe, ſine aliquâ intentione, quæ præſenti Parlamento ejûſve rationibus præjudicio ſit: & ſine Regis aut ejus Conſiliarii vel miniſtri cujuſcunque (aliis quàm eſt à me jam indicatum) mandato, conſcientiâ, vel conſilio. Ita me Deus adjuvet per Ieſum Chriſtum hoc ſacroſancto Euangelio annuntiatum.*

IVDICIVM
VNIVERSITATIS OXONIENSIS,

De { *Solemni Fœdere & Liga,*
Iuramento Negativo,
Ordinationibus circa { *Disciplinam,* / *Directorium.* }

QVandoquidem editâ nuper Procerum & Plebis in Parlamento congregatorum *De Visitandâ & Reformandâ Vniversitate Oxoniensi* Ordinatione personis quibusdam *Visitatoribus* ibi dictis potestas concessa est, de iis inquirendi qui in Vniversitate prædictâ oblata sibi *Solenne Fœdus* & Ligam *Iuramentumque* quod *Negativum* vocant, suscipere recusaverint; deque iis qui *Ordinationum* Parlamenti de *Disciplinâ* [Ecclesiasticâ] & *Directorio* [Cultûs Publici] executioni semet apposuerint, earumve executionem pro loci vocationisque suæ conditione non promoverint: Nos *Magistri & Scholares* dictæ Vniversitatis, aliique ejusdem *Officiarii* & *Membra* (non ut aliorum conscientas temerè judicemus, sed ut, dum propriis cavemus, amoliamur quantum in nobis est coram Deo & hominibus omnem obstinati animi pravam suspicionem) nostram de *Fœdere, Iuramento* & *Ordinationibus* prædictis sententiam, ejusque sententiæ veras rationes publicè proponendas duximus: Expectantes sperantesque, è duobus alterutrum nobis pro suâ Justitiâ & Charitate omnes quorum ista re-

ſcire intererit conceſſuros: ut vel ad conſentiendum circa prædicta non ulteriùs adigamur, quàm patitur præſens conſcientiæ noſtræ judicium; vel ſaltem non illicò condemnemur, ſi conſenſum noſtrum tantiſper abſtineamus, dum propoſitis à nobis ſcrupulis plenè & ſolidè ſatisfiat.

§. I.

De Fœderis Proœmio.

DE *Proœmio* ſive *præfatione Fœderis introductoriâ* etſi eò minùs laboremus, quod dici fortaſſe poterit ad ipſius Fœderis ſubſtantiam non ita propriè pertinere: inter alia tamen ibi dicta quorum Agnitio à quolibet Fœderato implicitè requiritur.

1. Primò, illud veremur ut nobis tutò profiteri liceat, *auctam eſſe hoc tempore eorum*, qui ibi *inimici Dei* intelliguntur, *rabiem, vires, & audaciam.*

2. Deinde nec illud verè poſſumus affirmare, ullas nos unquam *Supplicationes* vel *Remonſtrationes* ad effectus ibi memoratos, aut ipſos adhibuiſſe, aut ut ab aliis adhiberentur conſenſum noſtrum præbuiſſe.

3. Neque verò arbitramur mutuam iſtiuſmodi Fœderis conteſſerationem, medium eſſe licitum, accommodum, & probabile, *ad nos Religionemque noſtram à ruinâ & interitu conſervandos.*

4. Nec eam denique vel *laudabili iſtius Regni* retrò actis ſeculis *conſuetudini*, vel approbato *populi Dei apud exteras gentes exemplo*, credimus eſſe conſentaneam: Cùm in Gentis noſtræ Annalibus Fœderis à populo Anglicano ulla unquam occaſione iniri nullibi compareat vel leviſſimum veſtigium: nec nobis occurrat iniri ubivis gentium ejuſmodi Fœderis laudabile exemplum: Imò potius, quod eſſet

eſſet *iſti par* toto orbe nunquam antehàc *Fœdus* extitiſſe ab ejus (*) Patronis fidenter affirmetur.

(*) *Iuramentum, cui quantum ad materiam, perſonas & alias circumſtantias, in ullo unquam ſeculo & juramento ſimile aliud extitiſſe in divinis aut humanis hiſtoriis nullibi legimus.* Phil: Nye, Convenant vvith Narrative, p. 12.

§. II.

De Fœdere Generalia quædam.

IMprimis non ſatis liquet, poſſe à nobis admitti Fœdus quod ſit ſub conſtituta pœnâ imperatum: Quia videtur 1.

1. *Primò*, tale imperium cum *Fœderis naturâ* parùm convenire, quod cum ſit ſpecies quædam *Pacti* ſive *Contractus*, mutuò contrahentium ſupponit (†) *ſpontaneum conſenſum* ad quem ſunt homines ſuaſionibus adducendi, non vi aut metu cogendi. Quinimò hoc ipſum Fœdus in *Præfatione*, *concluſione*, totoque ſui *Corpore*, eâ verborum formâ perſcriptum eſt, quæ conſenſum ſignificet, rationum potius momentis ſubnixum, quàm metu extortum.

(†) *Pactum eſt duorum pluriumve in idem placitum conſenſus.* l. 1. ff. de Pactis.

2. Nec id *ſecundò* fieri poſſe, niſi proditâ ſimul ea *Libertate* quam *Proteſtationis* noſtræ vinculo jam antè obligati, & ex ipſo iſto (‡) Fœdere *Iuramenti* religione jam denuò obligandi ſumus, cum capitis, & fortunarum noſtrarum diſcrimine tueri & conſervare. Cui Libertati, Iuramenti novi nullâ Parlamentaria lege ſanciti impoſitionem planè adverſari, & in notiſſimo illo Statuto quæ (*) *Petitio Iurium* dicitur diſertim aſſeritur; & à Proceribus ac Plebe in (†) *Declarationibus* ſuis agnoſcitur.

(‡) Art. 3.

(*) *Quandoquidem multis eorum* [ſubditorum ſc. *Iuramenta delata fuerint nullis hujus Regni legibus aut conſtitutionibus ſtabilita: Humillimè petunt ne quis in poſterum ad tale Iuramentum præſtandum compellatur —— Qua omnia humillimè petunt —— ut jura & libertates ſuas ſecundum Leges & Statuta hujus Regni.* Petit. of Right 3. Carol. (†) *Declaratum eſt, non poſſe Regem quenquam ad jurandum adigere ſine Statuto Parlamenti.* Declar. 16. Ian. 1642. *Vide* Exact. Collect. p. 859, 860.

3. Nec etiam *tertiò*, nisi agnoscere velimus iis qui istoc Fœdus à nobis exigunt, aliquid in nos juris competere amplioris, quàm aut ab eorum antecessoribus hactenus unquam vendicatum accepimus; aut cum prædictæ *Protestationis* nostræ (si saltem nos eam rectè intelligamus) pluribus nec levioris momenti commatis consistere posse arbitramur.

Neque verò *secundò* sat nobis liquet (etiamsi nulla accederet jubentium potestas, sed suadentium duntaxat authoritate commendata res nostro demum ipsorum arbitrio tota permitteretur)

1. Qui nos pateretur prudentia officiique nostri (*subditi* qui simus) ratio, Fœdus, in quo de Ejus cujus subditi sumus jure agitur, sine ipsius *consensu* vel *expresso*, vel *tacito* saltem, & rationabiliter præsumpto, sponte nostrâ inire. Quum ex æquitate Legis *Num.* 33. penes ipsum esse putemus, quod à nobis sic factum fuerit pro suo beneplacito rescindere & adnullare.

(*) 9 Octob. 19 Car. 2. Postquam Sereniſſima Regia Majestas (*) *publicato Programmate* voluntatem suam hac ex parte abunde jam patefecerit, qui sit nobis porrò integrum *Fœdus ab Ipso explicitè prohibitum* admittere, non violato Ejus *Observantiæ* jure, quam nobis persuasissimum est & nativæ Fidelitatis Lege, & Iurisjurati vinculo, omnibus Regis jussionibus deberi, quæ nullis aut Dei præceptis, aut positivis hujus Regni Legibus manifestè repugnant?

§. III.

De primo Fœderis Articulo.

1. Imprimis postulant Sacræ Literæ ut *cum Iudicio juretur*; quod veremur ut facturi simus, si (quod in primo hujus Ar-

Articuli membro continetur) de *conservanda alterius gentis Religione* juraretur ;

1. Cujus ut nostra non interest esse multum peritis, ita nos admodum imperitos esse profitemur.

2. Quæ (quatenus eam infelicium horum temporum περιστάσεις ad nostram notitiam perduxerunt, & nos arbitrari valemus) in tribus quatuor illorum quorum inibi mentio fit capitibus (*Cultu* sc. *Disciplina* & *Regimine)* aliquantò deterior est, in quarto etiam (*Doctrinæ* sc.) nihilo melior, quàm nostra illa, de qua tamen reformanda in proximo hujus Articuli membro tantopere satagitur.

3. In qua si quid olim deprehenderimus (quod fortasse penitus eam inspicientibus non erit simpliciter impossibile) quod *Papismum*, *Superstitionem*, *Hæresin* vel *Schisma* nobis videbitur sapere, aut esse *sanæ doctrinæ* vel *virtuti pietatis* contrarium: tenebimur vi proximi Articuli ei exstirpando studere, postquam jam antè præsentis Articuli virtute ad eam conservandam obligati fuerimus.

4. In quâ denique (ut illud non dissimulemus) videmur nobis nonnulla interim deprendisse (*) *Superstitioni* & (†) *Schismati*) nostro saltem judicio) adeo finitima, ut illos æquius sit à nobis submoneri sua ut corrigant, quàm nos ab illis ad ea conservanda urgeri.

(*) Viz. *Quod Episcopatum judicent esse Antithristianum, & ritus adiaphoros illicitos.* (†) Viz. *Quod disciplinam illam suam, & Regimen Presbyterianum, notam faciunt veræ Ecclesiæ, & ut ipsum Regni Iesu Christi thronum venerentur.*

Deinde quantum ad alterum illud hujus Articuli membrum, de Reformanda sc. in hoc Regno Religione quoad *Doctrinam*, *Cultum*, *Disciplinam*, & *Regimen Ecclesiasticum*: quum Reformatio Immutationem in sui ratione necessariò & formaliter includat, nondum satis liquet posse à nobis istiusmodi *Reformationem* attentari. II.

Pri-

Primò, ſine manifeſto tum Papiſtarum tum Separatiſtarum ſcandalo,

Iſtoc enim pacto

1. Deſertores nos præſtabimus juſtiſſimæ cauſæ quam inſignes pietate *Epiſcopi* & *Martyres*, aliique Eccleſiæ noſtræ eruditi *Theologi* & *Profeſſores* ab ipſo Reformationis initio ad noſtra uſque tempora, ſuis cùm ſcriptis tùm perpeſſionibus ſtrenuè propugnârant. Qui adverſùs utriuſque generis hoſtem Religionem Eccleſiæ Anglicanæ verbo Dei conſonam eſſe abundè demonſtrârunt.

2. *Papiſtis* erit, quò ſpecioſiùs opprobria illa & contumelias in nos jaciant, quibus infamare ſolent *Religionem noſtram.* Solenne illis jamdiu fuit iſta objectare: Quæ tandem ſiet Religio noſtra, inter nos nondum convenire: Ex quo Romanam Eccleſiam deſeruimus neſcire ubi ſit conſiſtendum, aut pes figendus: Eſſe Religionem noſtram (*) *Religionem Parlamentariam.*

(*) *Nemo nobis vitio vertat quòd eam vocemus Religionem Parlamentariam, Euangelium Parlamentarium, Fidem Parlamentariâ.* Harding. in confut. Apol. Iuel. part 6. c. 2.

3. Agnoſcemus (re ipſa loquente) ſubfuiſſe aliquid in Eccleſiæ noſtræ *Doctrina* & *Cultu* (quibus interim, ab ipſis rigidè exigebatur, ut eſſent conformes) Dei verbo parum conſentaneum: unde utriſque ſuppetat, unis, *Recuſantiæ* ſuæ; alteris, apertæ ab Eccleſiarum noſtrarum communione *Separationis* juſta excuſatio.

4. Quin & illud quoque implicitè ſaltem fatebimur, *Leges* contra *Recuſantes Papiſtas* in hoc Regno ante hac latas iniquas fuiſſe; omniaque ſupplicia virtute dictarum legum eis illata, injuſta. Siquidem illi nobis eo tantùm nomine pœnas dabant, quòd verebantur nobiſcum in eâ publici cultûs formâ communicare, quæ nobiſmet tandem non minùs quàm ipſis fuerit improbata.

Secundò, ſine manifeſtâ noſtri ipſorum injuriâ. Perhibebimus ſiquidem contra noſmetipſos falſum teſtimonium; multi-

multipliceſque alias *Conſcientiis* noſtris, *Exiſtimationi* & *Fortunis* laqueos injiciemus: Si operam noſtram interpoſitâ Iuramenti Fide, obligemus, ad *Religionem* illam (velut pravam & vitioſam) *Reformandam.*

1. Quam antehac propriarum manuum ſubſcriptione conteſtati ſumus eſſe verbo Dei conſentaneam: cujus facti ut nos poſteà pœniteret, nullis aut proprii cordis obmurmurationibus, aut rationum ab aliis adductarum momentis & pondere hactenus effectum eſt.

2. Quam firma animorum perſuaſione non eſſe credimus in quovis dictorum quatuor capitum (prout apud nos legibus conſtituta ſunt) multò minus in univerſis & ſingulis, verbo Dei contrariam.

3. Quam ex animo idque idoneis (ut opinamur) rationibus inducti, multis nominibus potiorem eſſe credimus, Deique verbo, & Eccleſiæ Catholicæ praxi magis congruam eâ, quam in priore Articuli membro ſub Iuramenti Religione conſervare jubemur.

4. Cui ut quilibet Clericus ad aliquod Beneficium Eccleſiaſticum admiſſus conſentiat, Legibus Regni nunquam hactenus abrogatis imperatur. Quibus (*) cautum eſt ut Beneficiatus infra certum temporis ſpatium poſt Admiſſionem ſuam, ſub pœna Amiſſionis Beneficii, 39 *Articulos* (qui Religionis noſtræ ſummam continent) in Eccleſia tempore ſacri Conventus coram univerſo populo ibidem congregato *legat*; moxque lectis ſe ex *animo conſentire* palam & publice profiteatur.

(*) *Stat.* 13 Eliz. *Cap.* 12.

Tertiò, ſine manifeſto Perjurii periculo. Videtur enim iſtoc hujus Articuli membrum (quantum nos quidem judicando aſſequi poſſumus) ex diametro adverſari.

1. *Proteſtationi* illi noſtræ & *Solenni Voto*, quam nos ſanctiſſimè obſervaturos, nec ulla *ſpe, metu alteriuſve rei intuitu*

unquam derelicturos jampridem ſpopondimus. In qua Doctrinam eam, ad quam (ſub nomine veræ Proteſtantium Religionis in Eccleſiæ Anglicanæ doctrina expreſſæ) tuendam voto nos obſtrinximus; eandem ipſam eſſe arbitramur, ad quam reformandam & immutandam opera nunc noſtra delato Iuramento poſtulatur.

2. Præſtito à nobis (juxta *Leges* Regni, & Vniverſitatis noſtræ *Statuta*) *de Regio Suprematu Iuramento.* In quo, profeſſi priùs conſcientia teſte, *Regiam Majeſtatem ſolam eſſe ſummam moderatricem hujus Regni, &c.* tandem Deo teſte ſanctè recipimus, nos *quantum in nobis fuerit propugnaturos atque defenſuros omnes & omnimodas Iuriſdictiones, Privilegia, Præemnentias & Authoritates quaſcunque, vel conceſſas & commendatas Regiæ Majeſtati ejuſque Hæredibus & ſucceſſoribus, vel Imperiali hujus Regni diademati conjunctas & annexas.* Quarum Iuriſdictionum & præeminentiarum una, eaque iiſdem ipſis penè terminis expreſſa Regni Legibus ſic annexa tota poteſtas eſt *Spiritualis ſive Eccleſiaſticæ Iuriſdictionis*, pro corrigendis atque reformandis omnibus & omnimodis erroribus & abuſionibus in rebus Eccleſiaſticis: ut ex dictæ (*) Legis verbis plenius intelligi poteſt. Iuramenti formula, *Propoſitionem* ſuggerente, Legibus Regni, *Aſſumptionem*; qua ratione commode vitari poſſit *Concluſio*, fatemur non eſſe noſtri ingenii explicare.

(*) *Quæcunque Iuriſdictiones, Privilegia, Superioritates & Præeminentia Spirituales & Eccleſiaſtica——pro viſitatione ſtatus & perſonarum Eccleſiaſticarum, & pro Reformatione, regulatione & correctione earundem, atque omnium & omnimodorum errorum, hæreſium, ſchiſmatum, abuſuum, delictorum, contemptuum, & enormitatum, Imperiali hujus Regni diademati, authoritate præſentis Parlamenti conjuncta & annexa erunt in perpetuum.* Statut. reſtit. antiquam Coronæ Iuriſd. 1 Eliz. cap. 1.

§. IV.

§. IV.

De Secundo Fœderis Articulo.

IMprimis antiquam illam Eccleſiaſtici Regiminis formam quam ex animo, nec uti ſperamus immeritò, veneramur; (Vt ſub qua Religio noſtra tam feliciter ſine vi aut tumultu tamque auſpicate & ab initio reformata eſt, & longo poſt tempore ſumma cum veritate & tranquillitate ad honorem & felicitatem Gentis noſtræ, Exterarumque invidiam & admirationem floruit) non poſſumus ſine ingenti animi mœrore & conſternatione intueri, in hoc Fœderis Articulo.

1. Non modo *Extirpationi* devotam; nulla aſſignata rationis vel umbra, ob quam expediat, nedum neceſſe ſit id fieri.

2. Sed & eodem loco habitam cum *Papiſmo*, *Superſtitione*, *Hæreſi*, *Schiſmate & profana Impietate:* quæ omnia profitemur nos tam odiſſe quàm qui maximè.

3. Idque injecta nonnulla ſuſpicione, eſſe eam Regiminis formam *ſanæ doctrinæ* vel *virtuti pietatis* adeò *adverſam*; ut neceſſe ſit qui ei extirpandæ manum non admoverit adjutatricem, *participem fore alienorum peccatorum*: quod nondum adduci poſſumus ut credamus.

4. Quinetiam illud cupimus ut ſeriò expendatur, Si Fœdus conſimili formula *Civibus Londinenſibus* proponeretur, quo ſinguli jurare poſtularentur, *operam ſe ultimam ſincerè, ſeriò & conſtanter ſine perſonarum acceptione collaturos Extirpationi Perduellionis Regiminis Prætoriani*, [i. e. Regiminis Vrbani] (*per Majorem, Aldermannos, Vicecomites, ſenatum civium, alioſque miniſtros & Officiarios inde pendentes*) *Homicidii, Adulterii, Furti, Repetundarum, &c. ne participes eſſent alienorum*

rum peccatorum: Vtrumne exiſtimari poſſit, quenquam civium, qui non omnem juſtæ libertatis ſenſum, amiſiſſet, delatum ejuſmodi Iuramentum æquo animo ſaturum, vel ut actum *Iuſtitiæ*, *Manſuetudinis & Æquitatis agniturum?*

11. Deinde non arbitramur poſſe nos ſalva conſcientia conatus noſtros ad exſtirpandum Epiſcopale Regimen ſub Iuramento polliceri, ſive *Rem* ipſam, ſive *noſmetipſos*, ſive *Eccleſiam Anglicanam* ſpectemus, ſive debitum Regiæ Majeſtati *Obſequium.*

Primò, reſpectu Rei ipſius: Videtur enim nobis eſſe Regimen Epiſcopale, ſi non *Iuris divini* ſenſu ſtrictiore, aſt *Apoſtolicæ* ſaltem *inſtitutionis*: hoc eſt, etiamſi nullibi à Deo explicatè præceptum, ab Apoſtolis tamen in Eccleſiis inſtitutum, ad mentem & exemplum præceptoris ſui Ieſu Chriſti, idque virtute poteſtatis ordinariæ ab eo ipſis ut Eccleſiæ ſuæ Rectoribus ſubſtitutis delegatæ.

Vnde affirmare non dubitamus, *Epiſcopali Ariſtocratiæ* potiori jure quàm alteri cuivis Regiminis formæ, Divinæ inſtitutionis vindicias competere: quæ tamen ſingulæ id ſibi juris peculiariter vendicant, idque vehementius quàm ab Epiſcopis fieri aſſolet: viz. *Monarchia* Papalis, Presbyterialis *Democratia*, & novitia illa *Independentium* informis forma *Anarchia* verius pro arbitrio ſingulorum cœtuum, qui in Eccleſiam aliquam communi membrorum conſenſu de novo collectam ſponte ſua coaluerint. Illud utcunque ex indubitatis veteris & recentioris ævi hiſtoriarum monumentis locupletiſſimè conſtat, *Epiſcopatum* ab univerſa Eccleſia primis illis temporibus receptum, in omnibus Dei Eccleſiis, quà Chriſtianus patet orbis, adeo paſſim invaluiſſe, ut per *Annos mille quingentos* Epiſcopi continua ſerie invicem ſuccedentes ubique gentium duraverint: Perque tot ſecula vix unus & alter repertus fuerit, qui ſe auſus eſt

Epi-

Epiſcopalis Eminentiæ hoſtem apertè profiteri, præter unum *Aërium*. In cujus tamen hiſtoriâ hæc ferè duo ſunt eximia: *Aërii* illam contradictionem ab animi ambitioſi ægritudine initio exortam eſſe, & authori tandem hæreſis notam inuſſiſſe. Facit profectò Epiſcopatûs hæc tam veneranda vetuſtas, ut omninò metuendum ſit, ſi ei eradicando navetur opera.

1. Triumphaturos vehementer *Pontificios*, quibus cordi eſt nos Religionemque noſtram ſpretæ antiquitatis, & invectæ novitatis inſimulare: cum id ab illis objici potuerit, refelli à nobis non potuerit.

2. Ita imminutum iri authoritatem, *conſtanti Vniverſalis Eccleſiæ judicio & praxi* (optimo ſc. Scripturarum in his quæ minùs aperta ſunt interpreti) jure debitam: ut in plurimis ad *Fidem* & *Mores* ſpectantibus, quæque ſecuri uſque & *credimus* & *agimus*, aqua nobis ſæpè hæreat neceſſe ſit, quoties à *Socinianis*, *Anabaptiſtis*, aliiſque *Sectariis* ad ea probanda urgemur. Qualia ſunt, orthodoxæ quædam de divinarum Perſonaram *Trinitate & Coæqualitate* adverſùs *Arianos* alióſque hæreticos & heterodoxos Explicationes, *Sacramentorum numerus*, *uſus & efficacia*; *Baptiſmus Infantium*; *Eccleſiæ Nationales*; *Diei Dominicæ obſervatio*; ipſéque adeò *Sacræ Scripturæ Canon*.

2. *Secundò, reſpectu noſtri ipſorum.* Adverſari enim videtur ipſis Iuſtitiæ, Æquitatis & Humanitatis principiis, exſtirpandi Regiminis Epiſcopalis (nondùm ſatis demonſtrato quòd ſit ex ſe illicitum) ſerium & ſincerum ſtudium, à Nobis ſi exigatur,

A Nobis, inquimus, qui omnes quotquot ad gradus Academicos admiſſi ſumus, 39 *Anglicanæ Confeſſionis Articulis* ſubſcribendo, Regimen ſimul Epiſcopale calculis noſtris comprobavimus: In quibus diſertis verbis aſſeritur

(*) *Artic.* 36. (*) Librum qui *de formâ consecrandi Episcopos* inscribitur, *nihil quod sit verbo Dei contrarium in se continere.*

2. Quorum plerique (quotquot sc. Sacris Ordinibus initiati sumus) ab Episcopis ordinati fuimus: Quibus sanè nequissima talione à nobis responsum foret, si ob collatos per *manuum* ipsorum impositionem sacros Ordines, nunc vicissim ipsis eradicandis nos vicarias *manus* nostras commodaremus: præsertim nullius causæ satis justæ conscii cur ita facto sit opus.

3. Quorum non pauci ante aliquot annos Supplicibus libellis pro continuando Regimine Episcopali, Supremæ Curiæ Parlamenti exhibitis vel exhibendis, nomina nostra subscripsimus. Quod ut à nobis sincerè fuit & seriò tunc factum, sic non minùs sincerè & seriò idem nunc denuò nos facturos profitemur (cùm nemo nos interim edocuerit id perperam esse factum) si quæ spes tunc affulserat receptionis ejusmodi Libellorum, ea nunc denuò affulgeret.

4. Quorum nonnulli Ecclesiæ alicujus Cathedralis vel Collegiatæ membra sumus, & nominibus illis *Decanorum, Decani & Capituli, &c.* in hoc Fœderis Articulo damnatis, vitam victumque nostrum in toto vel ex parte debemus. Nec facilè succurrit nobis ab orbe condito aliquod in hoc genere exemplum: in quo homines, cujuscunque statûs vel Ordinis, quamvis de crimine quod *deprivationem* mereretur (quæ tamen nostra sors non est) juridicè convicti, juramento se obligare coacti fuerint, ut *sincerè, seriò & ex animo conarentur* id extirpare (quod quidem non esset aliter & ex se illicitum) cum quo fortunas suas & præcipua vitæ suæ subsidia unà extirpari necesse esset.

5. Maximè cùm ex Statutis vel consuetudinibus plerarumque istiusmodi Ecclesiarum, soleat ab omnibus earundem

dem membris in primâ ſui admiſſione Iuramentum præſtari corporale; ut *honorem, immunitates, libertates & proficua Eccleſiæ ſuæ conſervare, & quoad vixerint, commodum ejus procurare ſtudeant, nec quicquam libenter & ſcienter faciant quod ei detrimento vel præjudicio ſiet, &c.*

3. *Tertiò, reſpectu Eccleſiæ Anglicanæ.* Veremur enim ut Iuramento nos obligare liceat ad extirpationem Regiminis publicâ Authoritate conſtituti & longo uſu ſtabiliti ſeriò attentandam: nullâ neceſſairâ vel ſatis idoneâ ejus rei cauſâ mentibus noſtris aut ſuâ ſponte objectâ, aut ab aliis oblatâ: Quin potiùs

1. Cùm omnis publici Regiminis mutatio, præter ea quæ præſentia ſunt & manifeſta, multa inſuper alia incommoda neceſſariò ſecum afferat, quæ nullo humano ingenio præcaveri poſſunt, vel etiam prævideri, dum ea dies prodat, & ſera nimis experientia: Non poſſumus eſſe certi, ex immutatione hujus Regiminis (quod in hoc Regno tot ſeculis perduravit, in Legibus Regni tam altas radices egit, & cum Regimine Civili tam arctè conjunctum & complicatum eſt, ut ejus immutatio ingentis in Civili quoque ſtatu & regimine immutationis neceſſitatem inferat) non longè & plura & graviora inſecutura eſſe incommoda, quàm ea, quæcunque tandem illa ſint, ſive vera, ſive putativa mala, quibus remedium ex iſtâ immutatione parari prætenditur.

2. Cùm Procuratores Plebis (Inferioris ſcilicet Domûs Parlamenti) dudùm (†) remonſtraverint, non eſſe ſibi vel in animo vel in votis, *Regimen Eccleſiaſticum abolere*; ſed

(†) *... anſam præbere maligna factioni acta noſtra calumniandi. Populo malam ſuſpicionem infundunt, nobis ſc. propoſitum eſſe Regimen Eccleſiaſticum penitùs abolere.* Remonſt. 15 Decem. 1641. Exact. Coll. pag. 19. *Proceres & Plebs declarant, ſe Eccleſiaſtici Regiminis ac Liturgiæ juſtam & neceſſariam Reformationem intendere, nec quicquam in eorum alterutro tollere, niſi quod malum fuerit & meritò offendere poſſit aut quod ſaltem minùs neceſſarium fuerit & oneroſum.* Declar. 9 April. 1642. Exact. Coll. pag. 135.

ſed potiùs ut *omnia Eccleſiæ Anglicanæ membra iis ordinis & diſciplinæ Legibus, quæ Parlamentariâ authoritate conſtitutæ ſunt regerentur*; imò maligni hominis eſſe ſiniſtram aliquam *in diverſum ſuſpicionem populo infundere*: Summæ eſſet imprudentiæ, conſentiendo ſecundo iſti Articulo, ejus nos *Infuſionis* reos ultrò præſtare, quæ nos periculis ex quarto fœderis articulo incurrendis objiceret.

(‡) Stat. de Carlelo, 25 Edvv. 1. citatum in Stat. 25. Edvv. 3

3. Cùm variis (‡) ſtatutis Parlamentariis declaratum ſit, *Sanctam Eccleſiam Anglicanam in ſtatu Præſulatûs infra Regnum Angliæ fundatam eſſe:* Nobis religio eſt extirpando Præſulatum, ipſa quaſi fundamenta ſubruere, & florentiſſimæ Eccleſiæ ruinam, quantum in nobis eſt, accelerare; quam officii conſcientiæque vinculo tenemur pro virili legitimis modis quibuſcunque ſuffulcire & ſuſtinere.

4. *Quartò* denique, *reſpectu Regiæ Majeſtatis.* Quia non videtur poſſe à nobis attentari Regiminis Epiſcopalis exſtirpationem, ſine ſummarum illarum obligationum, quibus Sereniſſimæ Regiæ Majeſtati ex officio & præſtitorum Iuramentorum religione obſtricti tenemur, multiplici violatione.

1. *Majeſtatem Regiam ſolam eſſe ſummam Moderatricem omnium Eccleſiaſticarum tam Perſonarum quàm Rerum* in *Iuramento Suprematûs* profeſſi ſumus. Quo eodem Iuramento (ut & *Proteſtatione* quoque noſtrâ) *Regiam* nos *dignitatem, ſtatutum, Iurisdictiones & omnimoda jura propugnaturos* ſanctè recepimus. Vnde liquet, non poſſe nos ſine gravi Majeſtatis Regiæ læſione atque injuria, iteratique perjurii crimine, immutationem aliquam in rebus & legibus Eccleſiaſticis, Rege inconſulto, quaſi jure proprio attentare; nedum Regiminis formam lege conſtitutam ab imis radicibus revellere & extirpare. Niſi eſſet Fœderis iſtius Impoſtoribus jus pariter & intentio (quod utrumque

(*) palàm

(*) palàm diffitentur) *abſolvendi nos à vinculo illius obedientiæ*, quæ poſt unum Deum Regiæ Majeſtati debetur, cujus fidei concreditam eſſe Iuris Eccleſiaſtici tutelam non eſt ipſis ignotum.

(*) *Infundunt populo ſuſpicionem nobis propoſitam eſſe, ſua quemque licentia permittere ab illâ Obedientiâ eum abſolventes quam ſub Deo Regiæ Majeſtati debet, cui Ius Eccleſiaſticum æquè ac Civile concreditum eſſe ſcimus.* Remonſtr. 15. Decemb. 1641. Exact. Collect. pag. 19.

2. Non poteſt Eccleſiaſtici Regiminis exſtirpatio à nobis ſincerè & ſeriò attentari, ſine ſincero etiam animi noſtri voto & ſerio conatu, ut iſtiuſmodi exſtirpationi Regius accedat Conſenſus. Quæ à nobis tantùm abeſſe profitemur, ut officii noſtri eſſe putemus, precibus apud Deum Opt. Max. obnixè contendere, ne noſtris peccatis offenſus Regem ſinat cum Honoris & Conſcientiæ naufragio in exſtirpationem ejus ſtatûs conſentire, ad quem pro virili (Deo adjuvante) tuendum & conſervandum in variis (†) *Iuramenti Coronationis ſuæ* articulis tam ſolenniter conceptis verbis ſemet obligavit.

(†) *Se conceſſurum, conſervaturum & confirmaturum leges, conſuetudines & libertates à glorioſo rege Sancto Eduardo Clero conceſſas; & ſe conceſſurum, & conſervaturum Epiſcopis & Eccleſiis eorum curæ commiſſis omnia canonica Privilegia, & debitam legem, atque juſtitiam, protecturúmque & defenſionem exhibiturum ſicut Rex in ſuo regno unicuique Epiſcopo & Eccleſiis ei commiſſis de jure exhibere debet.*

3. Legibus hujus Regni, (*) *Epiſcopatuum &* (†) *Decanatuum Collationes* (*) Terrarum redituúmque ad eos pertinentium tempore vacantiæ *fructus* univerſi & *proficua*; (†) omnium Beneficiorum & Dignitatum Eccleſiaſticarum *Primitiæ & Decimæ*; cum aliis privilegiis, commoditatibus, & Emolumentis quæ è ſtatu Eccleſiaſtico proveniunt plurimis, in *Coronâ hujus Regni* ſtabilita ſunt: ſuntque *Regiorum reddituum* non exigua pars. Quæ omnia abolito *Regimine Prælatico* (juxta ejus vocis in ipſo Articulo expreſ-

(*) Vide Stat. 25. H.8.c.20. & 1 Ed.6. c.2.
(†) Stat.39 Eliz. c.8.
(*) Stat.14 Ed.3.c.4. & 5. & 17 Ed.3. c.14.
(†) Stat.26 H.8.c.3.& 1 Eliz.c.4.

ſam & ſubſequente praxi ulteriùs confirmatam explicationem) à Coronâ in grave ejus damnum & detrimentum abſciſſa erunt & avulſa. Cui rei ne Conſenſum noſtrum præbeamus, ſicut communis æquitatis, atque ejus quæ ſubditos decet fidelitatis Lege prohibemur: ſic ad Regiæ Majeſtatis (*) *decus & ſtatum tuendum*, & (†) *ad propugnandum atque defendendum quantum in nobis eſt omnes & omnimodas Iurisdictiones — ad ipſum ſpectantes, aut Imperiali hujus Regni diademati conjunctas & annexas*, ſub voti Iuriſque jurandi Religione ſolenniter obligati, cenſemus nos non poſſe ſine manifeſti perjurii crimine conſentire.

(*) Vide Proteſtat.
(†) Vide Iuramentum Supremat.us.

4. Cùm ſit regni hujus conſtitutio ὁμολογουμένως *Monarchica & (*) Imperialis*, eaque adminiſtrationis atque Regiminis commodiſſimè temperati: mente nondum ſatis aſſequi valemus, quî nos decere poſſit, ejus *Regiminis Eccleſiaſtici formæ* exſtirpationem attentare, vel etiam expetere, quam cæteris formis omnibus tam probè conſtitutæ Monarchiæ conditioni multò accommodatiorem eſſe exiſtimamus, & cum ipſius periculo vel præjudicio aliquo omnium minimè conjunctam. Hinc felicis Recordationis *Regi Iacobo* illud crebrò in ore fuiſſe accepimus, quod Eum longus rerum uſus docuerat; *Epiſcopus nullus, Rex nullus.* Exagitârunt quidem hoc Prudentiſſimi Regis dictum fidenter ſatis & petulanter editis ſcripturiente hâc tempeſtate libellulis Bardi nonnulli & arrogantes ſcioli: Cæterùm res infra paucos annos publicè geſtas mente recolentibus, pauciſſima nobis occurriſſe profitemur, quæ apud nos ejus Aphoriſmi fidem elevent. Speramus etiam aliquantò nos mitiore cenſurâ notandos, quod ad Epiſcopale Regimen extirpandum activè concurrere ſubvereamur:

(*) *Supremam poteſtatem & merum Imperium apud nos habet Rex.* Camden. in Britan.

Quandoquidem variis antiquis atque authenticis Hiſtoriis & Chronicis manifeſtè dicitur & declaratur, Regnũ hoc Angliæ Imperium eſſe, itaque toto Orbe habitum fuiſſe, ab uno ſupremo Capite & Rege gubernatum, Imperialis ejuſdem diadematis dignitatem & Regalem ſtatum habente. Stat. 24 H. 8. c. 12. Vide etiam Stat. 1. El. c. 1, 2, 3. ac paſſim.

mur: cùm quò tendat ea exſtirpatio, ne cogitari quidem poſſit, niſi aut alienandis Epiſcoporum terris & redditibus (quod ut poſſit à *Sacrilegio & Injuriâ* dividi, aliis divinandum relinquimus) aut ut alteri cuivis Eccleſiaſtici Regiminis formæ introducendæ via ſtruatur. Quæ qualiſcunque demùm futura eſt, eam *Imperio Monarchico* vel prorſùs αὐτόκρατον fore auguramur, vel ſaltem tranquillæ, legitimæ & efficaci ejus Imperii adminiſtrationi magis adverſariam, quàm modeſtis finibus circumſcriptum *Epiſcopale dominium*.

§. V.

De reliquis Fœderis Articulis.

HÆſimus in ſuperioribus Articulis paulò longiùs: qui, quòd ad Religionem & Sacra pertinerent, ad nos etiam propiùs ſpectare videbantur. Qui ſuperſunt Articulos leviore pede percurremus: Contenti è plurimis quæ objici poſſent, iiſque (ut nobis videntur) graviſſimis, pauca quædam eorum quæ magis obvia ſunt delibâſſe.

In *Tertio Articulo* moleſtè nos habet, noſtrum de conſervanda & defendenda Regiæ Majeſtatis perſona & authoritate ſtudium, adjecta illâ limitationis clauſulâ [in *conſervatione & defenſione veræ Religionis & libertatum Regni*] ita contrahi & in arctum cogi. 1.

Quandoquidem

1. Nulla officii noſtri hac ex parte limitatio vel in *Iuramentis Supremat*ûs *& Fidelitatis*, (quæ Iuramenta cum eâ limitatione ne Papiſta quivis præſtare recuſaret) vel in *Solenni Proteſtatione*, vel in *Dei verbo* reperitur.

2. Studium noſtrum pro conſervandis *Iuribus & Privilegiis Parlamenti*, *Regnorumque Libertatibus*, ſine ullâ limitatione in eodem Articulo jurandum exigitur.

3. Ista Limitatio *Subditi obsequium* ita in vago, *Regis salutem* ita in incerto relinquit: ut quandocunque populo collubitum fuerit debitam Regiæ Majestati obedientiam subtrahere, deesse vel inde non potuerit, quod inobedientiæ suæ prætexant.

4. Post contractum ex eo quod novissimè à nobis factum est (præstito nimirùm cum hâc limitatione Iuramento) *imminutæ* ipso facto ejus quæ Regiæ Majestati debetur *potestatis & amplitudinis* reatum: importuna admodùm res videri posset, eodem quasi halitu ad universum terrarum Orbem provocare, *ut attestentur Conscientiis nostris, nullum nobis eam imminuendi animum vel intentionem affuisse.*

5. Videtur esse limitata hæc juratio, *fidelitatis in subditis Testimonium* novæ sanè & stupendæ naturæ: quod, salvis cuique Religionis suæ principiis, posset vel pertinacissimi *Papistæ*, *Hæretici*, aut *Sectarii* conscientia securè deglutire; non posset *Catholici Protestantis* conscientia sine *aliqua nauseâ* degustare.

II. In *Articulo quarto*, rogamus ut pauca hæc maturè cogitentur:

1. Annon imponat iste Articulus filio necessitatem, ut sit patris sui publicus delator, eúmque (si fortè sit *Incendiarius*, *Malignans*, aut alitercunque ejus generis *malum instrumentum*, quale istic describitur) ad interitum usque & mortem persequatur? Quod ab omni *Naturæ*, *Religionis*, *Humanitatis* jure, videtur esse prorsus alienum.

2. Annon aperiatur isto *Parricidiis*, *Vxoricidiis*, aliisque id genus nefariis facinoribus lata fenestra? Cum possint Fœderis sui prætextu *Liberi* Parentibus, *Mariti* Vxoribus, *Cognati* Propinquis, &c. necem struere; scilicet si *Malignitatis* insimulare volent eos, qui velut obices sunt suarum cupiditatum; quo consilia sua quantumvis impia facti

cri hujus Fœderis obtentu, facilius & ſecurius adimpleant.

3. Quum ſolenni Proteſtatione ad tuendam *Subditorum Libertatem* nos obligaverimus; & Procuratores Plebis Domus inferioris Parlamenti omne *Arbitrariæ poteſtatis* exercitium publica ſua *Declaratione* damnaverint, (quam *Declarationem* in ſingulis hujus Regni Eccleſiis & Capellis & publicè legi *juſſerunt & lectam ibidem affigi atque remanere, in perpetuam rei memoriam, & in teſtimonium ſinceritatis & integritatis ſuarum intentionum:*) Annon ſubjectio noſtrique ipſorum, fratrumque & popularium noſtrorum, idque præſtito Iuramento ad quævis ſupplicia perferenda (ſine *lege*, ſine *merito*) pro mero arbitrio Iudicum etiam incertorum, videlicet qui pro data occaſione ad id munus ea vice exſequendum, à quibus tamen incertum, deputati fuerint, nulla prorſus habitâ *loci, conditionis, fortunarum, exiſtimationis* aut *peritiæ* ratione;) ne capitis quidem ſupplicio excepto, *modo id ipſis videbitur expedire*, ſcilicet, (nihil enim amplius in iſto Articulo ad noxam requiritur) etiamſi delicti modus tam grave ſupplicium non mereatur; Annon ſit, inquimus, iſtiuſmodi ſubjectio, *Libertatis noſtræ* fœdiſſima proditio, inque ejus locum *tyrannidis* καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολὴν *Arbitrariæ* ſubſtitutio?

Articuli quinti Summa cum ſit, de *Pace & unione Trium* III.
Regnorum firmanda & conſervanda; quam nos omni legitima ratione pro noſtro cujuſque loco & conditione procurare, & ex officio tenemur, & ex animo cupimus: in eam quidem fœderis partem libentiſſimè nos juraturos profitemur. Niſi quod

1. Nobis nondum videre contigit, proinde nec agnoſcere licet, eam cujus in Articulo mentio ſit, *beatiſſimæ pacis inter* tria *Regna* (Hiberniam enim eſſe apud eos aliquo in numero confidimus) fœlicitatem: dum Hibernia bello

inteſtino laborat, & eodem bello altera duo Regna implicita manent.

2. Quandoquidem non poteſt ſolidè firmari *Pax*, cujus non ſit *Iuſtitia* baſis; Iuſtitiæque maximè proprius & adæquatus actus eſt, *Suum cuique tribuere*: nobis vix credibile eſt, tribus hiſce Regnis firmam & ſtabilem Pacem reſtitui poſſe, niſi ex æquo *Regis*, *Parlamenti*, atque *Subditorum*, *Authoritas*, *Poteſtas* & *Libertas* integræ & inviolatæ conſerventur; juxta cujuſque Regni *Leges* publicas, & indubitatas *Conſuetudines*, prout pacatioribus retrò temporibus, & ante exortas has turbas, uſu receptæ fuerant.

IV. *Articulus Sextus* conſcientiis noſtris nulla ex parte ſatisfacit.

1. Quia totus Articulus in *hypotheſi* fundatur, quam nulla ſolida demonſtratione hactenus firmatam vidimus, viz. *Cauſam hanc*, nempe (ſi rectam ejus vocabuli ſententiam aſſecuti ſumus) hoc mutuæ defenſionis fœdus nuperi belli perſequendi gratiâ ſuſceptum, *cauſam eſſe Religionis, Libertatis & Pacis Regnorum*, atque *ad Dei gloriam, Regnorum commodum, & Regis honorem* tantopere ſpectare.

2. Quia, ſi eſſet iſta *hypotheſis* ita manifeſta, ut ei promptè aſſentire poſſemus, non tamen ſatis eſſet in illa præſidii ad conſcientiæ noſtræ ſecuritatem, ut propterea in reliquam Articuli partem tutò jurari poſſet: niſi liquido etiam conſtaret, *Media* ad ejuſmodi cauſæ defenſionem adhibenda eſſe indubiè licita. Quum enim non ſint facienda mala, ut inde eveniant bona: nobis nondum perſuaſum eſt ſatis, *Cauſam Religionis*, *Libertatis & Pacis* ſuſtineri debere, vel *Dei gloriam*, *commodum Regnorum*, *& Honorem Regis* iis Mediis promoveri, quæ non ſunt (judicio noſtro) iis finibus accommoda & opportuna, quæque ſunt omni quod ſcimus Legum divinarum & humanarum præſidio penitus deſtituta.

In

In ipsa denique *Conclusione*, horrent animi quoties co- V.
gitamus, à singulis fœderatis Deo preces esse offerendas, *cæteræ quæque Christianorum Ecclesiæ nostro exemplo provocentur ad ejusmodi associationem & fœdus ineundum, quo se à jugo Antichristiano liberent, &c.* In qua conclusione

1. Misso quod de *jugo Antichristiano*, quo in his Regnis premebamur, & à quo istius seu *Belli* seu *Fœderis* beneficio liberati sumus, nihil quicquam nobis compertum sit: (nisi quis fortè ea appellatione *Episcopale regimen* significari putet; quod eorum qui *Veritatis* & *Charitatis* cultores audire amant, speramus affirmaturum neminem.)

2. Nihildum domi deprehendere visi sumus, inter fructus istius Associationis sive Fœderis, tam venustum & amabile; ut propterea sit exoptandum, multo minus precibus expetendum, ut aliæ Christianorum Ecclesiæ nostrum hac in re exemplum imitentur.

3. Imò verò in eam sententiam Deum precari, perinde nobis esse videtur, ac si Deum Opt. Max. *pacis & Dilectionis Deum* obsecrare velimus,

1. Vt vulso radicitus è cordibus Christianorum omni pacis & dilectionis studio, toto Christiano Orbe bellorum & simultatum incendia passim grassentur.
2. Vt *Religio Reformata*, cum ipso *Protestantium* nomine universo orbi exosa reddatur.
3. Vt admoneantur Principes Europæi, *Protestantes* durius tractandos; vel etiam potius (si se incolumes esse velint) ditionibus suis penitus exigendos.

4. *Antichristi jugum*, si à legitimis Potestatibus Subditorum cervicibus fuerit impositum, non vi & armis, & divinæ ordinationi resistendo excutiendum esse censemus, sed Christianâ fortitudine (quæ in *veritatis* intrepida *confessione*, & *Tolerantia Crucis* consistit) perferendum.

§. VI.

§. VI.

De fœderis Sensu, sive Interpretatione, Dubia quædam.

RAtionibus supra dictis ulterius confirmandis, ex his quæ proximè sequuntur observationibus accedit non leve momentum.

Primò, non potest Iuramentum sine perjurio præstari, quod continet in se Contradictoria; quia *alteram contradictionis partem necesse est esse falsam.* Fœdus autem istud vel revera continet, vel saltem (quod ad conscientiæ munus perinde est) nobis videtur, aliquam-multas continere *contradictiones.* Inque eis, istas:

1. Vnam eandemque Religionem reformatam *conservare*, id est, non mutare; & *reformare*, id est, immutare, & non conservare.

2. Vnam eandemque numero rem, *(viz.* præsentem Ecclesiæ Scoticæ Religionem) simpliciter & absolutè *conservare*, & ex hypothesi tamen *exstirpare.*

3. *Regimen Ecclesiasticum* in Ecclesiis Angliæ & Hiberniæ legibus constitutum, *ad verbi Dei præscriptum reformare:* & eam tamen Regiminis formam, quam Dei verbo consentaneam judicamus, *exstirpare*, ut alia, de qua non ita persuasi sumus, ejus vice substituatur.

I. 4. Extirpandis *hæresibus*, *schismatis*, *atque impietati*, seriam navare operam: & *regimen Episcopale exstirpare*, ex cujus intermissione præcipue prædicta mala in tantum excreviisse, cujusque restitutionem atque exercitium, eorundem malorum commodissimum & efficacissimum remedium fore, arbitramur.

5. *Libertatis Regni*, sive (ut habent *Protestationis* verba) *libertatem subditorum, cum capitis fortunarumque nostrarum discrimine*

ſcrimine conſervare: & tamen contra eam libertatem, non iſthoc modo *Fœdus* & *Iuramentum Negativum*, nulla lege imperata in nos admittere; ſed & *capita* quoque noſtra & *fortunas* aliorum poteſtati permittere, qui de utriſque *præter jura*, imo & *contra jura*, pro ſuo arbitrio ſtatuere poterint, duntaxat ſi ut ita fiat ipſis videbitur *expedire*.

Secundo, permultæ occurrunt in hoc Fœdere *voces* & *locutiones* valde obſcuræ, & *ſenſus ambigui*: in quas jurari non poteſt cum *judicio*, donec de earum ſententia certi aliquid conſtiterit. Exempli gratia. In primo Articulo; Qui ſint *hoſtes communes?* & quæ *optimè Reformatæ Eccleſiæ?* In quarto; Qui ſint pro *Malignantibus* habendi? Quoad extendi debeat & poſſit quod ibidem *de reformatione impedienda* dicitur? Quod ſit *utriuſque Regni Iudicatorium ſupremum?* Et alia hoc genus compluria. II.

Tertiò, cum inflecti ſæpius verba Fœderis animadverterimus, & miris interpretationibus aliorſum quàm nobis ſonare videbantur incurvari, ut quorundam hominum placitis conſiliiſque, non ſemper optimis, inſervirent: metuendum nobis videtur, ne Fœdus ineundo in eos nos laqueos incauti conjiciamus, unde non ſit integrum ubi voluerimus pedem referre. III.

Vbi enim in *Primo Articulo* agitur de Religione in hoc Regno reformanda, *quoad Doctrinam, Cultum, Diſciplinam, & Regimen, juxta Dei verbum & optimè reformatarum Eccleſiarum exemplum:* I.

1. Reformatio *quoad Cultum*, (qua nihil amplius intendi poſſe & ex verbis ipſis, & (*) publicata *declaratione* ipſorum adducti putabamus, quàm accuratiorem aliquam *publicæ*

(*) *Proceres & Plebs declarant ſe Eccleſiaſticæ Liturgiæ juſtam ac neceſſariam reformationem intendere, nec aliquid in eo tollere, niſi quod malum fuerit, & meritò offendere poſſit, aut quod ſaltem minus neceſſarium fuerit & oneroſum.* Declar. 9. Apr. 1642. Exact. Collect. p. 135.

blicæ Liturgiæ perluſtrationem; ut ſicubi opus eſſet *Tranſlationes Biblicæ* emendarentur, in *Officiis* & *Rubricis* quædam immutarentur, aut ad ſummum è *ritibus adiaphoris* aliquot qui ſcilicet parum eſſent ad guſtum populi ex quadam *συγκαταβάσει* prudenter ſummoverentur) exiit tandem in meram *totius formæ* Legibus conſtitutæ *abolitionem:* nulla interim alia, quæ in ejus locum ſuccederet, certa forma ſubſtituta.

2. *Diſciplinæ & Regiminis*, quam jamdiu parturiunt, *Reformationem* (quantum ex ſignis earum rerum quæ hactenus geſtæ ſunt divinare fas eſt) ea nec conſona nobis videtur *Dei verbo*, nec eſt certè *cujuſvis Eccleſiæ*, optimæ peſſimæve, à mundo condito, (quod ſcimus) *exemplo* conformis.

In *Articulo ſecundo*, minor profecto nos tenuiſſet & dolor & metus, ſi *Papiſmi*, *Hæreſis*, *Schiſmatis*, *& Impietatis* exſtirpationem, paribus ſtudiis, celeritate, animorumque & nervorum contentione agitari vidiſſemus, atque *Prælaturæ* & ejus rei, quam *Superſtitionem* ſi placet vocari volunt, exſtirpationem agi vidimus. Cæterùm cum animadvertamus ex una parte, *Prælaturæ* & *Superſtitionis* tollendæ obtentu, quorundam hominum præmaturam ſatagentiam, in *reditibus Eccleſiaſticis* & *vaſis ſacris* (Superſtitionis non alio nomine reis, niſi quod alicujus pretii ſint) inuncandis & converrendis; ex altera parte ferocium iſtorum Reformatorum, in *hæreſi, ſchiſmate* & *impietate* (ut minoris compendii rebus) exſtirpandis, miram lentitudinem & ſupinam indiligentiam ut in illo opere ferveant, in hoc frigeant: Diſſimulare profecto neutiquam valemus mentis noſtræ ſuſpicionem, *habuiſſe* Fœderis hujus Architectos aliud quidpiam *ob oculos* præter ea quæ initio *Præfationis* ab eis memorata ſunt: & in hoc Articulo latitare aliquid, quod

Sa-

Sacrilegio tam ſit affine, ut tutiſſimum eſſe putemus ab eo utcunque abſtinere.

Ad *Articulum tertium* quod attinet

1. Etſi quo quidque eorum quæ ibi recitantur ordine collocetur, nobis videri poſſet aliàs magni nec momenti res, nec periculi; poſtquam tamen (in oratione ſua Parlamentaria) *Chaloneru*s cum aliis, tanti eam rem fecerint, ut inde argumentum extuderint; ex eo probare conati, *Regiæ perſonæ & authoritatis* defenſionem, conſervationi *Iurium & Privilegiorum Parlamenti*, & *Libertatum Regni* poſthabendam eſſe, quod hæc in Fœdere (*) priorem locum obtineat, illa poſteriorem: Condonabunt nobis, uti ſperamus, omnes boni, ſi in illa Fœderis verba ita intellecta jurare pertimeſcamus. Præſertim ſi cogitent, ſi obtinere debeat argumentum à mero ordine ductum, non minus validè ex adverſa parte deduci poſſe, *Regis Perſonam*, *Dignitatem & ſtatum* primo loco tuenda eſſe, altera illa ſecundo tertiove: nimirum ſic poſtulante eo ordine, quo in *Proteſtatione* recenſentur. Vnde etiam ulterius ſequetur, quum *Proteſtatio* illa hoc *Fœdere* antiquior ſit, validiorem eſſe illius quam hujus obligationem: quia *Obligatio prior ſemper præjudicat poſteriori.*

(*) *Vnde liquidiſſimè conſtat, Iura & Privilegia Parlamentorum, & Regnorum Libertates, eſſe primo loco conſervanda.* Anſvv. to Scottish Papers, 18. Nov. 1646. p. 21.

2. Quandoquidem aliquos noverimus ad Fœdus hac ex parte ſuſcipiendum eo facilius adductos fuiſſe, quod diceretur illa *Limitatio* [*in conſervatione & defenſione veræ Religionis, & libertatum Regnorum*] non eſſe excluſive intelligenda: quoties tamen animadvertimus conſeſſum *domus* inferioris Parlamenti *in reſponſione ſua ad quædam Scotorum ſcripta*, hanc Limitationem (*) aliquoties urgere, ut clauſulam imprimis neceſſariam, & ſine qua *Regiæ Perſonæ &*

(*) *Obſervamus vos Regiæ defenſionis bis meminiſſe ex verbis Fœderis, omiſſa utrobique illam clauſulam*, IN CONSERVATIONE, &c. pag. 39, 40. — *Summi momenti clauſula, ſine qua reliqua Articuli pars citari non debet.* p. 56

Authoritatis defenſio ne nominanda quidem ſit; abſterreri nos par eſt ab hoc *Articulo Fœderis*, hoc ſaltem ſenſu, admittendo.

3. Maximè cum in nuperrimè edito libello rotundè aſſeratur, Regem ob non conſervatas uti debuit Regni libertates, &c. in *Tyrannum* degeneraſſe & *Regem eſſe* deſiiſſe: proinde & *Subditos* ejus deſiiſſe eſſe *Subditos*, nec ei Obſervantiam aliquam ultra debere. Quam *Aſſertionem* cum ex animo deteſtemur, ut in Suppoſitione *falſam & calumniatricem*, in Illatione verò *Seditioſam & Diabolicam:* abſit ut in hæc verba jurando, tam impiæ aſſertioni vel in minimo faviſſe videamur.

Sed enim *Quarti Articuli* de Malignantium, &c. punitione verba, meminiſſe piget, & recogitantibus horreſcunt animi, quanta cum audacia in atrociſſimorum facinorum patrocinium inclinârint, cum alii aliter, tum is maximè, qui edito ſub (*) *Correctoris* titulo libello, *Chaloneriana orationis* defenſorem agit. Is γυμνῇ τῇ κεφαλῇ Parlamenti utriuſque domus Confeſſui denunciat, teneri eos virtute Fœderis (qua nimirum parte *malorum ſe inſtrumenta ad dandas commeritas pœnas adducturos* ſpoponderunt) Regem & univerſam Regiam ſobolem funditus delere: nec poſſe idonea aliqua ratione defendi, *Straffordium & Cantuarienſem* ob *Delinquentiæ* (quod vocant) crimen jure capite plexos, quamdiu *delinquentium coryphæum* permittant eſſe impunitum.

(*) *The Corrector of a ſpeech without doores.*

§. VII.

De Salvis ſive Effugiis.

HAbent tamen viri, quàm nobis licet eſſe, aliquantò prudentiores, quibus ſe adverſùm ſcrupulos prædictos uni-

univerſos vel ſaltem graviſſimos tueantur, ſua quædam σοφὰ φάρμακα & Effugia. Sed quæ poſt debitum examen non deprehendimus eſſe ejuſmodi, ut in eis tutò acquieſcere poſſint conſcientiæ noſtræ.

Primum κρησφύγετον generale eſt: *poſſe quemlibet in verba* 1.
Fœderis jurare ſenſu proprio. Atqui in juramento promiſſorio ἐπακτῷ, in quo adimplendo & aliorum ratio habenda ſit, id nullatenus videtur admittendum: ſive *Rem* ipſam intueamur, ſive quod inde oriri poſſit *ſcandalum.*

Inprimis *Res ipſa* apertò repugnat 1.

1. *Iurisjurandi fini & uſui.* Cui niſi adſit ſimplicitas, non poteſt in *veritate* & *juſtitiâ* jurari: nec inſerviet tale juramentum terminandis litibus, & *tollendæ contradictioni*, qui Juramenti finis proprius eſt. *Hebr. 6.*

2. *Fini Sermonis* proprio. Deus enim hominibus uſum Sermonis eo fine conceſſit, ut eſſet animorum interpres. Ergo oportet, ſicut in omni converſatione & contractibus, ita vel maximè ubi Juramenti intervenit fides, ſic uti Sermone, ut ii quorum intereſt animi noſtri ſenſu ex verbis intelligant.

3. *Fini iſtius ipſius Fœderis.* Quæ cùm ſit ſtabilis inter partes conjunctionis aſſecuratio, ut ex mutuis promiſſis confirmatior, ſit invicem mutuæ defenſionis & auxilii fides: ſi cuique liberum fuerit *ſuo ſenſu jurare*, nempè uni hoc ſenſu, alteri diverſo; nihilo major erit inito jam fœdere, quàm nondum inito fuerat, mutui auxilii certitudo.

4. Solenni denique *profeſſioni cujuſque fœderati.* Qui in ipſius formulæ concluſione diſertis verbis pronunciat, idque *coram Deo Opt. Max. omnium cordium ſcrutatore, ſe in illud fœdus jurare cum ſincerâ intentione id ipſum adimplendi, &c.*

Quin & *ſcandalum* hic oritur non léve, datâ adverſariis Re- 2.
ligionis noſtræ infamandi eam occaſione, objiciendique.

1. Id ipſum à nobis fieri, quod in *Pontificiis* damnamus: *viz.* eludi Juramentorum fidem Jeſuiticis *æquivocationibus* & mentalibus *reſervationibus*.

2. Tremendum Dei nomen in vanum aſſumi, & *Iuramenta* nobis rem ludicram eſſe: quibus quod *uno ſenſu* hodie juratum, eſt cras alio ſenſu, quod ei planè contrarium ſit jurare licebit.

3. Omninò veriſſimum eſſe, quod *Presbyterianis* ſpecialiter à (*) *Ieſuitis* pariter & (†) *Sectariis* objicitur; Lubricam eſſe fidem Proteſtantium: quia aliud *verbis* palam prolatis, aliud *ſenſu* intus in pectore reſervato, jurare ſibi licere putant.

(*) *Hæretici nec Deo, nec hominibus ſervant fidem.* — *Speciatim hoc addo, Calviniſtas in hâc re deteriores eſſe Lutheranis. Nam Calviniſta nullam ſervant fidem Iura, perjura* — *Lutherani moderatiores ſunt* Becan. 5. Manual. Controv. cap. 14. num. 4. & 6. (†) — *Invenire juramenta & fœdera, in eiſdem pro libitu ſuo diſpenſare, pii, presbyteri inſtar Iurare & Pejerare* — Arraignement of Perſecut. in Epiſt. dedic.

11. *Secundum κρησφύγετον* eſt etiam generale: Poſſe jurari cum adjectâ tali aliquâ clauſulâ, *Quatenùs licitè potero*; *Quatenùs Dei verbo & Legibus Regni conſentaneum eſt*; *Salvis Iuramentis priùs à me præſtitis, &c.* Verùm enim verò

1. Craſſam hanc Dei illuſionem, ab eo tantùm abeſſe ut nos *perjurii* crimine liberet, arbitramur, ut potiùs novo nos crimine implicet, fœdæ ſcilicet & execrandæ *hypocriſis*.

2. Nobis pariter hoc abſurdum videtur (poſito quòd ſit res ipſa aliàs & ex ſe illicita) ac ſi quis juraret, ſe *homicidium, furtum, adulterium, perjurium*, aut aliud peccati genus, *quatenùs licitè poterit* admiſſurum.

3. Si in ejuſmodi *Salvis* acquieſcere poſſet Conſcientia; liceret nobis liberâ conſcientiâ non ſolùm propoſito jam Fœderi conſentire, ſed & *Concilii Tridentini* decretis, vel etiam *Turcarum Alcorano* ſubſcribere, & ad utriuſvis obſerva-

ſervationem defenſionemque Juramento noſmet obligare: nimirùm adjectâ clauſulâ, *Quoad licebit; Quatenùs cum Dei verbo congruunt; Salvâ fide Chriſtianâ, & voto in Baptiſmate emiſſo, &c.*

Tertium χρησφύγετον *Articulum ſecundum* pecullariter reſpicit, quâ parte *de Regimine Prælatico exſtirpando* agitur. Scilicet intelligendum eſt Articulum de totâ Hierarchiâ Eccleſiaſticâ *collectivè* ſumptâ & *in ſenſu compoſito.* Ita ut ſi tollendis ſolùm *Apparitoribus*, alteriuſve cujuſvis (quantumlibet infimi) ordinis Officiariis ab illa Hierarchia quomodolibet pendentibus, opera daretur, ſalvo interim *Epiſcopatu*; data tamen ex Articuli Sententiâ fides utcunque exolveretur. III.

1. Atqui Fœderis iſtius nec *Latores* verbis, nec *Delatores* factis ſuis aliquod animi ſui vel leve indicium dederunt, unde veriſimile fiat, ex ipſorum Sententia ad perimplendum quod hic juratur nihil ulteriùs à jurante poſtulari.

2. Quin potiùs exiſtimandum videtur, (quantum ex effectibus de cauſis judicari poteſt) id illis fuiſſe conſtitutum, ut *Vniverſa Hierarchia Eccleſiaſtica* cum omnibus & ſingulis ejus membris radicitùs exſtirparetur. Nam

1. Primum de Fœdere contrahendo conſilium, aut *Scotis* authoribus initum, aut à noſtris ad promerendam *Scotorum* gratiam & auxiliares copias ſuſceptum fuiſſe, nulli dubitamus. Omninò ergo debuit eam ſententiam continere, quæ *Scotorum* votis & voluntati eſſet conſentanea. *Scotorum* autem quæ fuerit mens, cùm ex ipſorum publicatis (*) ſcriptis ſatis appareat, non patitur ratio ut credamus

(*) *Vinculo Fœderis utriuſque* ex

domûs Parlamenti conſeſſus, multaque millia Regiorum in Angliâ & Hiberniâ Subditorum, pariter ac nos, Regiminis Epiſcopalis in Regno Scotiæ erectionem impedire obligantur. Similiter & nos, æquè ac illi, ejuſdem in Angliâ & Hiberniâ extirpationem conari obligamur. Declar. Scot. ad Ordines Belgii 5. Aug. 1635. citat. in Anſvv. to Schotish papers, pag. 23.

ex ſublatis *Apparitoribus*, aut alia re qualibet, abſque exſtirpato penitùs Epiſcopatu, eorum expectationi ſatisfieri potuiſſe.

2. Quin etiam quæ poſtquam hoc Fœdus initum attentata ſunt, ut ſc: authoritate Ordinationis utriuſque Conceſſùs Parlamenti, *Epiſcoporum Poteſtas omnis* & *Reditus*, atque adeo ipſum *Nomen*, & (ſi fieri poſſet) Memoria penitus tollerentur: triſti documento ſunt, quæ fuerit eorum in iſto Articulo mens quod conſilium.

IV. *Quarto*, ad ea quæ à ſuprema authoritate Regia, & ſubditorum officio petuntur argumenta, *duplici modo*; reſpondent: ſed neutra reſponſio nobis ſatisfacit.

1. Ajunt *primò* (quæ nobis nova videtur & ſubtilis admodum Theologia) *Protectionem* & *Subjectionem* in mutua invicem relatione conſiſtere: & proinde cum Rex jam *Protectionem* nobis ultra præſtare non valeat, nos viciſſim *Subjectionis* vinculo non ultra obligari. Sed enim cogitandum erat,

1. *Ius Subjectionis* à *Protectionis jure* ortum eſſe, & ad ipſum referri, non autem ad *protegendi actum* ſive exercitium. Ex quo utroque Iure, utraque pars ad ea præſtanda quæ ſui ſunt muneris obligantur: *Subditi* ſcilicet ad *obtemperandum* Regi, *Rex* ad *protegendum* Subditos. Quæ obligatio ut ei incumbit, ex officii conſcientia, ubi id ipſum in ejus poteſtate fuerit, præſtanda: ſic quæ iſti obligationi relativè reſpondet obligatio, nobis incumbit ex officii conſcientia itidem præſtanda, ubi id ipſum in noſtra poteſtate fuerit. Illius ergo impotentia ad id præſtandum quod ſui muneris eſt, nos obligatione id faciendi, quod & debemus & poſſumus, non liberat.

2. Imò etiamſi *Rex protectionem* noſtri cum tueri nos poſſet

poſſet & deberet, immemor officii ſui negligeret: non tamen ex eo neglectu, quantumvis voluntario, ſolvi vinculum illud quo tenemur in conſcientia id quod noſtrarum eſt partium fideliter præſtare. Quanto ergo minus putandum eſt, nos à *Subjectionis* obligatione liberari, cum is à noſtri *Protectione* impediatur culpa, non ſua, ſed aliena; nec *voluntatis* defectu, ſed *poteſtatis*?

2. Ajunt *ſecundò* (in quo tantum non triumphare videntur nonnulli) *Parlamentum* ſupremum eſſe Regni tribunal; Regem ubicunque *perſonaliter præſentem*, præſumi tamen ſemper in *ſuprema illa Curia* (ut & in aliis *inferioribus Curiis juridicis*) *præſentem* adeſſe, *virtualiter*, & per præſentiam poteſtatis; quod igitur ab Ordinum Conventu in Parlamento fit, non *ſine Rege*, ſed *ab ipſo* factum cenſeri debere.

(*)Sic olim habebant antiquæ Legum & Actuum Parlamenti formulæ, *Rex vult, mandat, præcipit, ſancit, concedit, &c. aſſenſu Parlamenti.*

Sed petitâ primo loco imperitiæ veniâ, ſi indoctis formularum & apicum juris (quæ ſunt extra ſphæram ſtudiorum noſtrorum) aliquid fortè exciderit impropriè aut incommodè enunciatum; venia proximè petenda eſt, tantiſper ut nobis liceat idem ſentire quod prius, quoad intellectui noſtro liquidum fiat Regem ibi præſentem eſſe *præſentiâ Poteſtatis*, ſicut ſenſui noſtro liquet eum ibi non eſſe præſentem *præſentiâ Corporis*. Quod ſane (quantum pro ingenii noſtri & experientiæ modulo judicando ſumus) nunquam efficere poterunt, quæ hactenus in eam rem dicta reperimus.

Vide Stat. uſque ad Henr. 4. Exinde ſic: *Rex de conſenſu Baronum Spiritualium & Temporalium, & ad inſtantem petitionem plebis hujus Regni, conſtituit, &c.* Vide Stat.

V. Ad *Præſentiam* enim quod attinet,

1. Majorum noſtrorum perpetua quadam traditione imbuti ſumus ea fide ut credamus (*) ad Leges condendas

à 1 Henr. IV ad 1. Henr. VII Exemplum iſtiuſmodi petitionis Plebis v. 1 Rich. III cap. 6. *Orat univerſitas plebis in præſenti Parlamento congregata, quatenus, &c. — Placeat igitur*

Celſitudini Veſtræ de conſilio & aſſenſu Baronum — in hoc præſenti veſtro Parlamento Congregatorum, & authoritate ejuſdem conſtituere &c.

Nulla Billa actus Parlamenti, Ordinatio vel Edictum Iuris, etiamſi Conſeſſus utriuſque Domus in eam unanimiter conſentiat, donec Regio aſſenſu comprobata fuerit. Anſient Cuſtomes pag. 54.

Aſſemblee de ceux troys Eſtats eſt appellée un Act de Parlament: car ſans touts troys n'eſt aucun Act de Parlament. Finch. Nomotechn. fol. 21. b.

Concedimus, nullos Actus Parlamenti completos eſſe, vel formaliter obligare ſine aſſenſu Regis. H. P. Anſvv. to Dav. Ienkins, pag. 6.

aſſenſum Regis actualem ſimpliciter eſſe neceſſarium, & non virtualem aſſenſum ſolum, qui ſcilicet in utraque Domo Parlamenti inhærere putetur. Alias Regii *Suffragii Negativi* quis poterit eſſe uſus? Aut quorſum opus eſſet in Lege roganda (*) *Regium aſſenſum* expectari, ſi abſque tali ejus aſſenſu totum negotium non minus validè confici poſſet?

(*) *Quod ſi Majeſtati veſtræ placuerit Regia Majeſtatis veſtræ aſſenſu ornare ſine quo nec perfectum & completum eſſe poteſt, nec — &c.* Statut. 1 Iac. cap. 1.

(†) v. Stat. 33 H 8. c. 21.

2. (†) Statuto proviſum eſt, *Regium abſentis aſſenſum alicui Billæ* ſive ſchedulæ *propoſitæ ſub Magno ſuo Sigillo ſignificatum*, ad omnem Iuris effectum non minus validum fore, quàm ſi coram & perſonaliter præſens adeſſet. Manifeſto argumento, ad effectum Legis ferendæ, *Regiam Poteſtatem* in Comitiis Parlamentariis non præſumi poſſe realiter eſſe præſentem; niſi quatenus Rex vel *in propria ſua perſona* coram & corporaliter adeſt, vel abſens præſentiam ſuam ſupplet per *delegatos* quoſdam (ſive *Commiſſionarios*) ſuos Magni Sigilli authoritate ad hoc deputatos. Quævis alia *præſentia realis* ænigmatis inſtar eſt, *Tranſubſtantiationis* monſtro haud abſimilis: ſpectrum ſcilicet & phantaſma, & & quod ſcenæ ſerviat, excogitatum potius quàm vel iis ipſis creditum, quibus utile eſt ut credatur.

3. De *virtuali* iſta Regis in Conſeſſu utriuſque domus Parlamenti *præſentia*, quamprimum nobis vel ex *Brevibus Sum-*

Summonitionum, (i. e. Reſcriptorum Regiorum, quorum virtute Membra utriuſque domus reſpectivè convocantur, formulis;) vel ex receptis & agnitis *Regni Legibus*; vel ex conſtanti Majorum noſtrorum priſci & recentioris ævi *Iudicio & praxi*, vel ex Regiæ mentis per ſuum aliquod *reſcriptum* clara ſignificatione, conſtare contigerit: tum demum nos eam, uti par eſt, prompte & alacriter agnituros pollicemur.

Illud vero alterum argumentum, quod *ab aliorum Tribunalium analogia* ductum eſt, in quibus ſemper *Poteſtas Regia* præſumitur eſſe virtualiter præſens; nobis ſane (ſalvo peritiorum judicio) videtur eſſe non multùm efficax.

1. Primo enim, Argumenta loci Topici *à Comparatis* infirma ferè ſunt, multiſque fallentiis & exceptionibus obnoxia: ita ut niſi inter res comparatas (quod non ſæpiſſimè fit) in omnibus ad collationem ritè inſtituendam requiſitis ratio ſit uſquequaque par nulla ſit probatio. *Conſtabulario* alicujus villulæ licere ferunt, quod *Iuſticiario ad pacem* non licet: & *Seneſchallo* exigui Manerii Ius habet deferendi Iuramentum, quod Iuris *inferiori Parlamenti domui* competere negant.

2. Deinde quod *Curia Parlamenti* ſupremum Regni Tribunal dicatur & ſit, id *Regiæ* ibidem *Præſidentiæ* jure factum accepimus: ut qui ſit (*) ſupremus in ea Curia Iudex, Membra verò utriuſque Domus ipſius ad ſummum non niſi *Conſiliarii*. Quæ ſi ita ſint inter Parlamentum & alia Tribunalia, ratio diſcriminis ex his quæ ſequuntur facilè conſtabit.

(*) *Dominus Rex habet ordinariam Iuriſdictionem, dignitatem & poteſtatem ſuper omnes qui in Regno ſuo ſunt.—Ea quæ Iuriſdictionis ſunt & pacis ad nullum pertinent niſi ad Coronam & dignitatem Regiam nec à Corona ſeparari poſſunt.* Bracton citat Stamford. lib. 2. cap. 2.

Primo *Inferiorum Tribunalium Iudices*, ſunt à Rege deputati, omniaque ut ipſius *Miniſtri* & *vicarii* ejus nomine & 1.

authoritate faciunt. In illis itaque Curiis (quæ ſunt *Miniſterialis* tantum & *Vicariæ Iuriſdictionis*) ſufficit ut Rex ſit præſes *præſentia Poteſtatis ſuæ*: nec enim neceſſe eſt ut ſit ibi perſonaliter præſens, ubi nullus eſt perſonalis ſui ſuffragii neceſſarius uſus: At in *ſuprema Curia Parlamenti*, in qua Rex ipſe ſupremus Iudex pro Tribunali ſedet, ſuo ipſius nomine, & immediata authoritate omnia tranſigens, poteſtas ejus non poteſt præſumi *realiter* eſſe præſens, ſine aut actuali *præſentia perſonæ ſuæ*, aut *virtuali* ſaltem ejuſdem *repræſentatione* magno ſuo ſigillo atteſtata.

Secundò, *Inferiorum Tribunalium Iudices*, quibus omnia Regio nomine & authoritate peragenda ſunt, Regi propterea de jure in ſuis Curiis rite adminiſtrando, fidem ſuam ſolenni Iuramento obligant. Nec enim ibi ſedent jus dicturi aliquo proprio ſuo Iure, ſed Iure fiduciario & à Rege ſibi delegato, ὡς ὑπ' αὐτοῦ πεμπόμενοι. Qua de cauſa *Regii Iudices* dici ſolent, & *Regii Miniſtri*. At in *ſuprema Curia Parlamenti*, Proceres & Procuratores Plebis Regi ſupremo Iudici, quaſi in conſilio aſſident, de arduis Regni negotiis pro communi utilitate conſilium ſuum Regi ubi opus eſt impenſuri: qua de cauſa non *Iudices Regii*, ſed *Regium Concilium* audiunt. Habentque ſua utrique propria & peculiaria Iura & Privilegia, tam inter ſe, quàm à Iuribus Regis diſtincta & diviſa. Vnde ſit ut ſint tres quaſi diſtincti *Gradus*, ſive (*) ut à paucis Annis (hoc ſolo uteremur ſenſu) dici cœperunt (†) *Ordines* vel *Status*, Rex, Proceres, Plebs. Quorum ordinum (quoniam ſupponitur eſſe quilibet ſuorum Iurium optimus cuſtos & con-

(*) Etenim in Iure noſtro *Rex* in Regni Ordinibus nunquam cenſetur,

ſed omnium Ordinum totiuſque adeo *Regni caput* habitus eſt ſemper; Tres verò *Ordines* ſive *Status Regni* ſunt, Clerus, Nobilitas & Plebs. *Nos Regia veſtra Majeſtatis* — ſubditi (viz. Domini Spirituales & Temporales, & Procuratores Plebis) *repræſentantes tres* (Ordines ſive) Status Regni veſtri Angliæ. Stat. 1. *El.* c. 3 — Status Cleri è præcipuis Regni Statibus unus. Stat. 8. *Eliz.* cap. 1. (†) v. *Finch* ſupra ad Lit. d.

conſervator) æquum eſt ut ſinguli,& debitis ſibi privilegiis gaudeant, & intra debitos ſe limites contineant. Quòd ſi cujuſvis *trium Ordinum poteſtas* in duobus reliquis præſumeretur eſſe *virtualiter præſens*; non poſſet is *Ordo* prohibere, ne ſibi juribúſque ſuis ab illis fieret præjudicium. Quod toti Reipublicæ tandem foret exitiale, cùm pendeat totius ſalus & incolumitas, ex ſingularum principalium partium vigore, juriúmque & privilegiorum ſingulis debitorum conſervatione; ut ſc. ſua ſingulis Ordinibus Iura (*Regi, Proceribus, Plebi*) integra maneant & inconcuſſa.

Tertiò, Inferiorum Tribunalium Iudices, eò quòd vicariâ 3
tantùm eâque *merè Iudiciali poteſtate* prædíti ſunt; in Jurisdictionis ſuæ exercitio definitis propterea limitibus, quos ipſis excedere ſit nefas, circumſcripti ſunt: hinc, latis à Principe *Legibus*; illinc, latis à ſe *Sententiis*. Ita ut in Jure dicundo, nec eis liceat à conſtitutis *Legibus* recedere, nec *placitata* ſua revocare. At *Suprema Curia Parlamenti* (virtute ſupremæ illius poteſtatis, quæ Regi Curiæ Præſidi inhæret) non *Iudiciali* modò, ſed & *legislativâ* poteſtate prædita eſt: nec ullis humanis definitionibus ita concluſa eſt, ut non ei liceat cùm *leges* ipſas, tum ſua *placita* pro Jure & arbitratu ſuo immutare, atque revocare. Regius itaque *conſenſus perſonalis* non eſt in illis Curiis neceſſarius, ubi ex earum *legum* præſcripto, quibus ferendis Rex jam antè conſenſum ſuum præbuit perſonalem, omnia gerenda ſunt. Cæterùm ut validus ſit aliquis poteſtatis Actus *præter, ultra, ſupra*, vel *contra conſtitutas leges*; ab iſtarum rerum peritis edocti ſumus (& profectò nobis videtur ſanæ rationi valdè conſentaneum) Regium conſenſum perſonalem eſſe ſimpliciter & abſolutè neceſſarium. Siquidem eſt omnis ejuſmodi Actus exercitium poteſtatis *Legumlativæ* potiùs quàm *Iudicialis*. Et communi omnium Gentium uſu atque

conſenſu receptum eſt, nullum *Legiſlativæ poteſtatis* Actum in aliqua Communitate validum eſſe, niſi ab eâ perſonâ ſive cœtu confirmetur, qui ſit *totius Communitatis* caput, & penes quem ſit *ſummum* in eo populo *Imperium*. Summum autem Imperium in hoc Regno penes *Regem* eſſe, tam eſt extra omnem controverſiam, ut cum in communi ſermone, tum in ipſis Juris paſſim formulis, Rex ubique audiat (*) *Supremus Dominus*, *Rex noſter*, & in juramento Suprematûs conceptis verbis profiteri jubeamur, *Majeſtatem Regiam ſolam eſſe ſummam Moderatricem hujus Regni*. Permittimus itaque aliorum Prudentiæ, ut ſeriò exiſtiment, quanta mala, quæ pernicies publicæ rei inde creari poſſent, ſi unius cujusve *trium Ordinum* jus & poteſtatem à reliquorum utrovis vel utroque contingeret abſorberi, atque ſub *poteſtatis* Judicialis nomine & obtentu, reipſâ tamen *Poteſtas legumlativa* & *Imperialis* ab uno vel utroque (reliquo excluſo) exerceretur.

(*) *Corona Angliæ ita libera ſemper fuit, ut ſub nullâ terrena poteſtate unquam fuerit, ſed immediatè ſub Deo in omnibus ad Regalitatem dictæ Coronæ ſpectantibus.* Stat. 16. Ric. 2. cap. 5. *Omnis ſub eo eſt, & ipſe ſub nullo niſi tantùm ſub Deo. Parem autem non habet Rex in Regno ſuo, quia--- Item nec multo fortiùs ſuperiorem aut potentiorem habere debet, quia ſic eſſet inferior ſuis Subjectis.* Bracton Centenar. 1 Rubric. 36. *Cui ἀυτοκρατορικὴν Legibus ipſis Legum vim imponendi poteſtatem Deus dedit.* Finch Nemotechn. in Epiſt. dedicat. ad B. Iacobum.

4. *Quartò*, cùm ſit omnis *Iurisdictio*, & *Iudicialis Poteſtas* originaliter in *Rege* velut in *Fonte* & *radice* (qui propterea Juris noſtri Scriptoribus (†) *Fons Iuſtitiæ* appellatur) & non in aliâ quacunque Perſonâ vel Cœtu, niſi per derivationem ab illo Fonte; videtur nobis res manifeſta, neque *Iudices Inferiorum Tribunalium* Miniſterialis & Vicariæ Juriſdictionis, neque *conſeſſus Procerum & Plebis* in Suprema Curiâ

(†) Bracton & alii *Bello Legum immutationem aliquâ ex parte intendere eſt Bellum contra Regem concitare, & conſequenter læſæ Majeſtatis crimen, ex Statut. 25. Ed. 3. eo quod Regis Leges ſunt. Ille Fons eſt unde per varios ſuos canales ad Subditos derivantur.* Saint-Iohn in his Speech concerning the Earl of *Strafford*. pag. 12.

Curiâ Parlamenti, vel conjunctim vel diviſim, *Ius* aliquod ſive *Iurisdictionem* in Subditos hujus Regni exercere oportere, quod non planè conſtiterit fuiſſe ipſis *à Rege* collatum, permiſſum, aut aliâ aliquâ emanatione legitimâ derivatum. Nec legitimè derivatum cenſeri poteſt, niſi quod aut ex formis *Regiorum Diplomatum, Brevium, aliorúmve Reſcriptorum*; aut ex Receptis, & Notoriis Regni, vel *Legibus ſcriptis* expreſſo, vel *non ſcriptis Conſuetudinibus* tacito Angliæ Regum Conſenſu ratificatis & confirmatis, apparet fuiſſe *Regiâ* authoritate conceſſum. Quæ *Leges, conſuetudines*, & *Reſcripta*, cum ſint omnium *Iurium* & *Iurisdictionum* cuilibet eorum reſpectivè competentium juſti quaſi Carceres & Cancelli; nobis nondum ſatis demonſtratum eſſe profitemur, vel ex *Legibus*, & *Conſuetudinibus* hujus Regni, vel ex Formulariis eorum *Brevium*, ſive *Reſcriptorum* quibus Membra Parlamenti convenire jubentur; *Conſeſſum duorum Ordinum*, alterum, ambóſve jus habere, & Authoritatem ſine Rege *ſtatuendi, jubendi*, vel *tranſigendi*, ſed *unà cum Rege ſuper arduis* Regni Negotiis (†) *Colloquium habendi, tractandi, & Conſilium impendendi.* Vnde etiam factum exiſtimamus, ut in Supplicationibus, Remonſtrantiis, & Declarationibus ſuis aliisque publicis Scriptis, *Magnum Regis Conſilium* ſe paſſim appellare ſoliti ſunt. Sunt autem *Leges* illæ, *Conſuetudines* & *Reſcripta* (noſtro quidem Judicio) Loci Topici, maximè proprii & idonei, è quibus ampliſſimorum conſeſſuum utriuſque Domûs juſta Authoritas demonſtrativè & cogenter colligi poteſt; & non exiles eæ, atque incertæ deductiones, quas ex Analogiarum quâdam ſpecie, & inſtitutâ rerum ſimilium diſſimiliumque comparatione elicere fortaſſe poterit, vel etiam extorquere, humani Ingenii importuna ſolertia.

(†) *Et ibidem nobiscum Colloquium habere, tractare — ſuper dictis negotiis tractatur. veſtrúmque conſilium impenſur.* — Breve Summonit: Magnatibus, &c.

§. VIII.

§. VIII.

De Iuramento Negativo.

1. I*Vramentum Negativum* ſubveremur ut à nobi præſtari poſſit,

Non proditâ eâ libertate, ad quam tuendam, & *Iuramenti* & *Offici* vinculo jam antè obligati ſumus. Cui Libertati adverſari arbitramur, impoſitam Subdito, *ſine Lege* jurandi neceſſitatem.

2. Non abjuratâ (*) nativâ *Subditorum Ligeantiâ* (ſive fidelitate) violatiſque *Supremat*ûs, *& fidelitatis* Juramentis, à nobis priùs præſtitis. Quibus omnibus ad Regem quantum in nobis eſt defendendum obligati, jurare nunc jubemur (idque ex animo) nos eum nolle defendere, vel ei opem ferre.

(*) *Tenetur quilibet Subditus virtute Ligeantiæ ſuæ ad ſerviendum & auxiliandum Principi ſuo & Domino Supremo, omni tempore quoties opus fuerit,* Statut. 11 Henric. 7. cap. 18.

Non imminutâ plurimùm (contra verba fœderis Articulo tertio) *Regiæ Majeſtatis juſtâ poteſtate & amplitudine,* agnoſcendo ſc. in conſeſſu utriuſque Domûs Parlamenti poteſtatem Regiæ poteſtati oppoſitam. Quum profiteamur nos neutiquam intelligere poſſe, quî poſſit in hoc regno *Poteſtas* aliqua legitimè exerceri, quæ non ſit *Regiæ Poteſtati* ſubordinata.

§. IX.

De Ordinationibus ad Diſciplinam (Eccleſiaſticam) *& Directorium* (*Cultûs publici*) *ſpectantibus.*

I Mprimis *de utriſque conjunctim.* Non certum eſt poſſe nos ſine peccato, *Ordinationibus* Conſeſſuum utriuſque Domûs parere, Regio conſenſu nondum comprobatis.

1. Præſertim eis, quæ non ſolùm *Legibus* hujus Regni, & *Sta-*

& Statutis, unanimi *Regis, Procerum, & Plebis* in Parlamento conſenſu ſtabilitis contraria imperant;

2. Verùm etiam ejuſmodi *Leges* & *Statuta* refigere & in perpetuum abrogare profitentur: cùm enim *ejusdem ſit poteſtatis deſtruere, cujus eſt conſtruere*, nobis nondum perſuaſum eſt, inferiori poteſtati licere, quod à ſuperiori poteſtate legitimè factum eſt, reſcindere, & adnullare.

3. Maximè cùm (†) tota *Poteſtas Iuriſdictionis* circa res Eccleſiaſticas expreſſiſſimis Legis verbis, *Imperiali hujus Regni Diademati in perpetuum conjuncta ſit & annexa.* Et cujus Capitis ſit illud Diadema geſtare, nemini ſubdito fas eſt ignorare. (†) Vid. Stat. 1. Eliz. cap. 1.

Proximè, quod ad *Diſciplinam Eccleſiaſticam* attinet;

1. Si *Diſciplinæ* appellatione contineatur & *Regimen Eccleſiaſticum*, non poſſumus Ordinationi eâ de re parere, niſi exſtipandæ venerandæ Antiquitatis regiminis formæ conſentire velimus. Quæ ſub quibuſcunque Temporum converſionibus, religioniſque in hoc Regno mutationibus, per omnes tamen Seculorum Succeſſiones non modò inviolata perduravit, ſed publicis quoque *Regni Legibus* firmata, *Regúmque Chartis*, Diplomatis & dotationibus ornata fuit. Ampliſſimo ſanè Teſtimonio, eam Regiminis formam, & *Adminiſtrationi Civili, & libertati Subditorum*, accommodatiſſimam, communi hominum judicio ſemper eſſe habitam. Quam etiam ſinguli *Reges Angliæ* continuâ ſerie ſibi invicem ſuccedentes, ſub Regni ſui initium, ſolenni præſtito Juramento conſervaturos ſe & propugnaturos polliciti ſunt. Cujus denique continuationem (‡) ob rationes ſupradictas ex animo cupimus & exoptamus. (‡) Vide ſupra §. 4.

2. Quòd ſi reſtrictiùs aliquanto accipiatur *Diſciplinæ* vocabulum (prout in ſecundo Fœderis Articulo ubi *Regimini* contradiſtinguitur, accipitur) adhuc tamen erit, quod

nobis non uſquequaque ſatisfaciat: *viz.* permitti tot hominum (eorúmque fortaſſis imæ ſortis plurium) arbitrio Chriſtianorum non malorum myriadas à *S. Cœnæ* participatione arcendi poteſtatem. Auſteritatis genus nullo quod ſcimus Dei mandato præceptum; ſed quod potiùs & regulis *Prudentiæ* ac Chriſtianæ dilectionis in genere, & in ſpecie *B. Pauli conſilio* atque *Exemplo* repugnare videtur. Is enim in Eccleſiâ, errorum & corruptelarum quâ in *fide*, quà in *moribus*, refertiſſimâ, poſtquam (*) de *excommunicando* viro quodam ſingulari, qui cum magnâ Chriſtiani nominis infamiâ inceſtam ſine pudore vitam uſque agebat, mandâſſet; ſufficere tum ratus (†) *indignæ manducationis* grave periculum ſub generali docendi formâ Eccleſiæ propoſuiſſe, conſcientiarum particularium ſcrutinium *proprio cujusque examini* permittendum cenſuit: nulla factâ cuiquam aut *Paſtori Eccleſiaſtico*, aut *Presbytero Laico* poteſtate alios examinandi, & pro ſuo arbitratu à Cœnæ communione excludendi. Quoad *Ordinationem* denique illam quæ circa *Directorium* (divini Cultûs publici) verſatur; abolendæ *Liturgiæ Eccleſiæ Anglicanæ* (hoc eſt, tollendo *Libro Precum Eccleſiaſticârum*) non poſſumus liberâ conſcientiâ, quamdiu præſens mentis noſtræ judicium & præſentium Legum vis obtinuerint, ullatenus conſentire.

(*) 1 Cor. 5. 1. &c.

(†) 1 Cor. 11. 28, &c.

1. Quem Librum plerique noſtrûm propriis *Subſcriptionibus* comprobavimus, cum adjectâ etiam ſolenni *promiſſione*, nos aliâ formâ, quàm quæ in eo Libro præſcripta eſt, in publicis Officiis non uſuros.

2. Quo juxta *Subſcriptionem* & *promiſſionem* prædictas, & pro debiti [vi (*) Statuti eâ in parte editi] Officii noſtri ratione, in *Eccleſiis* & *Capellis* noſtris, aliiſque publicis ac privatis Oratoriis conſtanter hactenus uſi ſumus, magno cum animarum noſtrarum fructu & ſolatio.

(*) Statut. 3 *Eliz.* c. 2. & 8. *Eliz.* cap. 1.

3. In

3. In quo nihil credimus contineri, *Quod* (cum eo interpretandi candore quem æquum eſt omne genus ſcriptis concedi) non ſit juſtæ defenſionis capax: *Quod* non eſt à viris doctis, & piis, ab importunorum hominum cavillationibus dudum & abundè vindicatum: *Quodque* non confidamus, poſſe nos (Deo opitulante) adverſus *Pontificios* & alios quoſcunque ejus Impugnatores & Calumniatores, cum res poſtulaverit, tueri & defendere.

4. Qui *Statuto Parlamenti* (idque temporibus tranquillis) publica & plena authoritate & qua ſub Cœlo nullam agnoſcimus majorem aut ſanctiorem, ſtabilitus eſt & confirmatus. Quod *Statutum* tanti apud nos ponderis eſt, ut non ſolum nos omni neceſſitate liberet ea proponendi, quæ contra *Directorium* ejuſve aliquam partem jure objici poſſe videntur: ſed è contra ſummam nobis imponat neceſſitatem Liturgiæ formulam obſervandi, nec admittendi in ejus præjudicium aliquod publici Cultus ſive *Directorium*, ſive *Formulam*, donec *Statutum* prædictum quàm juſta & plena authoritate conditum eſt, tam juſta & plena authoritate abrogetur.

Quo *Statuto* non ſolum omnibus Eccleſiarum Paſtoribus, & verbi Dei Miniſtris, ejus *Libri uſus* diſertim imperatur, ſed & ſub graviſſimarum pœnarum ſanctionibus cautum eſt: [*Ne quis eorum formulam inibi præſcriptam obſervare recuſet: Neu pro Concione, vel alias quicquam pronunciet aut loquatur in dicti Libri Precum publicarum, aut alicujus in eo ejuſve aliqua parte contenti derogationem ſive depravationem.*] Pœnis inſuper conſtitutis in alios quoſcunque (ne *Baronibus* quidem Parlamenti exceptis) qui contra Librum prædictum ſimiliter pronunciaverint aut locuti fuerint: Vel qui verbi Miniſtrum aliquem facto, dictove compulerint, aut alia quacunque ratione induxerint vel procuraverint;

Sacramenta aliave divina Officia alio modo aut forma quam in Libro prædicto institutum est celebrare, vel qui formæ prædictæ aut Ministro cuiquam usum prohibuerit, aut aliàs quoquo modo impediverint &c. ut in verbis dicti Statuti plenius apparet.

Quod etiam *Statutum* postquam semel conditum est, tantæ constat fuisse per omnia succedentia Tempora Authoritatis, ut in omnibus (*) *Statutis contra Papistas* (quos *Recusantes* vocant) exinde conditis, proprius & idoneus Character, qua velut nota distinctiva ejusmodi *Recusans Papista* à Catholico Protestante internoscatur, iste semper exprimatur; Si quis nimirum *publicis Precibus interesse*, aut sacram Synaxin *juxta formas & Ritus in Libro prædicto præscriptas* percipere *recusaverit*. Adeò ut *pluribus Statutis* hoc ipso Parlamento conditis imperata fuerint *Recusantibus* Papistis Tributa dupla proportione persolvenda, *ipsissimo hoc Charactere* juxta Literam eorundem Statutorum dignoscendis.

(*) Vide Stat. 23 *Eliz.* 1. 29 *Eliz.* 6. 35 *Eliz.* 1. & 2. 3 *Iac.* 4. & 5.

Proposuimus libere & perspicuè, quæ sit nostra de *Fœdere, Iuramento & Ordinationibus* prædictis sententia; quam tamen in re qualibet rectius edocti, parati sumus eatenus corrigere & emendare. Vnum hoc interim seriò ut expendatur rogamus, si è tot propositis Scrupulis, unus aliquis (reliquis licet penitus exemptis) mentibus nostris hæreat, cui non sit plenè satisfactum, Conscientiam interim non posse esse planè securam. Quo supposito neque aliis (nondum *data* Conscientiis nostris securitate) æquum erit nos impellere, neque nobis (nondum *accepta*) liberum ad *Fœdus*, *Iuramentum* & *Ordinationes* prædictas in nos admittenda nosmet sponte subjicere.

Quis damnaverit eum qui duabus potentissimis rebus defenditur *jure* & *mente*? QVINTIL.

Beatus qui non condemnat seipsum, in eo quod approbat, *Rom.* 14. 22.

For-

Formula Iuramenti Suprematus *ex Statut.* 1 *Eliz. cap.* 1.

EGO N. M. *Conſcientiâ meâ teſte profiteor atque denuncio, Majeſtatem Regiam ſolam eſſe ſummam Moderatricem hujus Regni, aliarûmque ditionum ac Regionum omnium ſibi ſubjectarum, Nec non omnium tam perſonarum quàm rerum tam Eccleſiaſticarum, quàm civilium. Adeòque nullum exterum ſive Principem, ſive Pontificem, ſive Statum, ſive Poteſtatem, vel habere in hoc Regno, vel habere oportere ullam omnino Iurisdictionem, Poteſtatem, Celſitudimem, Præeminentiam, authoritatem vel Eccleſiaſticam vel Civilem. Itaque palàm ac apertè rejicio atque repudio quaſcunque peregrinas Iurisdictiones, Poteſtates, Celſitudines, Præeminentias & authoritates: ſanctéque recipio me Regiæ Majeſtati, ejúſque Hæredibus, legitimiſque Succeſſoribus, debitam fidem & obſervantiam perpetuò præſtiturum, & quantum in me fuerit propugnaturum atque defenſurum, omnes, & omnimodas jurisdictiones, privilegia, præeminentias & authoritates quaſcunque vel conceſſas, & commendatas Regiæ Majeſtati, ejúſque Hæredibus & Succeſſoribus, vel Imperiali hujus Regni Diademati conjunctas & annexas. Ita me Deus adjuvet per Ieſum Chriſtum hoc ſacroſancto Euangelio annuntiatum.*

Formula ſolennis Voti & Proteſtationis, 5 Maii. 1641.

EGo A. B. coram Deo Opt. Max. polliceor, voveo & obteſtor, me veram Reformatam Proteſtantium Religionem in Doctrina Eccleſiæ Anglicanæ expreſſam, contra Papiſmum & omnes Papiſticas in hoc Regno Innovationes Doctrinæ prædictæ contrarias, quoad legitimè potero, cum vita, viribus, & fortunis meis, propugnaturum atque defenſurum; Atque etiam pro debito (*) Ligeantiæ meæ Officio, Regiæ Majeſtatis Perſonam, Dignitatem & Statum, nec non Parlamenti poteſtatem & privilegia; juraque & libertates Subditorum. Et ſingulas quaſque Perſonas quæ hac Proteſtatione ſe obligaverint, in re qualibet quamcunque in legitima ejuſdem proſecutione eorum quilibet fecerit. Item quoad potero, & licebit, omnes eos qui vi, opera, conſiliis, machinationibus, conjurationibus, aliiſve modis quibuſcunque aliquid quod ſit huic Proteſtationi ejuſve alicui parti contrarium effecerint vel attentaverint, impediturum, & ut ad condignas pœnas perferendas perducantur, omnibus juſtis viis & modis, quantum in me erit, effecturum. Inſuper ut inter tria Regna Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ unio & pax conſervetur, juſtis & honeſtis rationibus omnimodis operam daturum: Et nec ſpe, nec metu, neque cujuſcunque alterius rei intuitu, hanc promiſſionem, votum, & Proteſtationem unquam violaturum aut deſerturum.

(*) Fidelitatis.

FINIS.

PLENVM RESPONSVM

AD

FAMOSVM ET PRODITORIVM LIBELLVM,

Inscriptum,

(Declaratio Communium Angliæ congregatorum in Parlamento, explicans rationes, propter quas nuper statuerint non ampliùs agere cum REGE,)

MICÆ III. Vers. XI.

Capita eorum judicant mercedis causâ, & sacerdotes eorum docent stipendii causâ, & Prophetæ pro pecunia: nihilominus acclinant se Domino & inquiunt, An non est Dominus apud nos? nihil mali potest nobis accidere.

[By Edward Hyde]

Impressum pro R. ROYSTON. 1648.

Ex Anglico in Latinum fideliter translatum.

(8). 145 P.

CONTENTA
HVIVS RESPONSI.

Auctoris methodus. Pag. 2

Ipsorum Principales accusationes contra REGEM. Ibid.

1. *Suam Majestatem jecisse aptissima fundamenta Tyrannidis, per illud axioma seu Principium*, quod non teneatur rationem reddere actionum suarum ulli, præterquam soli Deo; *&, quod Domus Parlamenti, junctæ aut separatæ, nullam habeant potestatem, neque ferendi neque interpretandi ullam Legem.* Ibid.

2. *Secreti Articuli de quibus convenerat, cum ageretur de Connubio cum* Hispania, *& alteri cum actum fuit de Connubio cum Francia &c.* 10

3. *Obitus Regis* Iacobi, *sive refutatio tetræ Illius calumniæ, qua Regem & Ducem Buckingamiæ onerârunt.* 11

4. *Negotium* Rupellense. 15

5. *Destinatum de Germanis Equitibus, Mutuis, privatis sigillis*, Coat & Conduct-Mony, Shipmony, *& plurima Monopolia.* 17

De Hispanica classe ad Dunas. 21

6. *Tortura corporum per flagellationem, aurium amputationem ex aggravata per ſtrictas incarcerationes, & Dominium exercitum in animas per Iurisjuranda, excommunicationes & novos canones &c.* 22

7. *Longa intermiſsio Parlamentorum, & poſt diſſolutionem quorumdam eorum, violatio Privilegiorum, & incarceratio quorumdam Parlamenti Membrorum.* 23

8. *Nova Lyturgia & Canones, miſsi in* Scotiam; *& cancellatio, atque exuſtio articulorum Pacificationis.* 24

9. *Vocatio & diſſolutio Brevis illius Parlamenti, & actiones Regis poſt illam diſſolutionem.* 25

10. *Regem convocâſſe hoc Parlamentum ut impetraret ſuppetias contra Scotos; & cum hanc ſpem vanam deprehendiſſet, tam præfractè addictum fuiſſe malignantibus ſuis conſiliariis, ut eligeret potius deſerere ſuum Parlamentum & Regnum quàm illos permittere Legibus & Iuſtitiæ.* 26

11. *Reginæ propoſitum ad Papiſmum promovendum, & quod obſervaverit Papiſticum Ieiunium: unà cum Secretarii Windebanckii transfretatione cum licentia ſuæ Majeſtatis, poſtquam eſſet jam accuſatus.* 27

12. *Commiſsiones datæ Papiſticis Agentibus ad ſecretò delectus habendos.* 28

13. *Ad*

13. *Adductio Septentrionalis exercitus ad coërcendum & ſubjugandum Parlamentum.* Ibid.

14. *Oblationes factæ Scotis, ſpoliorum urbis* Londini, *ſi vellent exercitum promovere; aut quatuor Comitatuum, cum trecentis millibus librarum, ſi ſe neutros vellent gerere inter utroſque.* 32

15. *Negotium* Hiberniæ. *Vbi ſuſpiciones omnes quæ Regi adſperſæ fuerunt refelluntur, & tota illa cauſa accuratiſſimè excutitur.* 34

16. *Inuſitata præparatio bellicorum apparatuum & armorum, (Rege è* Scotia *reverſo) & novæ excubiæ in & circa* Alþam aulam; Machinæ ignivomæ inventæ & captæ in *ædibus Papiſtarum*; Turris *impleta novis cuſtodibus, & omni genere machinarum ignivomarum, mortariis, & grandioribus tormentis bellicis: diſlocatio* Wilhelmi Balforii, *& ſubſtitutio aliorum officiariorum, qui ſuſpecti erant Ipſis & toti Civitati.* 51

17. *Crimen læſæ Majeſtatis intentatum quibuſdam membris utriuſque Domus, & quod Rex cum tanto comitatu venerit ad Domum Communium.* 55

81. *Comparatio inter proceſſus Regis contra* quinque, *& Exercitus contra* undecim *Membra.* 59

19. *Commiſſiones conceſſæ Comiti* Novo-Caſtri, *& Tribuno* Leggio, *ad intercipiendum* Novum-Caſtrum

& Hullam; & *exſpectatio externarum copiarum è* Dania. 63

20. *Reginæ iter in* Hollandiam, *& ſubductio atque oppigneratio antiquorum monilium Coronæ.* 67

21. *Quando primùm ceperint arma contra Regem.* Ibid.

22. *Violatio Honoris & fidei in Rege, quod toties ſolemniter fuerit proteſtatus, contra ullum propoſitum adducendi ſeptentrionalem exercitum, aut delectus copiarum, ad movendum bellum Parlamento, aut introductionem externarum copiarum, aut ſuppetiarum à partibus ultramarinis.* 70

23. *Non obſervârunt Profeſſiones ſuas factas Regi, neque ſervârunt quæ Populo promiſerant.* 85

24. *Quod ſua Majeſtas proclamaverit illos Proditores & Rebelles, erigens Standardum ſuum contra Parlamentum, quod nullus Rex Angliæ fecerit ante Ipſum.* 86

25 *Erectio ludicri Parlamenti* Oxonii, *ad opponendum illud contra Parlamentum* Angliæ. 91

26. *Plena Relatio primorum Tumultuum.* 95

27. *Pacificatio & pax in* Hibernia. 100

Regis diverſæ Miſſiones, & ipſorum Propoſitiones, & petitiones de Pace. 105

Qua-

Quatuor ipſorum Billæ *exhibitæ ſuæ Majeſtati in arce* Carisbrookia, *inſulæ* Vectæ. 117

Communium reſolutiones, quod nollent amplius agere aut tractare cum Rege. 131

Concluſio; *Demonſtrans, quod numquam queant Pacem Regno reſtituere, aut ſeipſos ſecuros reddere, niſi reſtituendo juſtam & legitimam poteſtatem* REGI, *& obedienter ſe ſubmittendo & conjungendo Ipſius protectioni.* 146

Errata

Errata quædam ita corrigenda.

PAg. 2. l. 21. *fidei commiſſa.* l. 25. cui dicit, p. 3. l. 19. dele *non.* p. 4. l. 22. offerendi. p. 5. l. 21. *conjunctim:* p. 8. l. 21. *Regi* p. 13. l. 7. & notum eſt, p. 15. l. 18. *Penningtonium* p. 19. l. 29. ullum p. 21. l. 9. ultro p. 22. l. 12. negari. p. 24. l. 25. ab omni p. 33. l. 13. *adde*; cogerent reliqua facere p. 36. l. 21. pro *denuò* lege *de uno*; p. 37. l. 29. pro *obligare ut*, lege *obligarent.* p. 38. l. 6. pro, *ibi invadere* lege, *ſe invaſuros* p. 39. l. 27. quod non potuerint. pag. 55. l. 28. ex actionibus. p. 56. l. 8. *Tibaldi* l. 10. *ut vel minima* p. 57. l. 12. pro *ſumus* lege *hujus*, p. 61. l. 1. elevatis. p. 64. l. 28. momenti putentur; p. 67. l. 8. invitaret. l. antepen. captura p. 74. l. penult. Rex. p. 78. l. 16. pro ei lege &. p. 81. l. 7. inſequentis. p. 84. l. 26. ſua Majeſtas p. 85. l. 7. *neceſſarium* p. 88. l. 8. illo p. 92. l. 13. ſub hæc. p. 97. l. 2. ſtudiorum ipſorum, l. 17. longam. p. 100. l. 26. *horrorem* p. 102. l. 4. ferre poterat: p. 105. l. antepenult. *dare* p. 109. l. 23. veteris. p. 111. l. *egregium initium.* p. 114. l. 4. *Eveshamo*, l. 7. *velle* l. 8. cæcidiſſet, p. 117. l. 25. evadi p. 119. l. 24. quod poſcunt p. 126. l. 10. umquam. p. 127. l. 28. à quo l. 29. civilis p. 131. l. 23. *eſt Libertas* p. 135. l. 25. quos p. 140. l. 20. *quibus.* p. 142. l. 9. quâ inops. p. 145. l. 4. *ſuam.*

RESPONSVM

Ad

Famoſum & proditorium libellum,

inſcriptum;

Declaratio Communium Angliæ in Parlamento, exprimens rationes & fundamenta poſtremarum Reſolutionum, de non amplius agendo cum Rege.

SI natura & mens hominum non magis inclinaret in errorem & vitium, quàm in veritatem & virtutem, & memoriæ eorum non magis retinerent argumenta, quæ ipſis ſubminiſtrantur ad pervertendum, quàm quæ applicantur ad revocandum eos, non eſſet opus reſpondere huic ſeditioſæ & proditoriæ Declarationi, quæ ſolummodò complectitur diverſas infames & ſcandaloſas imputationes & opprobria (præter odioſum & irrationalem *Diſcurſum de morte R. Iacobi*, quem licet ſemper muſſitaverint, tamen non niſi nunc pro ſuo agnoverunt) quæ paſſim ſparſa fuerunt contra Regem, in eorum Declarationibus & Remonſtrantiis, & ſint tantum eædem calumniæ & proditiones, compactæ in minus volumen; ad quæ ſua Majeſtas particulatim (cum liberè liceret loqui pro ſeipſo; & populum ſuum informare de rei veritate) plenè & planè reſpondit, ita ut omnes poſſint ex eis colligere maximè naturalia & propria Antidota, ad expellendum venenum, cujus ſpiritus & malignitas (uti ſpero) pene ita evanuit per vetuſtatem & palpabilem igno-/

rantiam compoſitionis, ut nequeat ſumi aut operari in corpus bene affectum; non tamen abs re erit, ad inſtructionem eorum, qui (fortaſſis) non legerunt Regis Reſponſa & Declarationes, & ad revocandum in memoriam aliis, qui obliti ſunt eorum quæ legerunt, colligere reſponſa ante data ad ea, de quibus ſua Majeſtas jam accuſatur; & addere iis, quicquid notitia & obſervatio plerorumque qui fideliter animum advorterunt ad præteritas actiones, ea integritate & obſequio, quæ decent ſubditos, poterit ſupplere: pro quo non opus fuerit longa Apologia, ſiquidem cuivis honeſto magis regulariter & legaliter congruit, vindicare Regem ab his improbis adſperſionibus, quam alicui combinationi & congregationi hominum Illum traducere.

Antequam aggrediamur monſtroſas concluſiones, quæ factæ ſunt, & ad quarum defenſionem iſta Declaratio eſt concinnata; aut irrationales gloſſas ſupra Regis propoſitiones, & deſiderium Pacis & Tractatum; optima methodus fuerit, antè ponderare & examinare ea, ſupra quæ volunt credi ſe fundâſſe deſperatas ſuas concluſiones, & in quibus dicunt, *eſſe continuam ſeriem ruptura fide commiſſa in tribus Regnis, poſtquam ſua Majeſtas cœpit regnare.*

1. Primum crimen eſt, quod Rex in publicis orationibus & Declarationibus jecit fundamenta Tyrannidis, per maximè deſtructivum hoc Axioma & principium, qui dicit ſe aſſentiri, *quod non teneatur rationem reddere actionum ſuarum ulli, praterquam Deo; & quod Domus Parlamenti, junctæ aut ſeparatæ, non habent poteſtatem ferendi aut declarandi ullam Legem.*

Quod omnes docti Chriſtiani omnium ætatum, docuerunt, & omnes periti Iurisconſulti hujus Regni ſemper tenue-

tenuerunt & agnoverunt, non eſt veriſimile eſſe *deſtructivum principium* & aptum fundamentum Tyrannidis: & certè hæc aſſertio ſuæ Majeſtatis non habet minorem authoritatem; nam primum incomparabilis *Grotius*, quem omnes docti venerantur, dicit, quod *Samuël Ius Regum deſcribens ſatis oſtendit adverſus Regis injurias nullam relictam in populo poteſtatem*; *quod* inquit, *rectè colligunt veteres ex illo Pſalmi*; *Tibi ſoli peccavi*, quia cùm omnes ſint *ejusdem ordinis* populus debet eandem obedientiam his, quam illis, licet abſoluta poteſtas & jurisdictio Regum Iſraël, non ſit norma quam cæteri principes debeant arrogare: & *Grotius* citat ibidem S. Ambroſium è notis ad illum textum: *Neque ullis ad pœnam vocantur Legibus, tuti imperii poteſtate, homini ergo non peccavit, cui non tenebatur obnoxius.* *De Iur. bel. fol.* 64.

Sapiens & doctus D. Cancellarius *Egerton*, in ſuo argumento de *Poſt-natis*, citat quosdam textus è lege civili, de magna & abſoluta poteſtate Principum, ut *Rex eſt lex loquens*, & *Rex ſolus judicat de cauſa à jure non definita*, & ait, *ſe non nolle injuriam facere Iudicibus Legis communis Regni, ut ipſis imputet, quod aut ipſi aut Lex communis non attribuant, tantam poteſtatem & authoritatem principibus ſuis Regibus* Angliæ, *ut Lex Canonica Imperatoribus ſuis*: & tum citat è *Bractone* (ſummo Iuſticiario tempore Hen. III & authentico Authore in legibus) hæc verba: *De chartis Regiis & factis Regum non debent nec poſſunt Iuſticiarii, nec privatæ perſonæ diſputare, nec etiam ſi in illis dubitio oriatur, poſſunt eam interpretari, & in dubiis & obſcuris, vel ſi aliqua dictio duos contineat intellectus, Domini Regis erit expectanda interpretatio & voluntas*: & idem *Bracton* alio loco dicit de Rege; *Omnis ſub eo eſt, & ipſe ſub nullo, niſi tantùm ſub Deo.* *Poſtn. p.* 107.

Fundamentum excellentis illius legis *Præmunire* anno XVI. R. Rich. II. cap. 5. & ipſa verba illius Statuti ſunt;

Quod Corona Angliæ *fuerit ita libera omni tempore, ut non fuerit ſub ulla terrena ſubjectione ſed immediatè ſubdita Deo in omnibus rebus, quoad Regalia illius Coronæ, & nulli alteri*; & ſuper illud *axioma* legis, illud bonum Statutum contra Papam erat fundatum.

Si Rex teneretur rationem reddere ſuarum actionum ulli perſonæ aut poteſtati cuicunque (excepto Deo) non poſſet eſſe, *unicus ſupremus Gubernator hujus Regni*, qualis declaratus & agnitus fuit eſſe per juramentum ſupremitatis, quod unumquodque Membrum Domus Communium præſtitit, aut ſi non præſtiterit, non oportet illud ibidem ſedere aut haberi Membrum Parlamenti, per Statutum v. Elizab. cap. 1.

Quoad alteram partem hujus Axiomatis aut principii, *quod Domus Parlamenti, junctæ aut ſeparatæ non habent poteſtatem ferendi aut declarandi aliquid eſſe Legem, quod non ante ita fuerit factum:* fuit judicium & *ſermo* legis ipſius omnibus ætatibus, & ſermo omnium *Parlamentorum.*

Iudicium erat Parlamen. an 11. R. Hen. V. (citatum à Rege in Reſponſo ad x1x Propoſitiones) *Eſſe de Regis regalibus, concedere aut negare tales petitiones, quales lubet Ipſi*; quæ erat tum forma uſitata efferendi deſideria, quæ per Regis approbationem & conſenſum in acta referebantur ut leges. Erat *ſermo legis* ann. 36. R. Hen. VI relatus à D. Dyero; *Regem eſſe caput, Dominos principalia membra, & Communes, puta, Equites, Cives & Burgenſes, inferiora membra, & omnes conſtituere corpus Parlamenti.* Et certe Privilegium Parlamenti non habebatur tunc tam ſacroſanctum, cum Actio *Debiti* inſtituta fuit contra Vice-comitem *Cornubiæ*, quod abſolviſſet quendam *Trewynnardum*, Burgenſem Parlamenti captum durante ſeſſione Parlamenti, ob Breve privilegii, directum ad dictum Vice-comitem (& Regis Bancus

(quo

(quo actio fuit ducta & Vice-comes abſolutus) erat eo tempore proprius locus judicandi, quod eſſet privilegium Parlamenti, cum Lex eſſet maximè proprius Iudex illius privilegii, ſicut & aliorum Iurium.

Eſt ſermo Auctoris *de Modo tenendi Parlamentum*, qui vixit ante tempus *Wilhelmi Conqueſtoris*; & eſt ſermo *Eduardi Cooke* Equitis, in cap. de ſumma curia Parlamenti, quod publicatum ſpeciali ordine Domus Communium poſt initium hujus Parlamenti, quod *non ſit Actum Parlamenti, niſi adſit conſenſus Dominorum & Communium, & regalis aſſenſus Regis:* & idem *Eduardus Coke* dicit in 11 p. illius capitis, *quod innovationes & Novitates in Parlamentariis actionibus ſunt valdè periculoſæ & rejiciendæ.* 4 part Inſtit. p. 25.

Eſt ſermo Parlamenti 1 anno R. Iacobi, cum primum Actum perferretur, petebant ſuæ Majeſtatis regalem aſſenſum, *ſine quo*, ajunt, *non poteſt eſſe perfectum, neque manere ad poſteritatem* &c. Denique eſt *ſermo hujus præſentis Parlamenti*, & quidem eo tempore quo non erant valde modeſti in ſuis prætenſionibus. nam in ſua Declaratione XIX Maij, fatentur, *quod per conſtitutionem hujus Regni, poteſtas ſit in ſua Majeſtate & Parlamento conjunctum:* licet concludant in eadem Declaratione; *quod ſi Ipſe negaverit conjungere ſe cum illis, vellent opus ſuum agere per ſe ſine Ipſo.*

Non eſt ulla Propoſitio quæ magis ſeduxerit homines, quàm ſermones de Parlamentis quod ſint ſuprema curia Iudicaturæ, & propterea habeant ſola poteſtatem declarandi Legem: in confeſſo eſt, Domum Parium in Parlamento (nam omnis prætenſio Domus Communium ad judicaturam, eſt ſine fundamento, & irrationalis, & inaudita, ante hos ſeptem annos) eſſe ſupremam Curiam Iudicaturæ, ad quam quivis qui ſe opinatur oppreſſum per judicium alicujus Curiæ, poteſt per Breve Erroris remove-

re hoc Iudicium, de quo queritur; & à ſententia illius curiæ non eſt provocatio: quod ſua Majeſtas bene expreſſit in Reſponſo ſuo ad illam Declarationem 19 Maij, his verbis; *Non negamus, eos habere poteſtatem declarandi particularem dubium caſum regulariter adductum ad ipſos, quid ſit Legis, ſed facere generalem Declarationem, per quam cognita norma Legis poſſit perverti aut alterari, non habent poteſtatem, nec poſſunt ullam exercere, niſi adducant vitam & libertatem ſubditi ad illegalem & arbitrariam ſubjectionem:* quam aſſertionem eſſe maximè rationabilem, triſtis experientia omnium hominum evicit. Veritas eſt, poteſtatem illam declarandi in particulari caſu ita coram ipſis deducto, potius eſſe poteſtatem declarandi quid faciendum ſit in tali caſu, quàm quid ſit legis; nam ſi evertant judicium ad ipſos allatum, & aliter determinent, quàm judicatum fuerat à juratis Iudicibus, illud Iudicium non eſt norma Iuratis Iudicibus, ſed licet illis in ſimili caſu ſine imputatione criminis Erroris, judicare ut antè; quod oſtendit judices eſſe ſolos interpretes Legis, in ſuis curiis, licet in his caſibus remotis regulariter ad Dominos, pars debeat *acquieſcere*, quia non eſt alia Curia ad quam provocare poſſint.

Adde his, omnibus temporibus, eam reverentiam delatam juratis judicibus Legis, quod Domini in Parlamento ſemper ſecuti fuerint eorum opinionem in ſubjecto legis: neque umquam invenietur ante hoc Parlamentum, Domum Parium declarâſſe aut judicâſſe Legem in aliquo particulari caſu contra unanimem opinionem Iudicum, qui ob illum tantum finem aſſiſtunt; neque æquum eſt aliquos credi idoneos Interpretes aut declaratores Legis, præter eos qui didicerunt illam, & jurati ſunt facere id veraciter. Et ad hoc propoſitum, licet ſit multitudo exemplorum, unum tantùm memorabitur. In Parlamento anni

ni XXVIII Henr. VI, 16 Ianuar. Communes petebant, ut *Wilhelmus de la Poole Dux Suffolciæ* incarceraretur ob multas proditiones & alia odiosa crimina ab ipso commissa; Domini in Parlamento ambigebant, quid responderent, petierunt opinionem Iudicum, qui judicârunt, illum non esse incarcerandum; & ratio erat, quod Communes illum non accusarent de particulari aliquo delicto, sed tantùm onerarent generalibus calumniis & opprobriis; & quia specialia non erant ostensa, non esse incarcerandum: hæc opinio recepta fuit, & Dux non fuit incarceratus, nisi post quatuordecim dies, cum Communes exhibuissent speciales Articulos contra ipsum, quod conspirâsset cum Rege Franciæ, ad invadendum Regnum &c. & tum missus fuit in *Turrem:* tantam reverentiam tum deferebant Iudicibus, & Iudices audebant declarare quid Legis esset.

Postquam manifestavi, hoc destructivum *Axioma* aut *principium*, non esse *novam positionem*, sed congruentem *Antiquitati*, *Conscientiæ*, *veritati & Legi*, & propterea non verisimile esse quod sit aptum fundamentum Tyrannidis: haud intempestivum fuerit, observare hæc verba dicta fuisse à sua Majestate in prima sessione Parlamenti anno III Regni sui, & licet ipsa res sæpius postea & semper debeat ab ipso sustineri: quod ipsissima verba non fuerunt usurpata in Oratione aut declaratione à sua Majestate post initium hujus Parlamenti, & quod illud ipsum Parlamentum duraverit multos menses postea, & ne minimam quidem quæstionem de illis moverit, aut quicquam objecerit, ante hanc novam Declarationem communium, pene 18 annis post illa, & propterea non est probabile ante fuisse perperam intellecta, aut reprehensa.

Haud inconveniens fortè fuerit hoc loco populum docere, quid hi homines intelligant per *potestatem Declarandi*

Le-

Legem, quàm tantopere ambiunt; ut intelligant, quàm parum ipſis defuturum ſit ad deſtruendum Regem & populum, ſi ſemel hanc poteſtatem adepti fuerint, in ſenſu quo intendunt, quod facilius liquebit ex inſtantiis in quibus eam aſſumſêre. Rex proclamat *Ioannem Hothamum* reum læſæ Majeſtatis, quod clauſerit ſibi portas *Hullæ*, & reſtiterit manu armata contra ſuam Majeſtatem, quod dicit eſſe crimen læſæ Majeſtatis per Statutum anni XXV Edw. III. cap. 2. Illi declarant *Hothamum* non occluſiſſe portas in opprobrium ſuæ Majeſtatis, *ſed ad obſequium Ipſius*, & illius Statuti mentem eſſe ſolùm adverſus eos qui bellum movent contra *Regis leges & Authoritatem: Regis authoritatem tantùm eſſe in ipſis: & illos ſolos poſſe judicare de Lege*; & propterea, eos qui movebunt bellum eorum authoritate (licet contra perſonalia mandata Regis, & comitata illius præſentia) non incurrere periculum hujus Statuti: & quod illi qui adhærent Ipſi adverſus eos, eſſe reos proditionis per illud Statutum.

Rex ad informandum ſubditos ſuos, revocat illis in memoriam Statutum an. 11 R. Henr. VII cap. 1. *Nam quicunque tandem ſit, qui attendit Rege & ſupremo Domino hujus Terræ pro tempore, in ſua Perſona & facit Ipſi verum & fidele ſervitium obſequii, aut in aliis locis Ipſius mandato, in ipſius bellis, non accuſabitur aut damnabitur criminis læſæ Majeſtatis, neque amittet Terras, bona* &c. Illi declarant per Regem, in hoc Statuto, intelligi *Parlamentum* ſi illis dicatur, Regem eſſe *ſupremum caput & Gubernatorem ſupra omnes in ipſius Dominiis*, & quod ipſe ita fuerit agnitus per Iuramenta quæ præſtiterunt, illi ſtatim declarant hoc intelligendum de ſingularibus perſonis potius quàm *de Curiis*, aut *de collectivo corpore totius Regni*: exempla innumera hujus generis adduci poſſent, & non eſt opus conſequentias urgere.

Vt

Vt abſurditas poſſit apparere, æquè atque malignitas, applicant hanc facultatem declarandi ſatisfactioni ſuæ curioſitatis, & ſuſtinendum ſuam authoritatem, in ſubjecto Iuris & facti, aut quodvis propoſitum quod poſſit promovere eorum conatus: Intercipiunt Epiſtolam directam ad *Reginæ* Majeſtatem à Dom. *Digby*, antequam bellum inchoaretur, & declarant *fore ignominioſum ſuæ Majeſtati & periculoſum Regno, ſi non reſignaretur*: atque ita inaudita præſumtione aperiunt Epiſtolam & perlegunt, cum ſua Majeſtas tantum unius diei itinere abeſſet: & cùm Rex juſſiſſet *Hothami* literas aperiri, quæ interceptæ erant poſtquam rebellaverat declarant, id eſſe *ſummam rupturam Privilegiorum, quæ per leges Regni & Proteſtationem tenemur defendere vitis noſtris & fortunis.*

Quidam Mr *Booth* generoſus alicujus dignitatis in Lincolnienſi Comitatu, obtulit Petitionem Regi *Eboraci*, in qua queritur de quibuſdam Generoſis, qui ut Deputati locum tenentes, in illo Comitatu ordinationem de Militia exſequebantur: & ponit in ſua petitione diverſas actiones factas & verba dicta ab illis eo tempore & tam ipſe quàm quidam Mr *Scroope* fecêre *affidavit* coram Magiſtro Cancellariæ, informationem in petitione eſſe præciſè veram, quæ petitio & jusjurandum cum eſſent excuſa, Domus Communium declaravit, eſſe falſum: ut nihil dicamus de eorum declaratione, quod Regis acceſſus ad Domum Communium fuerit proditoria molitio contra *Regem & Parlamentum*; & quod Ipſius *proclamatio*, quam publicavit, *ad apprehendendum illa Membra*, fuerit falſa. Ita ut hæc ſola poteſtas declarandi, non opus habeat alia ulla potentiâ, ad ſubvertendum totam machinam Regiminis; atque ita diſponendum de univerſis juribus Principis & Populi, ſecundum varietatem eorum appetituum & humorum:

morum : ajunt enim, *ut quædam exempla eorum Prædeceſſorum non debent eſſe regulæ quas ſequantur, ita non poſſunt limitare eorum actiones.*

Et revera inconſtantia & contradictio in ipſorum regulis & reſolutionibus non minus obſervandæ, quàm aliæ exorbitantiæ; in Petitione ſua XIV Decemb. 1641. declarabant; *quod Rex non debeat manifeſtare aut declarare ſuum conſenſum aut diſſenſum, approbationem aut refutationem alicujus Billæ, in præparatione aut diſceptatione, antequam Ipſi offeratur debito ordine Parlamenti*: tamen paucis diebus elapſis, in petitione quæ comitabatur Remonſtrantiam Status Regni, petebant à ſua Majeſtate, *ut concurreret cum iis, quoad auferendum Epiſcopis vota ſua in Parlamento*; cum Billa illa adhuc hæreret in Domo Dominorum, & non veriſimile eſſet probatum iri.

Per decretum III Ian. 1641. & multas ſubſequentes declarationes, declarârunt, *quòd, ſi ullus, quicunque demùm, præſumet Arreſtare aut detinere perſonam alicujus Membri, non ante monita Domo, legitimum ſit ei ſe defendere & reſiſtere, & alteri cuivis auxiliari Illi in eo facto*: ſed in eorum Declaratione 11 Novemb. ſequentis, *negant ſe hoc dixiſſe*, & fatentur, *quòd Membrum in caſibus Proditionis, Feloniæ, aut Pacis poteſt arreſtari & detineri* in ordine, *ad comparendum coram Parlamento.*

Non eſſet finis harum inſtantiarum, ut non loquamur de iis in quibus Domus Parium declaravit Legem uno modo, & communes altero, ut in Statuto IX Septemb.

2. Secundum crimen eſt, *Secreti Articuli de quibus convenit in ordine ad Matrimonium* Hiſpaniæ, *& alteri illi Articuli in connubio* Franciæ, *tam præjudiciales Paci, incolumitati, & Legibus*, &c.

Qui hi ſecreti Articuli fuerint, aut ſint non expreſſêre

ut

ut haud dubiè feciſſent, ſi aliquod emolumentum ex iis ſperari potuiſſet, cum hæc ſcripta capta, & perluſtrata fuerint ab iis, qui neque rationem habuêre dignitatis ſui Principis, nec honoris ſuæ Patriæ. Articuli cum utroque Regno tranſacti fuêre à ſapientiſſimo *R. Iacobo*, neque poſſunt ſuæ Majeſtati jure imputari: neque in uno aut altero ullus eſt Articulus, cui conſentire non fuerit in Regis poteſtate, eo modo quo conſenſit: & neutrum fuiſſe præjudiciale Paci, incolumitati, Legibus & Religioni hic ſtabilitæ evidentiſſimum eſt, nam illa Pax & Securitas numquam magis viſibiles fuêre, neque Leges & Religio ſtabilita magis floruêre ulla ætate; quàm à tempore horum Articulorum ad initium infelicis hujus Parlamenti, quòd nullus diſcurſus de correſpondentia cum *Roma* impedire poteſt ne agnoſcatur.

3. Tertium quod objicitur, eſt Sermo *de Morte R. Iacobi*, cujus mentio habetur in clauſula accuſationis *Ducis Buckingamiæ*, per Domum Communium intentatæ anno 11 hujus Regis; & quod Rex ingreſſus Domum Dominorum, & noticiam ſumens hujus criminis, dixerit; quòd poſſet eum teſtimonio ſuo in ſingulis excuſare & quòd brevi poſt Parlamentum fuerit diſſolutum; concludunt *quod relinquant orbi judicare ubi hæſerit reatus.*

Durante vitâ *R. Iacobi*, & ad horam obitus Illius, non fuit res ulla terrena è qua par gaudium & ſolatium ceperit, quam ex obedientia & pietate Filii ſui; qui non magis agnitus fuit Hæres apparens Coronæ, quàm obſequioſiſſimus & piiſſimus filius in Regno, & qui numquam offenderit Patrem in Ipſius vita; Rex obiit anno 59 ſuæ ætatis, poſt terribilia ſymptomata febris, quæ verſa eſt in *quotidianam*; morbum ut plurimum lethalem perſonis ejus ætatis & corpulentiæ, qualis erat *R. Iacobus.*

Poſt obitum ejus primo anno Suæ Majeſtatis Regni, Parlamentum fuit vocatum, quo durante ne minima quidem muſſitatio aut ſuſpicio fuit, de Regis morte, aliter quàm naturali, & tamen Rex habebat in Concilio ſuo multos magnos viros, & poſtea plures fuêre in illo Parlamento, haud valdè amicos *Buckingamio*, quorum multi neceſſariò debuerant obſervâſſe, aut ſaltem informati fuiſſe de quibuſdam argumentis tam notorii & odioſi facinoris, & non præteriiſſent quicquam, unde invidia *Duci* potuiſſet creari.

Sub initium Parlamenti anno 2 Regis, quidam *Georgius Eglisham* infamis Scotus, & Papiſta, cum ambiret ſe hoſtem *Ducis* probare, transfretavit in *Flandriam*, atque inde ſub initium illius Parlamenti, tranſmiſit brevem libellum, formâ petitionis ſuo nomine ad Parlamentum, accuſans *Ducem Buckingamiæ* quod intoxicâſſet *Marchionem Hamiltonium* & *Regem Iacobum:* qui libellus induſtriè diſperſus fuit in urbe *Londinenſi:* & Domus Communium eo tempore infeſta Duci, in ſua accuſatione aut Remonſtrantia contra illum, oportunum judicabat inſerere, quod *exhibuiſſet illam potionem*, & *applicâſſet illud emplaſtrum* (quod erat omne memoratum in illo libello concernens *R. Iacobum*) *fuiſſe tranſcendentem præſumtionem in Duce*, ut editum fuit in illa declaratione. Si ingenui eſſent, etiam edidiſſent *Ducis reſponſum* ad illam clauſulam, & tunc populus intellexiſſet, *nihil Regi adminiſtratum, ſine conſcientia Medicorum, & Ipſius importuno deſiderio & mandato:* cum applicata ejuſmodi fuerint, quæ indocti per obſervationem & experientiam in his notis & communibus morbis, credunt multum prodeſſe, & docti agnoſcunt non poſſe nocere: & illud Parlamentum duravit poſt illa ſupra ſeptimanam poſtquam reſponſum illud fuiſſet exhibitum, & ne unus quidem com-

comparuit, qui vel unum argumentum offerret ad clauſulam hanc probandam, & Rex jure poterat ad honorem fidelis miniſtri exonerare conſcientiam ſuam ad illum liberandum à tam horribili imputatione: & poſt diſſolutionem illius Parlamenti, omnis imaginabilis cura fuit adhibita ad examinandum fundamenta & detegendum authores illius ſuggeſtionis, & notum & miſerum illum, qui ſcandalum hoc excitaverat, magna pœnitentia agnoviſſe poſtea ſuam malitiam, & cum horrore reatus ſui mortuum.

Anno ſequenti, aliud Parlamentum fuit vocatum, quod duravit & ſedit multos menſes ante obitum Ducis, non magis ipſi devotum quàm prius; in quo Duo illi generoſi, quorum mentio in Declaratione, potenter dominabantur, neque reconciliati erant Duci aut Curiæ, tamen in omnibus illorum Remonſtrantiis, ne minimum quidem verbum de hac adſperſione, omnibus credentibus & intelligentibus eſſe planè ſine ullo fundamento, & non imaginabilem.

Poſt exordium hujus Parlamenti, cum licentia loquendi & concionandi ſeditioſè eſſet introducta, muſſitatum fuit inter præcipuos Actores illius confuſionis quæ poſtea ſecuta fuit, quod vellent examinare negotium de morte Regis *Iacobi*, & paulò poſt negotium *quinque Membrorum*, cum utraque Domus tam abſolutè dominaretur, & Rex eſſet *Windſoræ* hic libellus jam diu ſcriptus ab *Eglishamo* excuſus fuit, & publicè venundatus in officinis, & per plateas, & quidam vir potens illius Factionis, cum quadam apparente perturbatione vultus, dixit uni Secretariorum Status, multos ſibi licentiam ſumere nimis audacter loquendi de morte R. *Iacobi*, & quod vellet ad eum mittere Eccleſiaſticum quendam, qui poſſet dare particu-

larem informationem de eo: eâdem veſperâ hic venit ad illum, qui dicebat eſſe quendam Papiſtam qui ageret circa *Londinum*, aut in proxima parte *Surrejæ*, qui aſſerebat, *ſe poſſe probare Regem Iacobum fuiſſe intoxicatum:* Secretarius petiit ab informatore ut poſtero die certa horâ ipſi adeſſet; & ſummo manè congregavit privatum Concilium & aperuit iis informationem & informatorem; & rogavit Dominorum conſilium & opiniones quid facto opus eſſet? maxima pars eorum hærebat: & ille qui primum de eo locutus fuerat & miſerat informatorem, valdè turbatus videbatur quod res tam publicè eſſet communicata: è quo apparebat, illum in illa intimatione aliquid machinatum fuiſſe contra Honorabilem illam perſonam aut ejus Dominum, quo ſperabat ſe ad alium finem uti poſſe. Secretarius ſtatim poſtquam hæc ad ipſum eſſent relata, miſit ad ſuam Majeſtatem, quodque intenderet id impartiri Concilio, ſiquidem haud difficile eſſet conjectare quid deſignaretur per eos, qui conſcii erant, & propterea deſiderabat Regis placitum: & inveniens potentiorem partem concilii eo tempore nolle agere de eo, expectabat Regis mandatum, & interea tantum miſit Auctoritatem ad capiendum illum Papiſtam, quod non poterat fieri ſine diligentia & conſilio informatoris, qui ſolus nôrat ubi eſſet, quare rogavit ut aſſiſteret. Eodem aut poſtero die remiſit Rex expreſſum ſuum mandatum; *uti Domini ſui Concilii omnem poſſibilem induſtriam & diligentiam adhiberent in examinando, & nullam viam intentatam relinquerent ad plenam detectionem.* Quod mandatum immediatè à Secretario Dominis fuit traditum, qui & quasdam directiones ad id dederunt; ſed Domini illi qui cupiebant celatum, ſoli gnari quinam eſſent Auctores, licet ordinatum fuerat ut inquireretur, nulla ulterior detectio facta, aut ulla mentio profeſſa

feſſa, ante hanc Declarationem: & dictum tunc clanculum inter illos, *nondum tempus veniſſe, quo dextrè illo uti poſſent.* Sed plus ſatis dicta, occaſione hujus abſurdiſſimæ calumniæ & ſcandali: quod nunquam potuit aut poteſt, cuiquam ſobrio & honeſto intellectui perſuadere præterquam horrorem adverſus machinatores: Et omnia fidelia corda Anglorum eo uſque indignabuntur, ut exprimant deteſtationem Auctorum, qui ebrii ſanguine quem effuderunt, & perturbati, à ſenſu ſuæ malitiæ, hac extrema ſua actione declarârunt, quod jam fundum attigerint ſuæ improbitatis; & quod juſto Dei judicio, tam propè ad finem pervenerint ſui intellectus, quàm fidelitatis & obſequii & quod nihil ipſis ſit reliquum, præter deſperationem & inſaniam ad perficiendum impios ſuos conatus.

4. Proximum crimen eſt, negotium *Rupellæ*, & quod ſua Majeſtas permiſerit, *diverſas naves Regiæ Claſſis, & alias mercatorum adhiberi contra eos, quibus præmiſerat auxilium*: & Regis Epiſtola ad capitaneum *Pennigtonium*, quam ajunt ſe poſſe oſtendere ſub illius manu, & *quod Rupella per id fuerit prodita.* Licet ætas, qualitas & educatio maximæ partis eorum qui conſenſerunt huic Declarationi non admittat ſuppoſitionem, quod multum noverint de transactione hujus ſubjecti; tamen ſunt quidam inter eos, qui potuiſſent reminiſci, ibi tantùm fuiſſe unam navem Regiæ claſſis, à Majeſtate ſua mutuò datam Regi Franciæ, & illam redditam diu *ante obſidionem Rupellæ*, & *pene, ſi non plenè biennium antequam traderetur*: & propterea difficile fuerit probatu, illam fuiſſe perditam, (multò minus proditam) per illam actionem, aut naves fuiſſe adhibitas *contra eos, quibus ſua Majeſtas tenebatur auxiliari*: verùm quia multi ignorantes ſermones habiti fuêre de hoc ſubjecto ad præjudicium Regis, & multi licet aliàs bene affecti nimis crédu-

duli

duli fuerunt, non considerantes Actiones ejus naturæ inter magnos Principes, fundatos esse super profundas rationes Status, supra captum vulgarium intellectuum; & quod Rex post hanc novam affinitatem, præsertim implicitus bello cum *Hispania*, magnas rationes habuerit gratificandi Franciæ omnibus officiis amicitiæ; operæ pretium fuerit breviter exponere veritatem hujus subjecti, & eorum quæ subsequuta sunt.

Circa tempus connubii suæ Majestatis cum *Regina*, Rex Franciæ multa moliebatur contra *Italiam*, & habebat particularem controversiam cum Repub. *Genuæ*, & post conclusionem illius Tractatus, & renovationem antiqui fœderis & amicitiæ, sua Majestas contenta fuit mutuò dare illam navem, & permittere sex aut septem Mercatorum naves conduci (si proprietarii vellent) ad serviendum *Regi Franciæ* in *Mediterraneo Mari*, sub expressa promissione, *quod non usurparentur contra addictos Religioni in Francia*: & secundum hanc, navis illa regia (& nulla alia) tradita fuit & Mercatorum naves conductæ ab *Agente Franciæ*, plenè consentientibus possessoribus, quorum singuli, aut eorum deputati, naves illas duxêre in Franciam, & tradiderunt in possessionem *Francorum*.

Postquam hæ naves ita concessissent in servitium *Franciæ*, & se junxissent eorum classi, in qua similiter erant xx naves bellicæ mutuò acceptæ ab *Hollandis*, quas ducebat *Hauthainius* ut Ammiralius & *Dorpius* Vice-ammiralius, quos neque eorum Dominos non est probabile conscios fuisse illius molimînis, & cum quibus multò superiores erant Protestantibus, etiamsi Anglicæ naves abfuissent: impetum fecerunt in classem Rupellensem, & ceperunt ac destruxerunt multas eorum navium: Quod postquam Regi innotuisset, gravissimè de eo questus est per Legatum

suum,

ſuum, & Rex Franciæ culpam rejecit in Proteſtantes, qui, ut allegabat, ſine cauſa ruperant pacem: quia *Dux Subiſius* cum omnia eſſent quieta, interceperat omnes Francicas naves ad *Blavetum*, quæ ipſæ naves conſtituebant maximam partem claſſis quam jam aggreſſus erat & ruperat: & quod Regem Angliæ opportebat affici hac injuria, ſiquidem Pax (ita rupta) facta erat, & Rex Franciæ illi conſenſerat, ob ſuæ Majeſtatis ſeriam mediationem & interpoſitionem: His non obſtantibus, ſua Majeſtas jure indignata quod ſuæ naves adhibitæ fuiſſent contra ejus voluntatem & promiſſionem Ipſi factam, quantocyus petiit ſuam & omnes Anglicas naves reſtitui; quo facto, ſtatim ut manifeſtaret orbi quantopere hoc factum ſibi diſpliceret, movit *Francis* bellum, cujus præcipuum fundamentum erat, quod Anglicis navibus uſi eſſent adverſus Proteſtantes, contra expreſſam promiſſionem: ut apparet tam è Manifeſto Ducis Buckingamiæ xxi Iulii, excuſo poſt hoc Parlamentum, quàm memorialibus Status, illius temporis. Iudicet nunc Orbis quo colore amiſſio *Rupellæ* (quæ, ut antè dictum, non accidit niſi pene aut plenè biennium poſt reditum Anglicarum navium) poſſit imputari Regi.

5. Quintus Articulus eſt, propoſitum de *Germaniæ equitibus; mutua* (Loanes) *privata ſigilla, Coat and conduct mony, Shipmony, & plurima monopolia:* quæ omnia particulatim memorata fuêre in prima Remonſtrantia Domus Communium xv Decemb. 1642. ut effecta pravorum conſiliariorum, cum proteſtatione in illa petitione, quæ eam comitabatur ad ſuam Majeſtatem; *quod fieret citra minimam intentionem ignominiam afferendi ſuæ Majeſtatis regali perſonæ, ſed tantum ad repræſentandum quo pacto Regali ejus authoritate & fide commiſſa abutantur:* & obſervantes, viles ſermones & aſperſiones, quæ jaciebantur in Regem generaliter improbari:

bari; Domini & communes poſt ea in ſua Declaratione 19 Maij, dicunt populo; *Si dicerent omnia perperam facta nuper in nomine ſuæ Majeſtatis facta ab ipſo, non ſecuturos ſe directionem legis, neque affectionem ſui cordis*; quod, inquiunt, ſufficit ad liberandum ſuam Majeſtatem ab omni imputatione mali regiminis, & conferendum culpam in illius miniſtros: & tunc improbantes eos, qui ſuam Majeſtatem faciunt Authorem pravorum conſiliorum, utuntur his verbis: *Nos ſuæ Majeſtatis fideles & obſequentes ſubditi, non poſſumus alio ſtilo uti ſecundum illud axioma legis* (Rex non poteſt facere injuriam) *quàm, ſi aliquod malum commiſſum fuerit in materia Status, Concilium*; *ſin in materia Iuſticiæ, Iudices debere rationem reddere*: Ita ut ſi vellent Duci, ſive per bonam *veterem* aut *ſuas novas leges* (à quibus non minus recedunt, quàm ab altera) ipſi reſponderunt & declarârunt contra hunc Articulum: ſed examinemus particulatim, quia hoc jam non admittitur.

Tempus, quo ſupponitur hoc deſtinatum, fuit, cum ſua Majeſtas bellum haberet cum duobus maximis Regibus Chriſtiani orbis, *Franciæ* & *Hiſpaniæ*, & propterea ſi propoſuiſſet auxiliares copias trahere ad ſuum ſervitium, haud mirum fuiſſet, aut amplius quàm omnes Principes faciunt, tamen revera; numquam deſtinatum fuit introducere Germanos equites; tantummodò illis turbulentis temporibus, cum tot mala Regno imminerent ab exteris, inter cætera ad robur & defenſionem, tale quid propoſitum, aut mentio ejus facta: quam Rex rejecit, neque umquam conſenſit ut fieret: & propterea mirum videri poteſt hanc deſtinationem nunc objici ſuæ Majeſtati, cum ipſa ſola impediverit; & quod *Balforius* & *Dalbierius* (qui erant præcipui, ſi non unici inventores) tanti fiant à Declaratoribus.

Mutua,

Mutua, privata Sigilla, & alii modi parandæ pecuniæ, extraordinarii fuêre emergente neceſſitate, & ad eumdem modum quo ſemper fuêre uſitati: Et Monopolia ſunt Zizania, quæ ſemper ſuccreſcunt in pingue facto ſolo à longa pace & abundantia ejus generis reperient longiorem Catalogum in Diurnali ſuo 43 ann. R. Elizabethæ, (de quo tempore nemo ſanus queritur) quàm ullo tempore poſtea; quod tamen neque tum imputatum fuit Coronæ, neque jure potuit: ſiquidem nova inventa, ea privilegia habent per leges, ut, ſi miniſtri non ſatis vigilantes ſint per quorum manus tranſeunt, non ſit poſſibile prohibere ne ſub ſpecioſis prætextibus, multa non concedenda, authoritatem Regiæ manus conſequantur: verùm quàm primùm populus queſtus eſt de iis ſuæ Majeſtati, lubens propoſita remedia applicuit: & antequam hæ turbæ initium caperent, tulit tam *excellentes* leges ad prævortendum ejusmodi incommodis in futurum, ut melius ſecuritati conſuli non potuerit: ita ut exiſtimandum ſit *hanc Rebellionem* excitatam pro, non contra has exorbitantias, quæ abſque illa, numquam poſthac exerceri potuiſſent in hoc Regno.

Atque hîc populus non poteſt ſatis obſervare & mirari, quod hæc gravamina in hunc modum objiciantur Regi, qui ea removit & abolevit eo tempore, & per eos, qui eadem renovârunt & auxerunt, & introduxerunt novas vexationes ſuper Ipſius ſubditos, illimitato modo & intolerabili proportione.

Quid? illi conquerantur de propoſito introducendi *Germanos* equites ad redigendum nos in ſervitutem (quod, ſi modò illum fuit, bonitate Regis fruſtra fuit & rejectum) qui actu introduxêre exercitum omnium nationum ſupra nos, & non habent ullum prætextum continuandi illum, quam ut ſubjugent nos, diſſolvant regimen

Regni, & faciant nos mancipia ſuarum paſſionum & appetituum.

Quid? illi revocent in memoriam Regi *coacta mutua, privata ſigilla*, &c. qui (poſtquam illa ab ipſo ſunt abrogata) *ſuo Statuto, compulerunt homines mutuò dare quintam & vigeſimam partem ſuarum furtunarum, ad ſuſtentationem ſuorum exercituum:* illam quintam & vigeſimam partem æſtimandam ſecundum proportionem quam certæ perſonæ ab iis nominatæ imponent, & ſi quis detrectaverit ſolvere pecuniam ita impoſitam, tum collectores illam *levabunt per pignorum captionem*, & ſi illa deſint incarcerabitur, cum talibus circumſtantiis ſeveritatis, & inclementiæ, quales numquam fuêre exercitæ per aliquod Regium mandatum.

Quid? illi conquerantur de *aucto pretio pulveris nitrarii*, in quo ſua Majeſtas nihil fecit quàm quod per legalem ipſius prærogativam poterat facere; qui per ſuam ordinationem 3 April. 1644, de factura *Nitri*; & per aliam 7. Feb. 1645 de factura *pulveris nitrarii*, confirmârunt omnes illas clauſulas in ſuæ Majeſtatis commiſſione, de quibus aliquo colore queri poterat, projectoribus ſuis, cum tantò pejoribus circumſtantiis, quantò jurisdictio, quam eorum commiſſarii exercent (ad quos provocandum eſt) eſt gravior, ſumtuoſior, & magis inſupportabilis, quàm concilii privati.

Quid? illi mentionem faciant *Patentis vini*, ſolvendi 40 ſolid. de Tonna ſuæ Majeſtati; qui per ordinationem 22 Iul. 1643 impoſuêre *ſex libras*, ſupra omnia vectigalia; & per ordinationem 9 Octob. ſequentis, conceſſerunt œnopolis illud venundare tanto pretio, & quoddam etiam majori, quàm umquam toleratum fuit, durante ſuæ Majeſtatis impoſitione.

Denique (ut omittam alia particularia, de *Sale*, *Alumine*; *Tobacco* & reliquis, ſupra quorum ſingula, per particu-

res

lares conſtitutiones impoſuerunt graviora tributa, quàm illis temporibus in mentem venerant) quid? Illi Regi exprobrent tributum in claſſem *Ship-mony* (quod ipſorummet computatione non aſcendebat ſupra 200000 per annum) ut compendium omnium oppreſſionum & ſervitutum; pro quo ſua Majeſtas habuit judicium in curia Legis, coram omnibus Iudicibus *Angliæ*, & quod ſemper collectum fuit debita forma Legis, & quod ſua Majeſtas, cum monita eſſet injuſtum eſſe, ultra rejecit, & ſategit radicitus evellere, ne ullus ſurculus ejus denuò regeminaret ad inquietandum Ejus populum; cum ipſi poſt illa ferè continuò, per conſtitutionem 1 Mart 1642, impoſuerint hebdomadarium tributum ſupra Regnum, *trium & triginta mill. quingentarum & octodecim librarum*, quod per annum adſcendit haud minus quàm ad *unam millionem, Septingenta quadraginta duo millia, nongentas & aliquot libras.* ad quod poſtilla addiderunt per ſuam conſtitutionem 18 Octob. 1644. ad ſubſidium *Britannici exercitus in Hibernia*, hebdomadarium tributum ſupra Regnum, *trium millium, octingentarum* libr. quod aſcendit per annum ad *centum nonaginta ſeptem mill. ſexcentas & aliquot* lib. (quantum umquam *Ship-mony* valuit) ſupra & præter libera caſtra, (*free quarters*) & omnes eorum alias conſtitutiones de *Sequeſtratione* & *vigeſima parte*, & crudeles circumſtantias in exſequendo has & omnes alias conſtitutiones: contra quas irregulares actiones non admittunt Appellationes ad judices, licet ab ipſis creatos, ſed reſervant integram cognitionem & directionem ſibi ipſis.

Piaculum foret parentheſi illi de Hiſpanica claſſe & exercitu in illa, ducta ad Dunas 1639 (de qua, pro bonitate ſua, ajunt ſe nihil dicturos) non reſpondere: De qua ſæpe ignoranter verba facta ſunt, ut & nunc inſinuatur,

quasi de machinatione contra *Angliam*, cum ii, qui modò aliquid sciunt, non ignorent eam classem destinatam ex Hispania in *Flandriam* cum pecunia in Stipendia militum, & novis delectibus in Supplementum exercitus, quorum major erat numerus, quia propositum erat veteranos inde deducere in *Catalauniam*, sed omnes hi milites in classe erant inermes, & sine officiariis, & tam longè aberat, hanc classem paratam esse ad invasionem, ut in brevi pugna cum Hollandis antequàm ventus eam duceret ad *Dunas*, pene omnem pulverem nitrarium consumserit & supplementum pecuniâ arcessendum fuerit *Londino*, quod honestè & jure non poterat negare, *Hollandis* ipsis offerentibus illis venundare pulverem pro præsenti pecunia.

6. Sequitur jam tortura corporum antehac tolerata *per flagellationem*, *decisionem aurium & collistrigium*, & similia, cum *arcta custodia* seu *incarceratione* aggravata per *Tyrannidem exercitam in animos*, *per jurisjuranda*, *Excommunicationes*, *Novos Canones* &c. per quæ concludi vellent suæ Majestatis regimen fuisse plenum *crudelitatis* & *oppressionis*.

Irrefragabile est argumentum excellentis Regiminis, sobrietatis & obedientiæ illo tempore, quod non fuerint supra sex infames personæ, à primordio suæ Majestatis Regni, ad primum diem hujus infelicis Parlamenti, quas notum sit meruisse has corporales pœnas & ignominiam; & misericordiæ illius temporis quod hi non passi fuerint graviorem pœnam, cùm ne unus quidem eorum fuerit non reus seditionis in eo gradu, ut per legem obnoxii essent graviori pœnæ, quam tolerârunt: & quoad jurisjuranda, Excommunicationes, cæremonias & Canones, haud alia fuêre, neque aliter exercita, quàm congruebat Legibus & Regimini stabilito: quod Sectæ, Schismata, Hæreses, dissolutiones, profanitates & impietates, quæ

secutæ

ſecutæ ſunt poſtquam benedictus ordo fuit improbatus & ſuppreſſus, plenius & melius manifeſtat, quàm quivis diſcurſus poſſit facere.

Atque hic rurſus populus notet, quod hæc judicia & proceſſus, (quæ ſemper agebantur, debita forma Legum, in Curiis Iuſtitiæ quæ nemo queri poteſt ſe innocentem tolerâſſe) objiciantur Regi ab iis, qui abſque ullo colore Iuriſdictionis (quam qualem ſibi aſſumſêre & uſurpârunt) loco infligendi ordinarias pænas, auferunt vitas conſubditorum ſuorum, qui non peccârunt in ullam notam legem; & incarcerant alios cum tam inuſitatis circumſtantiis crudelitatis atque inhumanitatis, quod multi honorati, integri divites, poſtquam ante omnibus fortunis ſpoliati erant, quia noluerant ſe conformare iniquitati temporum, in carcere perierint; & veriſimile eſt plures ejusdem conditionis perituros inopiâ cibi, qui poſſit naturæ ſufficere: Et ſiquis comparet vetera bona juramenta formata & adminiſtrata legali Authoritate, quorum clauſulis conſcientiæ hominum videbantur plenè ſe ſubmittere, cum Iuramentis & Fœderibus; per ipſosmet injunctis, habebit rationes concludendi hominum animos numquam fuiſſe in tanto periculo captivitatis, & quod ſubierunt rei notoriorum criminum eo tempore de quo queruntur, fuerit ſolatium & deliciæ, præ iis quæ jam omnes compelluntur pati, quia ſunt honeſti & conſcientioſi homines.

7. Longa *intermiſſio Parlamentorum* memoratur, & quod ſub diſſolutionem quorumdam, *Privilegia fuerint violata & ſecuta fuiſſe arctas cuſtodias & mortes.*

Hæc intermiſſio Parlamentorum gratioſè fuit prævenia & correcta in futurum diu ante has turbas, ſuæ Majeſtatis aſſenſu ad Billam *triennalis Parlamenti*, & populus ſe felicem duceret, ſi non haberet graviores conquerendi de continuatione

tione hujus, quam de priorum intermissione, cum hisce Duodecim annis gavisi fuerint tam ampla mensura prosperitatis & abundantiæ, quàm ullus populus in ulla ætate fuit expertus, & parem miseriæ proportionem post exordium hujus. Quoad *violationem privilegiorum* & *incarcerationem membrorum*, leges patebant omnibus ad appellandum & recurrendum ad eas, & singularis illa persona qui in carcere obiit, passus est illam captivitatem Iudicio *Regii Banci*, ita ut si aliqua injustitia fuerit in hac causa, Suæ Majestati jure imputari non possit.

8. Scena jam removetur in *Scotiam*, & *nova Liturgia* & canones cum eis quæ succesſêre, constituunt proximum crimen, aggravatum *per abolitionem & combustionem Articulorum Pacificationis* ibidem factæ per mediationem Dominorum.

Si Rex non fuisset adeo tenax *Acti oblivionis* in Tractatu Pacificationis inter Duo Regna, ut non ferret se per ullam provocationem inclinari ad retexendum illud negotium, facile potuisset se liberare ab omnibus hisce calumniis & adspersionibus; Et non nisi justicia fuerit & gratitudo in ista Natione, gnaviter animadvertere, iniquum esse, dum omnes rei se recipiunt sub tectum hujus *Acti oblivionis*, suæ Majestati (quæ est unica innocens & offensa persona) os obturari (quæ est ipsiusmet expressio & querela in Responso Illius ad Declarationem *Novo-Mercati*) ad omni replicatione ad exprobrationes in illo subjecto ipsi objectas: Potuisset aliàs facile docere *Liturgiam* & *Canones* ritè formatos, & missos eò consilio aut approbatione Dominorum concilii illius Regni; & si praxis & exsecutio eorum facta fuerit cum majori passione & impatientia ibi, quam prudentiæ & politicæ rationi congruebat, error omnino imputari debuit Ministris illius Regni, quibus aptè committi

mitti poterat: Vt ut ſit, tam generalem defectionem & inſurrectionem, in nullo gradu, per Leges illius Regni juſtificari & defendi non potuiſſe, certiſſimum eſt, cum non haberent viſibilem formam aut Parlamenti aut Regis, qua ſe tuerentur; ut Exercitus nuper obſervavit: Et quod Pacificatio primùm facta, clementiâ ſuæ Majeſtatis & deſiderio prævenindi effuſionem ſanguinis ſuorum ſubditorum, quanquam malorum, rupta fuerit ab ipſis, & ob id declinata pleno conſilio Dominorum Concilii Ipſius, quorum unanimi conſilio Articuli publicè fuêre exuſti, ut apparet è Recordo Libri Concilii. *Decl. & chart. exercit. p. 39.*

9. Proximè memoratur, *vocatio & diſſolutio brevis Parlamenti*, & Regis actiones poſt diſſolutionem.

Quod vocatio iſtius Parlamenti, fuerit actus magnæ ſapientiæ & bonitatis Regis, tum jure generaliter fuit agnitum, & eſſe in Ipſius poteſtate illud diſſolvere cum opportunum Ipſi videtur, non magis dubitatur, verùm quod infeliciter pro ſe Ipſo, ob falſam informationem in materia facti, & malo conſilio diſſolverit illud Parlamentum, creditur ab omnibus, & confeſſum ab Ipſomet, & illam informationem & conſilium valdè pernicioſa fuiſſe, & originem fuiſſe omnium miſeriarum quas paſſi ſumus, non negatur; & propterea mirandum eſt, cum accuſatio illius criminis fuerit pars accuſationis duarum magnarum perſonarum quarum ſanguinem poſtea biberunt, illud particulare prætermiſſum fuerit in proſecutione utriuſque: & licet ſatis notum ſit per cujus informationem atque inſtigationem infortunatum illud conſilium obtinuerit, extraordinaria cautio adhibita fuit, ne ob id in quæſtionem traheretur, quod, cum exceſſivo gaudio quod præcipui Actores in hiſce poſtremis calamitatibus expreſſêre tam triſti tempore, facit ut homines meritò concludant, concinna-

tum fuisse ab iis qui fructum ex eo perceperunt. Quid Rex ceperit à subditis suis per vim, cum aliter obtinere non posset, post illam dissolutionem, haud particulatim exprimitur, & propterea probabile est non habuisse hanc calumniam fundamentum; neque sanè quisquam quid perdidit per illam Regis actionem.

10. Hactenus Catalogus pertingit ad Regis enormia crimina tempore *sedecim priorum annorum Ipsius Regni ad initium hujus Parlamenti:* in quibus fatentur leniter egisse, quandiu spes erat, quòd vellent *adhærere suæ Majestati adversus Scotos*, & auxiliari in illo Bello: Sed cum ipse videret, hanc spem esse vanam, & quòd inciperent in quæstionem vocare Auctores horum pernicioforum consiliorum, *sua Majestas aperuit se tam validè bene affectum erga malignantes Consiliarios & eorum consilia*, ut mallet *deserere & cogere Parlamentum & Regnum*, quàm mutare, & permittere improbos suos Consiliarios Legibus & Iustitiæ.

Haud ita multi anni elapsi sunt post exordium hujus Parlamenti, (licet tædiosa ætas fuerit, plena miseriarum & confusionum) quin omnes possint recordari & animadvertere stoliditatem & falsitatem hujus criminis; non est imaginabile quòd Rex speraverit post exordium hujus Parlamenti, quod concurreret cum Ipso & Illi assisteret in bello contra Scotos, siquidem planè observaverat, eos qui futuri erant, & postea fuêre præcipui ductores & directores in illo Concilio, esse ejusdem factionis, & quàm procul abfuerit à protegendo aliquem Consiliarium aut ministrum contra justiciam aut aliquam actionem Legis, satis notum est, neque negavit Regium suum assensum ulli Billæ, nisi postquam per vim & tumultus abactus erat ab *Alba aula*, & postquam revera consensisset omnibus, *quæ honestè ab Ipso peti poterant ad securitatem & beneficium Regni.*

11 Re-

11. Regina nimis propinqua est suæ Majestati, ut non ferat partem cum Ipso in hisce calumniis, & propterea *Ejus propositum promovendi Papismum* hîc commemoratur; & *Ejus observatio* papistici Iejunij; cum Secretarii *Windebancks* itinere ultra mare per suæ Majestatis salvum conductum, postquam accusatus fuerat à Domo Communium.

Quodnam illud propositum Reginæ fuerit ad promovendum Papismum, haud memoratur hîc particulatim, itaque illi responderi non potest, & cùm expresserint tantum malitiæ erga Ipsam, toto tempore rebellionis suæ, non est probabile celare eos voluisse quicquam, de quo Illam possent accusare. Quoad *Iejunium* ab Ipsa observatum, notum est illud eo tempore factum, cùm Rex esset in castris, & persona ejus multis periculis obnoxia; quæ pietas & devotio congruebat cum Ipsius bonitate & exemplari dilectione sui Conjugis: & Regnum opinaretur se abundanter fortunatum si Iejunia postea observata ab hisce hominibus non produxissent pejores effectus, quàm illud quod observatum fuit à Regina. Quoad Secret. *Windebanck*, erat in potestate *Domus Communium*, procedere contra illum, & prævortere illius fugam, cùm esset in Domo, & secundum ordinem concedere in conclave Commissionis, postquam relatio erat facta, & tantum apparebat, quantum umquam fuit objectum, aut postea repertum. Verùm Domus contra consuetudinem surrexit sine prosecutione, & propterea licebat Regi ipsi concedere ut sibi consuleret: & verum est eos per quos tum Domus regebatur, maluisse absentiam ejus, & studio declinâsse ulteriorem processum contra illum, cum esset in illorum potestate, putantes facilius fore impetrare illius munus uni principalium suorum Membrorum, cui id destinabant, beneficio fugæ illius, quàm si perstitisset exspectare suum

examen, quod ob multas cauſas non arbitrabantur accelerandum; aut procedendum in eo.

12. Omnes allegationes commiſſionum datarum Papiſtis Agentibus ad privatas collectiones (niſi intelligant collectiones factas inter Papiſtas pecuniæ ad Regis expeditionem in Septentrionem, quæ ſimiliter & non minus liberaliter completa fuit à Dominis privati concilii, & aliis Proteſtantibus primæ qualitatis per totum Regnum) aut quod Papiſtæ inſurgerent & armarent ſe in *partibus Borealibus* & *Wallia* delectus militum ſub prætextu *Portugalliæ*, & captio *Turris*, tam vetera, vana & ridicula, ut (licet ad primam eorum concinnationem, ſervierit ſcenæ concinnatorum, tamen hominum obſervatio & judicium poſtea illos docuit, utrumque vero abſimile eſſe) non indigeat ulteriori reſponſo.

13. Proximus articulus eſt, *magna Cabala adducendi ſeptentrionalem exercitum ad ſubjugandum Parlamentum:* cujus potiſſimam partem (ajunt) ſe poſſe probare, veniſſe ab ipſomet, ad principes Actores, licet *Rex tam crebrò & tam ſolemniter, negaverit* ut nihil præter diſſolutos diſcurſus modeſtæ Petitionis, *quæ jam evanuerant duos aut tres menſes*, inquit, *antequam ad eorum cognitionem venirent.*

Bene faciunt, quod excipiant contra Regis poſitivam negationem, cum non habeant quicquam ad probandum quàm ſuam confidentem & poſitivam affirmationem: ſed tam opus fuiſſet ſupprimere & delere omnes ſuæ Majeſtatis Declarationes in quibus abundantiſſimè orbi ſatisfecit in hoc ſubjecto, quàm captivare Illius Perſonam, & uti celârunt depoſitiones ab ipſiſmet captas in hoc ſubjecto, quæ clarè manifeſtâſſent, nihil tali Regi fuiſſe propoſitum, ita neceſſe eſt ut revocent omnes quas hactenus publicârunt, ſi velint hoc propoſitum credi.

Rex in Reſponſo ſuo ad Declarationem exhibitam

Ipſi

Ipſi *Novo-Mercati*, utitur his verbis: *Non poſſumus ſine gravi indignatione pati Nobis exprobrari, quod intenderimus vel minimam vim aut comminationem Noſtro Parlamento, ut conſcientia adductionis Exercitus implicaret*, ſed vocamus *Deum teſtem, hoc numquam nobis in mentem veniſſe, aut noviſſe umquam talem aliquam reſolutionem concernentem ſuperiorem noſtrum exercitum:* Et poſtea ſua Majeſtas in ſua Declaratione 12 Aug. (cui numquam fuit reſponſum) expoſuit quæcunque noverat de hoc negotio, aut quæ per exactam inquiſitionem imaginari poterat; è quo planè apparet quosdam officiarios exercitus (optimæ & confeſſæ reputationis ob eorum amorem in Patriam) cum obſervarent mirabiles petitiones quotidie offerri Domui Communium contra ſtabilitas leges & Regimen Regni, & illegalem modum in offerendo, à millibus inconditorum hominum per tumultus, ſupponebant petitionem modeſtam & officioſam ab integro Exercitu, ad componendum omnia gravamina in Eccleſia & Statu per Legem, poſſe jure prævalere apud totam Domum, & cum veniret à tali corpore, confirmare eos, qui terrebantur metu violentiæ per tumultus, quod & Rex poſtquam illi communicatum fuiſſet, approbârit, & non ſine cauſa, ſiquidem non modò ſumma induſtria adhibita fuerat ad Ipſius Exercitum corrumpendum, & addicendum improbis molitionibus quas parabant; ſed ad perſuadendum populo, exercitum, ægrè Regi ſervire, & paratum Parlamento obſequi quò vellet: Et (quemadmodum Rex dicit) ſi in diſceptatione hujus negotii, aliqui præcipites ſermones habiti fuerunt de movendo Exercitu, dubium eſt an illud ſeriò fecerint nec ne, quod numquam aſſenſus ſit, ſed omnino rejecerit, ſupra duos menſes antequam innoteſceret; ita ut periculum non fuerit diſcuſſum potentia aut prudentia Parlamenti.

Apparet per Depoſitiones publicatas ab ipſis, per conſtitutionem 19 Maij 1642 unà cum iſta Declaratione; quod *hæc periculoſa Machinatio cœperit Rege neutiquam conſcio, à quibusdam Officiariis qui indignabantur & improbabant, de quinquaginta mill. libris quæ deſtinatæ erant ad ſtipendia ſolvenda Regis exercitui, decem mill. libras eſſe decerptas per novam conſtitutionem, ad ſatisfaciendum novæ motioni & importunitati Scotorum.* & quod illi Officiarii ita offenſi diſſeruerint, malè de ſe mereri Parlamentum & non Regem, & propterea concluſerint ſervitium ſuum offerre ſuæ Majeſtati in omnibus rebus, *honeſtis & congruentibus cum fundamentalibus Legibus hujus Regni:* quod in diſceptationibus inter ſe, mentio facta fuerit, *ducendi exercitum Londinum, & intercipiendi Turrem:* idque ſimulac propoſitum eſſet, fuiſſe rejectum: *& tantummodò propoſitum* (ut loquuntur) *ad manifeſtandum vanitatem & periculum Propoſitionum*: & quod Rex, cùm Ipſi innotuiſſet, dixerit, *has vias eſſe vanas & fatuas, & non amplius de iis cogitandum.*

Quod Petitio ipſa, quam ſua Majeſtas probavit, non fuerit ſupra normam Petitionum, & longè modeſtior quàm ulla recepta ab Authoribus hujus Declarationis cum approbatione, apparet ex ipſa Petitione, quæ legi poteſt pag. 563 1 vol. collect. conſtitut. publicat. ab ipſismet: quæ cum eſſet directa tam ad utramque Domum, quàm ad Regem, faciebat mentionem ſeditioſorum Tumultuum, *qui*, uti aſſerebant, *obſederant Parlamentum & ipſam Albam aulam, non ſolùm in præjudicium illius libertatis, quæ neceſſaria eſt magnis conciliis & tribunalibus, ſed fortaſſis in periculum perſonale ſuæ Majeſtatis & Parium:* & propterea petebant ut præcipui ductores horum tumultuum punirentur, & ſua Majeſtas & Parlamentum in futurum poſſent eſſe ab iis ſecuri: ad quod impediendum offerebant, *quod ipſi illis attenderent*, ſi placeret; quæ ſecuritas poſtea haud ita abſurda fuit viſa, *cum exer-*

exercitus fuerit vocatus & retentus circa ipſos, ſub eodem prætextu, ad idem propoſitum, de quo plura paulò poſt: Et tres generoſos fugiſſe ultra mare, ob modeſtam petitionem detectam, mirum videri non debet, cum homines quotidie incarcerarentur & deſtruerentur ob valdè triviales detectiones & abſurdas conjecturas & ſuſpiciones, quòd ſtuderent declinare illorum judicium, (in quorum poteſtate erat interpretari quamvis detectionem prout liberet, & pœnam infligere quam vellent, ſecundum talem interpretationem) aut quod Rex conſenſerit miniſtros ſuos removeri à tali Tribunali. Mirabilis eſt præſumtio quam hi homines habent de credulitate populi, qui nolit examinare veritatem alicujus rei quam allegant, quamvis facilem reprobatu; aliàs non affirmarent, in conventu officiariorum *Burough-Bridge*, propoſitiones formatas & inſtructiones allatas à Rege, cum liqueat, per ipſorummet evidentias, quot Capit. *Chudleigh*, qui ſupponitur has Propoſitiones attuliſſe (& non apparet quales fuerint) non acceperit hàs Propoſitiones *à Rege*; & quòd, cum manum Regis oſcularetur, *ſua Majeſtas ne verbum quidem fecerit de his Propoſitionibus*, quod haud dubio feciſſet, ſi conſcius earum fuiſſet, aut aliquid ſperâſſet ab ejus Agitatione; cùm non allegetur, quenquam officiariorum exercitus illo tempore tam immediatè adhibitum fuiſſe in illa Agitatione: Et quemadmodum non fuit ulla vel veriſimilis evidentia in ulla Depoſitionum tunc aut poſtea publicatarum, quæ reflecterent in Regem; & multa in *Gormgy* ſecunda Examinatione, & aliis depoſitionibus, ab ipſis ſuppreſſa fuêre, quæ ſi producerentur, manifeſtarent numquam tale quid deſignatum, ut ſuggeritur; *& quod communicationis illius Rex nequaquam conſcius fuerit, ſed improbârit cum audiſſet.* Ita tum fuit obſervatum, non ſine admiratione, Cap. *Chudleigh* qui erat principalis

cipalis Actor, & qui fatetur in ſua Examinatione x Maij, ſe omnibus viribus conatum incendere exercitum contra Parlamentum; & accendere Zelum in eis erga Regem; tantum abfuerit ut indignationem eorum incurreret, ut immediatè fuerit adhibitus ab ipſis in *Hibernia*, & inde poſtea revocatus, ipſi ſecundus ordo, ſi non primus mandatus fuerit contra Regem in occidente, quod non feciſſent, ſi antè ad illum modum fuiſſet obligatus ſuæ Majeſtati.

Quæ dicuntur de Principis adventu ad Exercitum, cum Com. Novi Caſtelli & turma equitum, probantur tantùm per unum majorem Exercitus, qui non modò nihil commune habebat cum Rege, ſed etiam eo tempore numquam ſuam Majeſtatem erat allocutus; & non habebat majus argumentum, quàm altera pars machinationis, de *Portſmoutha* à Francis intercipienda: quod tam ridiculum eſt, ut non indigeat reſponſo.

14. Scotis oblatam ſpoliationem Londini, ſi vellent promovere, aut quatuor ſeptentrionales Comitatus, cum trecentis millibus lib. ut tantum neutros ſe gererent, eſt alius ramus impoſſibilis hujus criminis, de quo non comparet vel minimus prætextus probationis in aliqua re ab ipſis publicata (& haud parci fuêre in publicando quicquid noverant aut imaginabantur) quam quod *Onealius* interrogaverit *Iacobum Aſhly*, quid ſi Scoti neutrales effici poſſent? Non eſt credibile Regem temperiem illius temporis (quam tam graviter ſenſit) non ſatis intellexiſſe, ut ignoraret Parlamentum & Scotos tàm arctè conjugatos eſſe, ut ſua cauſa ſeparari ſe non paterentur: & quatuor comitatus ſeptentrionales eis oblatos (quod in confeſſo eſt Regem dare non potuiſſe) tam abſurda eſt calumnia, ut nemo vel ſtolidiſſimus id poſſit credere, & illi, quibus dicuntur, oblati, toto hoc tempore accuſâſſent Regem, ſi potuiſſent probare.

Obſer-

Obſervandum utique, quamvis hi homines, imaginabiles has detectiones & molimina deſtinata, tenent in Rege odioſa eſſe crimina, tamen hæc eadem ab ipſis perfecta, non judicare delicta in ipſismet: & quamvis Regi non liceat optare, ſubditos ſuos *Scotos* ſe gerere neutros in controverſia inter ſuam Majeſtatem & ſuum populum Angliæ: tamen non eſſe delictum in ſe ipſis Nationem illam involvere bello adverſus ſupremum Principem utriuſque Regni: & licet tralatitius diſcurſus de adducendo exercitum ad terrendum Parlamentum, allegetur rupturam eſſe fidei commiſſæ Regi, numquam obliviſcendam; tamen actualem adductionem exercitus contra illud, & terrendum eo uſque, ut fugarent multa membra, & cogerent reliqua quicquid exercitus ſuggereret, non eſſe delictum in ipſis, contra aut libertatem aut privilegia Parlamenti.

Ad clauſulam illam, quod ſua Majeſtas noluerit perſuaderi ut differret iter ſuum in *Scotiam* anno 1641. non eſt neceſſe aliter reſpondere quàm rememorando ſuæ Majeſtatis propria verba in ſua Declaratione XII Auguſti: *Monuimus eos, ſi eſſent plures bonæ Billæ, quas vellent perferri ad beneficium Noſtrorum Subditorum, nos optare ut pararentur in tale tempus, quo reſolveramus, ſecundum promiſſionem Noſtris Subditis Scotis factam, (quam bene noverant) intrare Regnum noſtrum Scotiæ, ad componendum infelices ibidem controverſias: poſt hæc ſeriò rogati fuimus ab utraque Domo Parlamenti differre iter noſtrum eo, tam ſub prætextu periculi, ſi uterque exercitus ante non dimitteretur, quàm quod multas bonas leges haberent paratas ad componendas difficultates hîc; & perſuaſerunt iter differre ad diem, de quo inter ipſos convenerat* &c. Quæ relatio, eorum quæ ſecuta ſunt, probare poteſt ſuæ Majeſtatis extraordinariam complacentiam: & cùm diſcederet, reliquit commiſſionem, congruam Legi, & ſufficientem ad prævortendum ulla in-

commoda, quæ poſſent oriri Ipſo abſente : cùm illud ipſorum poſtulatum (*ut aſſentiretur omnibus Actis quæ facturi erant ante illius reditum*) tam monſtroſum eſſet, illegale, & inauditum, ut puderet ipſos ulterius illud urgere, & fuerint contenti eo quod ſua Majeſtas concedebat : neque apparet ullo tempore, antè, ullum proditum per Secret. *Windebankium* largioris extentionis : aut quod non eſſet congruens Legi, & politiæ illius temporis.

15. Succedit jam gravis accuſatio de rebus *Hiberniæ*, quaſi ſperarent ſe perſuaſuros Populo quod Rex particeps fuerit proditionis & Rebellionis contra ſeipſum : atque eo tempore quo tantæ diſtractiones erant in duobus ejus regnis, Ipſe quoque tertium mitteret in flammam, ut nullum haberet quod Ipſum adjuvaret ignem in aliis accenſum exſtinguere.

Si qui nulla conſcientia aut civilitate uſi ſunt in publicando omnes literas ſuæ Majeſtatis (quibuſcunque pravis mediis venerint in ipſorum manus) quas opinabantur, per populi ſimplicitatem & imbecillitatem, aut malitioſas interpretationes quas commenti ſunt, aliquod ejus Majeſtati præjudicium poſſe afferre, an credi poteſt illos jam quidquam celare quod propoſito eorum ſerviat : & propterea quod non divulgent literas quas dicunt Regem miſiſſe in Hiberniam per Baronem *Dillon*, immediatè ante Rebellionem, ſufficiens eſt argumentum, aut non fuiſſe tales literas, aut nihil in iis, quod ullo ſenſu in Regem poſſit torqueri : neque poteſt fidem inveniire apud quemquam, (non malitioſè & ſtupidè ſtolidum) quod, poſt tot iteratas calumnias apud populum per diverſas Declarationes, Rebelles Hiberniæ profeſſos, ſe habere commiſſionem ſub magno Sigillo *Scotiæ*, ſigillatam *Edimburgi*, cum Rex poſtremo ibidem eſſet; cum conſtet Illum non magis affigere

gere potuiſſe hoc Sigillum (in cujuſcunque manibus demum eſſet) alicui tali Inſtrumento ſi voluiſſet, (quod nemo Chriſtianus credet) quàm jam poteſt uti eo quod eſt Londini; de qua Commiſſione, Orbis jam dudum fuiſſet informatus à Scotis, ſi potuiſſent invenire probabile fundamentum hujus calumniæ: Et ſanè hi homines publicâſſent depoſitiones eorum qui (ut dicunt) illam viderant, ſi credidiſſent tales eſſe quæ fidem apud homines merentur.

Quid promiſſum fuerit *Hibernis* Commiſſariis *Londini*, veriſimile eſt melius notum eſſe Auctoribus hujus Declarationis, quàm ſuæ Majeſtati, cùm major pars eorum eſſent Papiſtæ, & poſtea activi Rebelles, dum *Londini* eſſent, tantum potuerint apud potentia membra ibidem, ut impetrarent ab iis, ut ſe interponerent negotiis illius Regni eo modo quo deſiderabant: & valdè probabiliter tum jecerunt fundamenta futuræ ſuæ Rebellionis, ſuper principia quæ tum videbant introducta & probata: per ſerium conſilium & importunam interpoſitionem quorumdam horum principalium Membrorum impetrârunt, ut poſt obitum Domini deputati *Wansford*, nullus ſurrogaretur, qui per potentiam ſuam & vigilantiam prævortere poſſet ipſorum improbitatem: & ſi Rex ipſis donaverit aut promiſerit plures quàm quinque Comitatus, non fuit per privatam eorum mediationem, ſed publicam directionem ſecundum inſtructiones Parlamenti, poſtquam Domus Communium recuperationem eorum & reſtitutionem ſuæ Majeſtati, particularem Articulum in ſua accuſatione contra comitem *Straffordiæ* feciſſet, atque ita maculâſſet juſtum & legale intereſſe; & quicquid ſua Majeſtas, in eo egit, actum fuit deliberato conſilio in ipſius concilio, ſecundum uſitatas formas obſervatas in negotiis illius Re-

gni: probabile eſt Regem putâſſe ſe tunc oppreſſum ab utraque Domo Parlamenti, cujus magnas habebat cauſas, verùm ut hoc exprimeret, & optaret vindictam ab iis, coram illis commiſſariis, quos ratio ſuadebat credere ſe combinâſſe cum alteris, omninò vero abſimile eſt.

Proximum eſt, quod non exauthoraverit *Hibernum exercitum*, non utique eſt prætereundum, quia non tempeſtivè diſpoſuiſſe illud corpus, haud dubiè multum contulit ad Rebellionem quæ paulò poſt erupit: ſed liquet penes quos culpa hæſerit.

Exercitus ille juſtè & prudenter erat coactus, cum propoſitum Scotorum jam cognitum eſſet, invadendi *Hiberniam*, ad impediendum aut divertendum illam expeditionem, & ſi opus eſſet, reducendum illud regnum ad obſequium; qui erat ſenſus, & non poterat eſſe alius verborum imputatorum Comiti *Straffordiæ*, ſi modò umquam dicta: Et poſtquam exercitus Scotorum Angliam eſſet ingreſſus, haud mirum erat ſi Rex non proclivis eſſet ad exercitum illum exauthorandum, antequam planè diſcernere poſſet, quod alter intenderet revera diſcedere, & haud citius fuit certus denuò, quàm decerneret alterum: Sed tum prudenter conſiderabat, exauthorationem ejuſmodi corporis illo tempore, quo tanta licentia tranſplantata erat ex hoc, in illud Regnum, non tam oportunam eſſe ad pacem illius, quàm tranſportationem ejus, & propterea ejus Majeſtati convenit cum Legato Hiſpano, ut ipſi liceret tranſportare tria aut quatuor millia eorum ad ſervitium Domini ſui, quod ſimul ac innotuiſſet, *Commiſſarii Hiberni* tunc *Londini* (qui fortè aliò illos deſtinârant) impetrârunt à Domo Communium, ut impedirent executionem hujus conceſſionis; qui (præcipuè conſiderantes coronam Franciæ ægrè laturam quòd tantum

au-

auxilium datum eſſet Hiſpaniæ) urgebant Regem ut illam revocaret, & exauthorationi aſſentiretur. Huic objectioni facile à Rege fuit reſponſum, quia convenerat cum Legato Franciæ, ut parem numerum tranſportaret in Franciam, quo facto de toto exercitu diſpoſitum fuiſſet: contra quod Hiberni Commiſſarii magis inſtabant quàm contra alterum, allegantes in illo Regno haud ſatis eſſe virorum: ad hæc, Domus Communium (per ſecretos agentes) perſuaſerunt Legato Franciæ (qui magis ſtudebat ſupplementum Hiſpano impedire, quàm par Domino ſuo providere, & fieri poteſt, Regem potius reprehendi à Parlamento quàm alterum, horum) Regem abſolvere à promiſſione, modò procurarent ne Hiſpanus milites nanciſceretur; & in eum finem importunius inſtiterunt, ut Rex exercitum dimitteret, & non emitteret Illum ex *Hibernia*; ad eum modum ut ejus Majeſtas cogeretur aſſentiri; atque eo, extra dubium, multum acceſſit opportunitati & propoſito ad rebellandum: & quibus hæc opportunitas imputanda ſit, judicet orbis. obſervandum tamen eſt, illius Hibernici exercitus (quod hi homines vellent credi, non minus quàm Stratagema fuiſſe contra Proteſtantem Religionem) non unum Officiarium ſupra Capitaneum, & non ſupra duos ejus qualitatis, contra Regem ſtetiſſe in illa Rebellione *Hiberniæ*.

In omnibus rebellionibus præcipui authores ſolent ſpecioſa quædam prætexere, & ejuſmodi juramenta concipere, quæ apta ſint populum ſeducere & ad ſe trahere: & propterea haud mirum eſt, Rebelles Hibernos juramentum concepiſſe, quo videri volebant quod ſe obligare ut ad obſequium R. Carolo præſtandum & tuendum ejus regales Prærogativas, tunc cum nihil minus intenderent: Et *Owen-Conelly* (qui fuit index illius rebellionis) in eadem de-

positione, in qua dicit, *rebelles voluisse solvere Regi omnia sua jura*; itidem dicit, eos asseruisse, *se sequi vestigia Scotorum, qui eo facto privilegium erant adepti.* & *Marcus Paget*, in eadem examinatione in qua dicit: *Rebelles asserunt se habere Commissionem Regis & magnum sigillum pro iis quæ agunt:* inquit, *eos minari, ubi exstirpârint Britannos & Anglos, ibi invadere Angliam, ut opem ferant Papistis in Anglia.* Et propterea mirum est, quod jurant, & dicunt, imputari Illi, contra quem rebellabant & perjurabant. Auctores hujus Declarationis (præter juramenta supremitatis & Fidelitatis) in Protestatione v Maij, jurârunt, *se velle conservare & tueri Regis regalem personam, dignitatem & Statum:* & paulò post voluerunt populò persuadere *quod per hoc ipsum juramentum erant obligati arma sumere contra Ipsum.* In sua Declaratione xix Maij, utuntur his verbis: *Providere publicæ paci & prosperitati suæ Majestatis & omnium ejus Regnorum, protestamur in præsentia omniscii Dei, fuisse & adhuc esse unicum finem omnium nostrorum consiliorum, & studiorum, in quo determinavimus continuare liberi ab omnibus privatis scopis, personalibus respectibus, aut passionibus quibuscunque:* & ipso postero die votavêre; *quod intenderet movere bellum suo Parlamento*; &, *quoscunque qui Ipsi servient & assistent esse proditores secundum fundamentales Leges Regni:* & (ex hac conclusione Ipsius intentionum) actu collegerunt exercitum, & moverunt contra Ipsum.

In eorum Petitione 11 Iun. dicunt Ipsi, *se nihil habere in animo & desideriis, magis pretiosum (post honorem & immediatum servitium Dei) quàm justum & fidele obsequium Majestatis suæ.* Et cum illa petitione, xix; obtulerunt Ipsi propositiones, in quibus ipsi relinquunt *tantam potestatem in Regno suo, quantam minimum quodvis membrum alterutrius Domus sibi reservat.*

Denique (ut omittam alias infinitas instantias) in eorum

rum Instructionibus XVIII Aug. ad deputatos Locumtenentes *Cestriæ*, requirunt ab iis, ut omnibus declarent; *fuisse & porrò futuram unicam sollicitudinem & studium utriusque Domus Parlamenti, providere suæ Majestati; neque nôsse, neque umquam novisse aliquid mali intendi Majestatis suæ Personæ*; cum unicus finis earum Instructionum esset totum illum Comitatum ad arma concire contra Ipsum; ita ut clausula Iuramenti rebellium Hibernorum, non magis objici possit contra Regem, quàm aliæ illæ clausulæ in ipsorummet Iuramentis & Declarationibus, quibus Regem nondum onerârunt.

Quod attinet ad *Proclamationem contra rebelles in Hibernia*; quam dicunt, *se non potuisse obtinere aliquot mensibus & tum tantum 40 exemplaria fuisse excusa, & expresse præceptum ne ulla distraherentur sine ulteriore directione.* Audi Majestatis suæ plenum responsum ad hanc accusationem, in Ipsius responso ad Declarationem XIX Maij, his verbis: *Notissimum est, Nos, cum Rebellio illa erumperet, fuisse in Scotia; Nosque immediatè curam hujus negotii commendâsse utrique Domui Parlamenti hîc, postquam providissemus necessaria supplementa è Scotia; Nos post reditum nostrum, observâsse omnes formas, quas Concilium nostrum Hiberniæ suaserat, aut utraque Domus hîc; & quod nulla Proclamatio citius exierit, id factum, quia Iudices illius Regni non ante desiderârunt, & desiderârunt tantùm viginti exemplaria, quæ petebant à Nobis signari, quod ut promtius fieret jussimus excudi (circumstatiam hanc non petierant) atque ita plura signavimus quàm petierant.* Ita ut sit impudens Assertio, quod potuerint obtinere pluribus mensibus, cum numquam petiissent; & simulac petierunt à Rege, eodem momento factum fuit.

Sed operæ pretium fuerit (siquidem hæc res toties & tam confidenter sine ratione Regi fuit objecta) aliquid dicere de consuetudine & ordine vulgo usitato mittendi Proclama-

clamationes in illud Regnum,& cauſa ob quam tot & non plura exemplaria tunc fuerint miſſa. Rex numquam, niſi ob extraordinarias cauſas, ſignat amplius quàm primum exemplar Proclamationis, deſcriptum nitidè in pargameno, quod miſſum ad Dominum deputatum, aut Dominos Iudices Hiberniæ ibidem imprimitur; & impreſſa exempla diſperguntur, quemadmodum in Anglia: Majeſtatis ſuæ *manuali ſignatura* non addita his exemplis: Domini Iudices & Concilium animadvertentes induſtriè ſparſum inter rebelles, quod haberent Regis authoritatem ad ea quæ facerent, quod poſſet fidem invenire apud quosdam; petiêre, *ut habere poſſent* xx *Proclamationes ſignatas Regis ſigno manuali, ad eum finem, ut præter excuſa exempla, quæ diſperſuri erant ſecundum conſuetudinem, poſſent unà cum illis mittere unum authenticum cum Regis manu, ad conſiderabiles perſonas, quos ſuſpicarentur ſeductos per falſum illum rumorem, quæ videntes Regis propriam manum, inexcuſabiles forent, ſi perſiſterent:* Hæc epiſtola & petitio Dominorum Iudicum & Concilii,lecta fuit in Concilio privato Regis, & concluſum, *ut haberent duplum numerum eorum quæ petierant, ſignata à Rege:* & quia deſcriptio tot exemplorum longius tempus poſtulabat, mandatum fuit ut 40 exempla excuderentur, quæ omnia ſignata à Rege, quantocyus miſſa fuerunt in *Hiberniam*: & cautio, cur non plura excuderentur quàm quæ mittebantur, valdè neceſſaria erat, ne rebelles horum gnari, aliquid comminiſcerentur, quò finem evaderent ob quem mittebantur & parati eſſent ad defendendum ſuum vetus, aut excitandum novum ſcandalum ſuæ Majeſtati: præterquam quòd nulla ratio excogitari poterat,ob quam plura eò tempore imprimerentur *Londini*.

Quod ſcriptum fuerit è curia ad Dom. *Musqueri* Regi placere quæ faceret; Majeſtati ejus imputari nequit, neque

que ille qui ſupponitur ſcripſiſſe talem epiſtolam (quem in ſuperioribus Declarationibus aſſeruerunt fuiſſe Dom. *Dillon*, qui negavit ſe umquam ſcripſiſſe talem epiſtolam) habuit aliquem locum aut relationem in Curia. Et Rex habuit bonas rationes ob quas, diu poſt, ſcriberet *Marchioni Ormondiæ*, ut ſingulares gratias redderet *Musquery* & *Punket*, ſiquidem fuerant *Oxonii*, miſſi ad Regem ab Hibernis, durante *ceſſatione*, & profeſſi fuerant ea ſtudia ſua, ad reducendum alios ad officium, quæ poſſent mereri Majeſtatis ſuæ gratias, quas ſua Majeſtas haud minus promta fuit reddere iis rebellium hîc, qui expreſſêre aliquam moderationem & inclinationem revertendi ad obſequium, licet ipſi minimè placerent quæ fecerant, neque propter illa ipſis gratias haberet.

Quoad id, *quod Rex diſtulerit & detinuerit Comitem Lyceſtriæ*, ab expeditione adverſus rebelles, notiſſimum eſt ſuam Majeſtatem ſæpius urſiſſe Domus, ut dimitteretur; & unam fuiſſe rationum, quas dedit in Reſponſo ſuo ad petitionem utriusque Domus XXVIII. Aprilis, *ſuæ reſolutionis proficiſcendi in Hiberniam, quia Dominus Locumtenens, cui potiſſimum fidebat tractationem negotiorum ibidem, hærebat in Regno, licet ſæpe promtitudinem ſuam eſſet teſtatus, mandatis ſuis obſequendi.* Poſt quæ, pene tres menſes elapſi ſunt, antequam ullæ præparationes fierent ad illius iter; & tunc ſub finem Iulii aut initio Auguſti Comes venit ad Regem *Eboraci*, ut ejus *Inſtructiones* acciperet, prætendens quod tam plenè ab utraque Domo expeditus eſſet, ut non eſſet opus eò reverti, ſed ſimulac Majeſtatis ſuæ mandata haberet, pergeret *Ceſtriam* & naves conſcenderet.

Accidit id circa tempus, quo Rex copias parabat ad ſui defenſionem contra Comitem *Eſſexiæ*; unde factum ut Comes circiter menſem detineretur, antequam *inſtructio-*

nes reciperet, & cætera quibus opus erat: & tunc valedixit Regi, profeſſus ſe rectà proficiſci *Ceſtriam*: verùm ſive mandato ſive ſponte; propoſitum mutavit & reverſus eſt *Londinum*, ubi duos menſes fuit detentus, & tunc juſſus à Domibus *Ceſtriam* rectà proficiſci, nec Regem adire in tranſitu, licet ejus Majeſtas tunc *Oxonii* eſſet & non poſſet illud officium omittere, niſi viam publicam deſerendo: Cum Rex audiret illum eſſe *Ceſtriæ*, ubi expectavit naves quæ Ipſum transfretare debebant, ſupra tres ſeptimanas, & non eſſe alias copias ad manum, quàm illius familiam, cum Legiones peditum & turmæ equitum quæ delectæ erant ad illam expeditionem, eſſent adhibitæ contra ſuam Majeſtatem *Edge-hille*, & adhuc partem facerent exercitus Com. *Eſſexiæ*, neque illos apparatus eſſe ad manum, quæ Concilium illius Regni importunè flagitaverat, Majeſtas ſua conſiderabat, cum Rebelles in metu fuiſſent ob apprehenſionem adventus D. Locumtenentis cum ſupplementis neceſſariis ad gerendum bellum (quorum ſpes etiam proteſtantes ibidem aluerat) ſi appelleret tam privato modo, ſine additamento virium, aut ſupplemento copiarum quæ ibi erant, id allaturum eſſe maximam afflictionem, & puſillanimitatem ſubditis ſuis Proteſtantibus, & parem animoſitatem rebellibus, illum *Oxonium* accerſivit, donec Ipſi melius à Domibus ſatisfieret de apparatu in uſum illius Regni. Ita ut orbis poſſit judicare, à quibus Com. *Lyceſtriæ* fuerit detentus.

Ad id, *quod Rex negaverit Commiſſionem pro Dominis Brooke & Wharton*; jam diu reſponſum fuit à ſua Majeſtate, & veritas reſponſi numquam fuit refutata: *Quod copiæ ſub illorum ductu collectæ fuerint, antequam ſuæ Majeſtatis commiſſio vel deſideraretur, & quod commiſſio petita, independens foret à ſuæ Majeſtatis Locumtenente in illo Regno, & propterea ſua Majeſtas*

ſtas habeat graves cauſas non aſſentiendi: Et quàm rationabiliter hiſce fidi poſſet cum tali poteſtate, judicari ex eo poteſt, quod has ipſas copias quæ collectæ erant ad auxilium miſerorum Proteſtantium Hiberniæ, contra rebelles ibidem, pugnaverint contra Regem *Edge-hilli* paulò poſtquam hæ commiſſiones fuiſſent petitæ.

Dicunt, ſe jam dudum nominâſſe diverſos Papiſtas & perſonas alicujus dignitatis, qui ſpeciali Regis conceſſione, poſtquam portus clauſi fuiſſent ab utráque Domo Parlamenti, transfretârunt & capita fuêre rebellium, cum egerent ductoribus; Examina veritatem horum, de qua omnes, quibus libebit advertere, judices eſſe poterunt.

Sua Majeſtas ad animum revocans hanc accuſationem à Mr *Pimmio* prolatam in collatione cum Dominis circa initium Februarii 1641 (Oratio excuſa fuit) per miſſionem ſuam VII illius menſis ad Domum Communium, poſtulavit ſcire, an quid tale dictum fuiſſet, & ſi ita, quo fundamento; cum Majeſtas ſua certa eſſet ſe omni cautione uſum in concedendo liberum commeatum in illud Regnum.

Communes reſponderunt, *Orationem habitam à Mr Pimmio, congruere cum ſenſu Domus, quodque à diverſis edocti fuiſſent, diverſas perſonas obtinuiſſe à Majeſtate ſua immediatas conceſſiones transfretandi in Hiberniam, poſt interdictum utriuſque Domus; quorum quidam, ut intellexerant, poſtquam in Hiberniam appuliſſent, ductores inter eos fuerant, & quoſdam detentos, & cuſtodiri, quorum nomina edebant,* & dicebant, *ſe aliorum nomina nondum recepiſſe, non tamen dubitare poſſe per examen detegi:* Verùm ajebant, *ſe credere id potius procuratum per prava inſtrumenta circa Regem, citra ſuæ Majeſtatis conſcientiam & propoſitum.*

Rex repoſuit; *Quod nomina illa captivorum non probarent*

assertionem in illa oratione: præterquam quod illorum transfretatio concessa fuisset à sua Majestate cum esset in Scotia, *diu ante interdictum, cum de eorum bonâ fide non dubitaretur: & se certum esse neminem eorum qui accusabantur, transfretâsse se conscio, aut sua concessione.* & popoſcit ut Domus Communium conſideraret, *utrum tam generalis informatio & notificatio (in qua ne quidem nomen cujuſquam memoratum erat) ſufficeret ad tam directam & positivam affirmationem, qualis erat posita in illa Oratione*; quæ, ratione loci & perſonæ, & quod faterentur congruere ſenſui Domus, ejus erat authoritatis ut ſuæ Majeſtati præjudicare poſſet in affectu ſuorum ſubditorum & exiſtimari (conſideratis tot ſcandaloſis libellis ad illum finem) illum non ſatis affici illa Rebellione, tam horrenda & odioſa omnibus Chriſtianis ex quâ in hac diſtractione tale periculum poſſit accidere Majeſtatis ſuæ Perſonæ, & Statui, quale confidebat Domum Communium omni ope velle prævortere; & propterea ejus Majeſtas dicebat, *ſe exſpectare ut nominarent has perſonas*, qui Ipſius licentiâ transfretârant in *Hiberniam*, & erant ibidem capita rebellium: aut ſi poſt ſuum examen non invenirent ſingularem evidentiam ad probandum hanc adſperſionem (ut ſua Majeſtas confidebat eos numquam poſſe) ut hæc affirmatio quæ tangebat ſuam Majeſtatem erat admodum publica, ita vellent publicare talem declarationem per quam error ille corrigeretur, cum Majeſtas ſua valdè afficeretur hoc particulari concernente *Hiberniam* ſiquidem certiſſimus erat, ſe & fuiſſe & eſſe paratiſſimum facere officium ſuum (quod Deus requiſiturus eſſet à manibus ſuis) ad ſublevandum miſeros proteſtantes ſubditos ſuos ibidem, & plenè eradicandum illam rebellionem. Menſis effluxit antequam Rex aliud reſponſum ab ipſis acciperet & hinc dixerunt, *ſe nihil affirmâſſe, quàm quòd crederent eſſe verum*: & offe-

offerebant quædam ſua argumenta ſuæ Majeſtati; quorum unum erat, *quod ejuſmodi Licentiæ conceſſæ perſonis ſub reſtrictione, aptæ erant ad producendum tale effectum, quale memoratum erat in poſitiva affirmatione:* alterum erat: *quod Majeſtas ſua non poſſet eſſe certa, non alios transfretare per illius licentiam, & ſe habere cauſam, ob quam crederent, quoſdam transfretâſſe, quia talem generalem informationem acceperant.* quas rationes (cum quibuſdam aliis ejuſdem generis) inquiebant, ſe ſperare ſufficere ad perſuadendum ſuæ Majeſtati: quemadmodum habebant rationes fidem habendi dictis informationibus, ita ſibi non eſſe propoſitum iis abuti ad Majeſtatis ſuæ ignominiam, ſed imputare culpam Ipſius miniſtris.

Rex replicavit denuò ad illam Miſſionem; nihil adhuc declaratum eſſe, quod poſſet fundamentum eſſe ejus quod Mr *Pimmius* tam audacter affirmaverat. nam hactenus nullus particulatim erat nominatus, qui vel rebellionis eſſet particeps, multo minus caput rebellium, cui Rex licentiam dederit, & propterea exſpectabat, ut Domus Communium publicaret talem Declarationem, per quam error poſſit manifeſtari.

Ab illo tempore, ad hanc horam qua publicârunt hanc Declarationem, nihil egerunt, neque vel minimam informationem aut ſatisfactionem dederunt ſuæ Majeſtati in hoc ſubjecto, quo tum dicebant, *ſe non intendere uti ad Ipſius ignominiam:* ita ut hæc poſtrema præſumtio potuerit tantum procedere è confidentia, quod populus creditturus eſſet ipſorum dictis, & non examinaret eorum veritatem. Quid intelligant, *per ductores & Officiarios quos Rex* (ut ajunt) *revocaverit ab officio contra rebelles; & naves ab excubiis ſuis, ut rebelles ſupplementa poſſent ab exteris accipere*; non capio, præterquam de navibus quas deſignant ſub Capit.

Kettleby & *Stradling*, qui tum ad littus Hibernicum excubabant, cum omnis classis suæ Majestatis intercepta fuit ab utraque Domo, & versa contra Ipsum; quos Rex ea occasione, confidens eorum fidelitati, jussit cum navibus suis sibi attendere ad Novum Castrum, aut septentionem Angliæ, ut duas suas naves haberet præstò: & eodem tempore (ne ulla supplementa rebellibus advenirent) utrique Domui id significavit, & postulavit ut curam haberent oræ Hibernicæ, quod plane neglexerunt; licet & has naves intercepissent, quas Rex desiderabat habere in sua potestate.

Nec melius intelligi potest quid sibi velint, *per supplementa à comite* Antrim *& Dom.* Aboyne *aut per arma & apparatus bellicos è Regis armamentariis, aut à Regina:* quæ nemo sobrius credet, cum nulla evidentia aut argumentum fuerit oblatum: Pauca vestimenta initio belli capta erant à Regis militibus circa *Coventriam*, cum civitas esset in aperta rebellione, quæ prætendebant præparata pro *Hibernia*, & quæ Rex studuit restituere, sed non erat possibile, & erat ipsorum culpa, quod noluissent petere Salvum Conductum, cum transirent per Regis castra.

Et quàm procul Rex fuerit à consensu aut approbatione illius facti, patuit ex Majestatis suæ expresso mandato (quod & executum fuit) transportandi in *Hiberniam* tria millia vestimentorum, quæ invenit parata ad illum usum *Cestriæ*, postquam Rex urbe esset potitus, & quæ neglecta erant mittere, & quæ non potuit persuaderi ut ad necessitates sui exercitus retineret.

Majestas sua numquam negavit majora tormenta à Concilio Hiberniæ postulata, neque vel minimus color est hoc affirmandi: quas directiones dederint Rebelles in literis suis Represalium, si modò dederint ut allegatur, nullo

lo modo ad Regem attinet: & quoad Officiarios qui fidem ſibi commiſſam contra rebelles deſeruerunt, notiſſimum eſt Comitem *Leviniæ*, qui conſenſu Majeſtatis ſuæ miſſus fuit Generalis *Scotorum* in Hiberniam contra rebelles, revocatum inde ut duceret exercitum in Angliam contra Regem: & cum Regis Commiſſarii in tractatu ad *Vxbridgam* allegarent & conquererentur, multos officiarios tam *Scotos* quàm Anglos initio belli deſeruiſſe illam militiam, & converſos ab utráque Domo contra Regem, haud aliud reſponſum acceperunt quàm, *Non fuiſſe vocatos.*

Quum res ita ſe habeat (ut revera habet) hi generoſi haud majores cauſas habuêre credendi Rebellibus, cum toties jurarent ſe nihil facere ſine authoritate & commiſſione Regis; quàm rebelles credendi iis, cum jurarent XXII Octob. 1642 *Quod nulla privata paſſio aut reſpectus, nulla prava intentio contra Majeſtatis ſuæ perſonam, aut propoſitum præjudicandi juſto Ipſius Honori & authoritati, permoverit eos copias comparare*, & poſtero die prælio certârunt contra Ipſum *Edge-hilli.* Neque magis ad rem facit, quod *Phelim Oneale* noluit credere, quod Generalis *Leſly* haberet authoritatem à Rege contra rebelles; quàm quod hi Generoſi crederent eodem tempore Exercitum collectum ad incolumitatem Regis perſonæ, & jurarent ſe victuros & morituros cum comite *Eſſexiæ*, quem nominârant Generalem ad ducendum exercitum contra Regem.

Quæ informatio fuerit data, aliquot menſibus antè, Archiepiſcopo & aliis conſiliariis Regis, *quod Papiſtæ inter ſe deſignâſſent trucidare omnes Proteſtantes in* Hibernia *&* Anglia &c, non eſt objectio contra Regem; etiam Archiepiſcopus incarceratus fuerit aliquot menſes antequam Rebellio illa erumperet, haud veriſimile, ſi potuiſſent illum accuſare quod illud celâſſet, Illos hoc præterituros

fuiſſe

fuiſſe in judicio, cum tantopere egerent probationibus contra illum, ut Capellanorum ipſius factum, quod non permiſerint excudi libros contra Papiſmum, quos opinabantur officere Proteſtantium cauſæ, retulerint inter argumenta ejus proditionis ſed jam ſine dubio nominâſſent alios illos Regis conſiliarios, ſi potuiſſent aliquid allegare, quod potuiſſet illos onerare aut illorum Dominum.

Sequitur deinde faſciculus Literarum Regis ad Papam cum eſſet in Hiſpania & aliarum poſtea pro Duce Lotharingiæ, & quod Rex habeat Agentem Romæ (quem ſatis conſtat numquam habuiſſe) aliquot menſib. ante *Hiberniæ* Rebellionem. quæ omnia tam obſcurè proponuntur & tam ridiculè, ut crimina Regis, ut non ſint digna reſponſo; attamen quia licentiâ horum temporum ſcandaloſi admodum ſermones habiti fuêre de Epiſtola à Rege ſcripta cum princeps eſſet, & in Hiſpania ad Papam & tranſlata & edita fuit ex exemplo edito in Mercurio Francico, non erit abs re aliquid de hoc negotio dicere.

Princeps cum mandato Patris miſſus eſſet in Hiſpaniam, ad connubium concludendum cum filia illius Coronæ, de quo diu fuerat actum non poterat non cum ibi eſſet, non implere omnes Cæremonias requiſitas ad perficiendum id ad quod venerat. Regnum in quo erat habebat firmam amicitiam cum *Roma*, & ejusmodi dependentiam, ut diſpenſatio inde neceſſaria videretur per ſapientiam illius Status ad connubium de quo agebatur ad cujus procurationem licet Princeps minimum poſſet contribuere per ſe, tamen non erat conveniens quicquam facere, quod diſpenſationis impetrationem difficiliorem redderet. Papa qui tunc erat, ſcripſerat epiſtolam ad Principem, quæ Ipſi tradita erat per ejus miniſtrum ibi reſidentem; erat Epiſtola plena reſpectus, & interpretatione illius Status, amica; & intem-

tempeſtivus neglectus fuiſſet viſus ſi Princeps non reſpondiſſet: cæterùm facilius erat concludere ſcribendum eſſe, quàm quid; interea, qui urgebant ut fieret, parârunt Epiſtolæ exemplar, eique attulerunt; quàm cum Princeps perluſtrâſſet, propriâ manu delevit eas clauſulas, quæ videri poſſent tangere Religionem quam profitebatur, atque ita emendatam curavit mitti ad Papam: nihilo ſecius prioris illius exempla foris diſperſa; unde & Mercurio Francico fuit inſerta (quæ ſuperioribus annis ſtudioſè tranſlata & excuſa atque diſperſa) & nunc producitur contra ſuam Majeſtatem: Sed ſi detur eandem eſſe, & Principem in peregrino Regno ſcripſiſſe illam Epiſtolam, quo colore vel minimo poteſt quis ex ea argumentari eum inclinare ad Papiſticam ſuperſtitionem, qui & eo tempore & poſtea maxima dedit teſtimonia ſui affectus in Proteſtantium religionem, quæ ullus Princeps aut privatus dare poſſet: Authores hujus Declarationis, non putarent æquum ex eorum amiciſſimis literis *ad Basham Argyrii*, & illius ad ipſos, in quibus *Gratias agit Deo, quod Agens Parlamenti Angliæ venerit eò ut pacem & amorem conciliaret inter ipſos ad finem uſque mundi:* ut apparet è Relatione illius Negotii fol. 15. divulgata ex authoritate; & ex amicitia cum illis, ad eum gradum, ut Turcarum navibus bellicis portus ſuos aperuerint; concludi à quoquam, eis propoſitum eſſe Turciſmum amplecti; & tamen hæc concluſio magis naturaliter deduci poſſet ex illis literis arcta illa amicitia, quàm Regis inclinatio ad Papiſmum, ex illa Epiſtola ad Papam.

k Dicitur, itidem propoſitum fuiſſe in Anglia eodem tempore, & multa millia deſtinata ad jugulandos Proteſtantes in hoc Regno, cum Rex proficiſceretur in *Scotiam*, & aliquot principalium rebellium id faſſos, Commiſſarios ſuos Papiſtas ad Regem miſſos, communicâſſe iſtud propoſi-

positum cum multis Papistis in Anglia; & (licet quædam fuerint mutata) generaliter concluſum, ut eodem tempore ſimilia hîc à Papiſtis patrarentur: quæ ſi vera eſſent (quæ nemo ſobrius credit) nequaquam tangunt Regem: & ii Papiſtæ Commiſſarii magis miſſi erant ad Domos Parlamenti, quàm ad Regem, & potius ab iis admiſſi, qui ſingularem eorum curam habuêre.

Ex iis quæ dicta ſunt, ſufficienter apparet, quàm injuſta & irrationabilia ſint hæc *particularia Scandala*, quoad *Hiberniam*, in quibus ſua Majeſtas (licet impudentiſſimè adſperſa) numquam quicquam egit, aut omiſit, niſi ſecundum eas regulas, quæ optimè juſtificari poſſunt coram Deo & hominibus; optandum eſt, ut utraque Domus æque officium ſuum feciſſet & obligationes: ſed præteriri non poteſt, quod circa initium hujus Rebellionis, cum Domus prætenderent miras difficultates ad delectus habendos ad illam expeditionem & cum modicum ſupplementum penitus fregiſſet & diſſipâſſet Rebelles, Rex miſerit ad illas miſſionem XXVIII Decemb. 1641. *Quod Majeſtas ſua ſeriò dolens miſerias & calamitates ſubditorum ſuorum in Regno* Hiberniæ, *quæ quotidie creſcebant, & ſanguinem jam effuſum, per barbaram crudelitatem horum Rebellium, tam altè clamantem: & videns quod auxilia tam lentè procederent, conſtituiſſet Ipſa, per Commiſſiones, (quas conceſſura erat) decem millia Anglorum voluntariorum celeriter colligi ad illam expeditionem, ſi Domus Communium vellet declarare ſe ſtipendia ſoluturam:* quæ Majeſtatis ſuæ oblatio fuit rejecta, & nulla conſiderabilia auxilia miſſa donec Majeſtatem ſuam adegiſſent conſentire tali Billæ delectuum, quæ Illum exueret neceſſariâ & legali poteſtate inhærente Illius Coronæ.

Neque prætermittendum, quod retinuerint hos milites qui delecti erant pro *Hibernia*, neque aliter ſe ad eorum ſervi-

ſervitium applicâſſent, niſi ſub illo prætextu, & duxerint illos ad pugnandum contra Regem ad *Edge-Hillum* & poſtea retinuerint in ſuo ſervitio: quod pecuniam collectam per Actum Parlamenti ad auxilium *Hiberniæ*, & cum ſpeciali cautione haud aliter expenſam iri, impenderint ad ſuſtentationem exercitus quem ducebat Com. *Eſſexiæ* contra Regem, & quod ab initio Rebellionis in *Anglia* (licet recepiſſent vaſtas pecuniæ ſummas ad ſubſidium *Hiberniæ*) numquam conſiderabilem ſummam eò miſerint, quod applicare eam poſſent ad promovendum ſuas machinationes domi contra Regem.

Hæc particularia, (cujus generis plura in memoriam revocari poſſunt) neque ſingularia eorum complementa cum Hibernis Commiſſariis, cum primùm adveniſſent, non memorantur ut implicetur utramque Domum ream fuiſſe illius Rebellionis in *Hibernia*, (aliter quàm ſecundum ipſorum principia & proceſſus ad diminuendum Regis ſupremam poteſtatem) aut quod illam foverint jam cœptam, ſed juſtè ipſis imputari poteſt quod affectaverint & arripuerint poteſtatem promovendi illud bellum cui rei tam magnum corpus ineptum eſt, & quod imprudenter & impoliticè declarârint animoſitatem ſuam contra eam Nationem, atque adeò propoſitum eos exſtirpandi, & terras eorum largiendi iis, qui in illam expeditionem contribuerent: quod Actum & quæ Declaratio multos compulit ad apertam Rebellionem, qui ante ne ſuſpecti quidem erant, aut ſaltem non aperuerant ſe Rebellibus favere; denique eorum ſtudia ad accendendum horrendam illam & monſtroſam Rebellionem hîc, quam alteram in Hibernia exſtinguendum.

16. Succedit jam crimen adverſus Regem, *inuſitata præparatio apparatuum bellicorum & armorum* (poſt reditum Illius

lius è Scotia) *cum novis excubiis in & extra* Albam Aulam, *machinæ ignivomæ inventæ in ædibus Papistarum*, Turris *impleta novis custodibus, omni genere machinarum ignivomarum, mortariis & majoribus tormentis*; Wilhelmus Balforius *loco motus, aliique officiarii inducti, suspecti ipsis & toti civitati.*

Ne dicamus ea quæ providerint ad Regem excipiendum redeuntem è *Scotia* quando loco gratiarum actionis, ob tot Acta gratiæ & favoris ipsis indulta, ita ut nihil esset, quod Regnum rationabiliter posset ab Ipso petere, aut quod desideraretur ad hanc Nationem fortunatissimam faciendam totius Orbis: Ipsi obtulerunt *Remonstrantiam* (ut vocabant) status Regni, *exponentes Ipsi* (ut utamur Majestatis suæ verbis) *& publicantes toti Orbi, omnes errores & omnia infortunia quæ acciderant à primo Ipsius aditu ad Coronam, & ante usque ad illud momentum*; *obliti felicis conditionis, qua omnes Illius subditi gavisi erant, beneficio Pacis & omnium rerum abundantiæ, sub Majestate sua ad invidiam Orbis Christiani.* Neque quicquam loquamur de licentia tum usitata in sermonibus, cum in disceptando de prætensa quadam ruptura ordinis, unus è principalibus concinnatoribus hujus declarationis, publicè in Domo Communium diceret, sine repræhensione, *quod oporteret disciplinam eorum esse severam. nam inimicus erat in conspectu.* Cum Rex tantùm unius diei iter abesset ab urbe: Majestas sua invenit catervam militum comparatam ad custodiam utriusque Domus Parlamenti, quod uti superioribus temporibus ignotum ad istum modum, ita nunc ne minima quidem erat causa: sed quia in *Scotia* insidiæ structæ fuerant Marchioni *Hamiltonio* & *Argylio*, propterea fieri poterat ut struerentur principalibus membris hic, Rege reverso, Com. *Essexiæ* resignavit commissionem quam Rex ipsi dederat durante absentia sua, ad conservandam pacem in Regno atque

que ita cuſtodes illi qui ipſius authoritate erant delecti dimiſſi fuêre: Rex ergo venit in *Aulam Albam*; quid autem poſt illa acciderit, audi Illius verbis, in Declaratione x i i Aug. *ingens multitudo tumultuantis plebis quotidiè confluebat Weſtmonaſterii, & minabatur ſe demolituros ædes in quibus aliqui Epiſcoporum diverſabantur, quoſdam aggrediebantur in ſuis rhedis, fugabant alios in cymbis ſuis, violentas manus inferebant in Archiepiſcopum Eboracenſem tranſeuntem ad domum, & niſi liberatus fuiſſet per vim, probabile eſt illum occidiſſent, vociferantes per plateas* Weſtmunſterhal, *& inter utramque Domum* nullos Epiſcopos, nullos Epiſcopos, non Papiſtas Dominos; *& infeſtabant membra utriuſque Domus, quos edocti erant, non favere ipſorum deſperatis conſiliis, proclamantes nomina quorumdam Parium, ut improborum & putridorum Dominorum: & in reditu, ſubſiſtebant ante portam Aulæ noſtræ Albæ, dicentes, ſe nolle amplius oſtiariorum conclave, velle alloqui Regem cum liberet, & utebantur tam deſperatis & ſeditioſis ſermonibus, ut jure crederemus, noſtram Perſonam, & Conjugem, & Liberos noſtros in ſummo periculo verſari violentiæ, & propterea cogebamur magna impenſâ alere cuſtodes, qui nos ſecuros facerent ab eo periculo:* Hæc ſunt Majeſtatis ſuæ propria verba, & non continent amplius, quàm notiſſimum eſt omnibus, & numquam ab ipſis fuit negatum, quapropter Rex magnas rationes habuit providendi ſibi ipſi cuſtodes: & qui erant iſti cuſtodes? Multi colonelli & officiarii alicujus dignitatis poſcebant à Parlamento ſtipendia ipſis debita per publicam fidem (quæ hactenus non eſt ſoluta) hi cum ſervitium ſuum Regi obtuliſſent, in hac neceſſitate conſcripti, præſtò erant ad Aulam ut illam tuerentur à tumultibus: & pauci apparatus bellici & arma eò comportata ad iſtum uſum: quod Domus paulò poſt erexerint majorem Cuſtodiam pro ſe, citra & contra Regis aſſenſum, & per eam atque

alias copias quæ huic favebant, Regem fugârint ex urbe, verum eſt & notiſſimum toti orbi.

Quid ſibi velint machinis ignivomis illis inventis & captis in ædibus Papiſtarum, ignoro, niſi intelligant D. *Herberti* ædes, quæ ſuſpicio, illo tempore citato & examinato Ipſo, in Domo Communium fuit rejecta ut vanus rumor, quibuſdam principalium Membrorum affirmantibus ſe ibidem fuiſſe, & credere, nihil ibidem eſſe in praxi aut propoſito, quàm quod jure probari poſſet.

Turris tantum abfuit ut impleretur novis cuſtodibus, ut nullæ introductæ fuerint, antequam Domus illud auderent facere: & ſi Rex addidiſſet novas copias in ſua arce, nihil feciſſet, quàm quod jure poterat facere: ſed quod omne genus machinarum ignivomarum, Mortaria & majora tormenta, objiciantur Regi, mirum eſt, ſiquidem proprius locus eſt in quo ejuſmodi utenſilia belli haberi convenit; & ſi alio loco fuiſſent, potuiſſent occaſionem ſuſpicioni dare: haud plura majora tormenta parata & diſpoſita fuêre contra Civitatem, quàm uſitatum fuerat & conſuetum.

Iuſta poteſtas erat Regis removere aliquem à præfectura Turris, de cujus fide aut affectu dubitabat, tamen (quamcunque rationem habuerit alterutrius) *Wilhelmus Balforius*, remotus fuit proprio conſenſu, & ſub tali compenſatione in præſenti pecunia, quam ampliſſimam judicabat: verum eſt, quoſdam factioſos Cives (qui ſemper parati erant ad aliquam ſeditioſam actionem) expoſtulâſſe contra *Ioannem Byronium*, qui illi ſucceſſit: & allegâſſe ſuſpiciones ſuas eſſe ejuſmodi ut prohiberentur argentum portare ad monetam: cum revera nullus eſſet inter eos qui querebantur, qui umquam argentum ad monetam portâſſet; atque ut utar Majeſtatis ſuæ propriis verbis *notiſſimum eſt*; *Plus argenti*

im-

importatum monetæ, tempore hujus Generosi præfecturæ, quàm pari tempore umquam antè. Et sanè magna nota inusta est illi tempori & civitati apud posteritatem, & testimonium, quam procul abfuerint ab Anglorum ingeniis & affectu, quod se minus securos opinarentur in *Ioanne Byronio*, viro nobilis extractionis, generosæ educationis, inculpatæ reputationis, & opulentæ fortunæ; quàm in inope extraneo, qui non didicerat alias artes, quibus viveret, quàm illas de quibus merito querebantur, & qui ipsis obsequi non poterat, nisi fidem falleret Domino suo, cui juramentum particulariter præstiterat, & cui infinitis modis erat obligatus.

Hactenus tantum examinârunt errores, aut saltem minus rabiosas enormitates primorum sedecim aut septendecim Majestatis suæ Regni, nunc ingrediuntur vias publicas, ubi inquiunt, *vis aperta adversus Parlamentum & Regnum visibilior apparet.*

17. Primum argumentum est; *accusatio proditionis contra quosdam utriusque Domus: & illa incomparabilis actio violentiæ, per Regis accessum, ita comitati, ad Domum Communium*; quem ajunt tantum *Prologum fuisse sanguinolentæ Tragœdiæ*, &c.

Licet illo tempore sermo Membrorum serviret ipsorum proposito, ad agendum in mentes imperiti & non bene distinguentis populi, & applicandum ad suum obsequium, tamen credebatur illos debuisse pudere id nunc rememorare, siquidem, uti judicioſis hominibus eo tempore non satis constiterat de eorum innocentia; ita postea omnes exactionibus illorum Membrorum concluserunt, Regem tunc habuisse gravissimas causas eos accusandi, licet fortasse non satis feliciter de actione fuerit deliberatum, ut prævideri possent accidentia, quæ progressum illius disturbarent.

An-

Antequam aliquid dicatur de re ipsa, quam procul abfuerit Rex à faciendo quod non esset justum, operæ pretium fuerit retrospicere, quo usque hanc actionem tum imputaverint Regi, quæ nunc est principalis pars Illius accusationis: Postquam Majestas sua excepisset adversus quasdam expressiones, quibus usi erant, de Illius aditu ad Domum Communium quasi intendisset violentiam: in sua Petitione Ipsi oblata *Tiballi* 1 Mart. 1641. obsecrabant ut Rex crederet; *quod periculosa & desperata molitio in Domum, non fuisset inserta ea intentione & vel minima aspersio intenderetur Regi, sed se collimâsse in malignantem partem* &c. Ita ut videantur Domus tum non fuisse ejusdem sententiæ, cujus nunc hi homines sunt.

Quoad rem ipsam; *quòd omnia Membra alterutrius Domus possint accusari ad eum modum, quasi non essent Membra ob crimen læsæ Majestatis & feloniam, tam nota est veritas, ut nullus* (qui prætendit se nôsse Leges Regni, aut exempla Parlamentorum) *umquam contrarium senserit* aut audiverit assertum, ante hunc casum horum Membrorum: atque hoc semper agnitum fuit in omnibus Parlamentis, & potest dici agnitum, postquam supremus Iustitiarius *Cooke*, ponit illud tanquam axioma in cap. de suprema Curia Parlamenti; qui liber fuit impressus authoritate Domus Communium, initio hujus Parlamenti.

4. Part. Instit. fol. 25.

Regem graves habuisse causas accusandi hæc Membra criminis læsæ Majestatis haud dubium est, *siquidem particulatim probare poterat contra illos, solemnem combinationem inter ipsos ad alterandum Regimen Ecclesiæ & Status eorum sollicitationem & attractionem tumultuum ad* Westmonasterium, *& quod mandâssent populo furenti vadere ad* Albam Aulam: *opprobriosos & odiosos sermones de suæ Majestatis persona: quod moliti essent Principem intercipere: & minati externam potentiam ipsis*

ipſis ſubſidio eſſe venturam, ſi perficere nequirent, quæ machinabantur. Et quare Regis Advocato non licuit, ob has cauſas tam legaliter accuſare hæc Membra criminis læſæ Majeſtatis, quam Advocato Generali primo anno Regni hujus Regis, accuſare Com. Briſtoliæ *ob crimen magis Generale, qui propterea miſſus eſt in Turrim; & quare Rex non poterat ſperare quod ob hos Articulos (non tam generalem quàm mere verbalem accuſationem) criminis læſæ Majeſtatis, quæque Domus committeret ſua Membra, ut plurima commiſſa erant durante hoc Parlamento; & circa hoc tempus, duodecim Epiſcopi ſimul (cum omnes, qui nôrunt quid ſit Proditio, haud ignorarent ipſorum factum non eſſe tale) ſolummodò, quia accuſabantur;* (dicit Rex occaſione facti ſumus) *ſe neque tunc neque nunc poſſe intelligere.*

Cùm hic fuerit caſus, nihil reſtat niſi Majeſtatis ſuæ itio ad Domum Communium, de qua audi Ipſius verba in Reſponſo ad Declarationem XIX Maij, ubi hæc res ipſi crimini data erat: *Cum determinâſſemus, conveniens eſſe ad Noſtram incolumitatem & honorem & pacem Regni, agere contra illas perſonas, licet haud ignoraremus nullum eſſe gradum privilegii in eo caſu, tamen (ut oſtenderemus Nos velle correſpondere cum utraque Domo Parlamenti) elegimus potius quàm apprehendere eos per ordinarios miniſtros Iuſtitiæ (quod ſecundum opinionem & praxin ſuperiorum temporum potuiſſemus facere) præcipere Procuratori noſtro Generali ut Domui Parium propoſitum noſtrum notum faceret, & omnes generales materias Noſtræ Accuſationis (quod ſanè erat plus quàm nuda Accuſatio) & procederet porrò; & eodem tempore miſimus juratum miniſtrum, Sergeantum ad arma, ad Noſtram Domum Communium ad indicandum illis, Nos accuſare, & perſequi in judicio ſtatuiſſe quinque ea Membra illius Domûs de crimine læſæ Majeſtatis, & poſtulatum ut cuſtodiæ traderentur. Id fecimus, non ſolum ut demonſtraremus Nos nequaquam intendere privilegia eorum violare aut invadere; ſed uti pluribus cæremoniis,*

quam putabamus jure à Nobis requiri posse ; & operiebamur saltem tale responsum, quod Nos informaret, si forte extra semitam issemus : Sed nullum accepimus ; solummodò eo ipso momento, absque ulla suggestione suorum privilegiorum Nobis oblata, Statutum factum & eadem vesperâ publicatum *: Si quisquam quicunque tandem, conaretur arrestare personam alicujus Membri ejus Domus, non antè monita Domo, & obtento mandato illius Domus, licitum fore talibus Membris, aut alicui personæ ipsis adsistenti, se defendere & resistere secundum Protestationem factam, tueri privilegia Parlamenti ; & tum primum audivimus Protestationem torqueri posse in istum sensum, aut quod in ullo casu (licet maximè indubitati & confessi privilegii) fas esset alicui resistere & violentiâ uti contra publicum ministrum Iusticiæ, armatum legali authoritate : licet haud ignoremus, etiam talem ministrum puniri posse ob executionem ejusmodi authoritatis. Fateor Nos ad inspectionem hujus constitutionis nonnihil fuisse commotos, cum similem numquam antè viderimus neque audiverimus, licet meminissemus Membra alterutrius Domus carceri commissa, sine tanta formalitate, quantam adhibuimus, & ob crimina multo inferioris naturæ, quàm ea quæ suggessimus : & non habentes viam propositam Nobis ad prosequendum : tantum monebamur, non esse quod procederemus contra illos, siquidem essent supra metum legis : Difficile Nobis erat determinare quid faciendum esset : si secundùm ordinem consuetum ministros Iusticiæ adhibuissemus (qui sine dubio non detrectâssent) prævidebamus verisimile oppositum iri, quod sine sanguine fieri non poterat : Si autem ob hunc terrorem destitissemus, confessi fuissemus debilitatem Nostram, & imbecillitatem Legum ; in hac perplexitate, subitò determinavimus experiri, an Nostra præsentia posset illustrare Nostrum propositum, quod fortè aliter fuerat acceptum, & auferre dubia, & prævortere stolidas insolentias quæ videbantur imminere : Atque ita demum determinavimus ire in persona ad Domum Nostram Communium ;* quod non *antè revela-*

velavimus quàm eo ipso momento, quo vocari jussimus ministros Nostros & Generosos qui tum erant in Aula, ut nos comitarentur Westmonasterium, *strictè injungentes, ne ullo accidenti aut provocatione se abripi paterentur ad tales actiones, quæ implicare possent propositum violentiæ in Nobis: &, cum comitibus præcepissem ne fores ingrederentur, Ipse Domum Communium sum ingressus; quod nudum factum, non magis credebamus violationem privilegiorum, quam si eodem tempore ingressi fuissemus Domum Parium, & eos vocâssemus ad Nos, ut consuetudo est.*

Hæc fuit suæ Majestatis responsio antè ad hoc crimen, quæ propterea prolixè hîc inseritur, quia tam plena est, ut non sit opus quicquam addere: & apparuit è depositione *Bernardi Ashlii*, & aliorum capta ab ipsis, quod Rex dederit Comitatui suo expressum & positivum mandatum, *quod non offerrent ullam offensam aut malum verbum cuiquam, qualiscunque provocatio obvenisset*; quæ depositiones studiosè fuêre suppressæ & celatæ, dum utebantur testimoniis indigentium & infamium hominum, ad exprobrandum suæ Majestati quosdam leves & improvidos sermones, qui prætendebantur dicti à quibusdam junioribus Generosis, qui se conjecerant in Comitatum.

Vt concludam, observandum est, quod, etiamsi fuisset tam gravis transgressio in Rege (contra quem solum crimen læsæ Majestatis potest admitti) ejusmodi accusationem deferre contra quinque Membra Domus Communium, qui convocati erant per illius Breve, & aliqua ruptura privilegiorum, ita ut eos absolveret ab obsequio, tamen similis accusatio contra *undecim Membra* ab Exercitu, mota & defensa ab iis, & quibus non tenebantur rationem reddere eorum quæ agebant, non fuit crimen existimatum. Et haud inconveniens exercitium fuerit iis generosis, qui tanto cum contemtu supremæ potestatis,

cui obſequiùm debebant, deſpexerunt ſuæ Majeſtatis juſtam Authoritatem, nunc in ſua afflictione, captivitate & exilio conſiderare Dei manum ſuper ſe, quæ compulit eos ſubmittere ſe mercenariæ poteſtati ab ipſis adunatæ ad opprimendum ſuum Regem: Quod licet ſuperârint Regis articulum, quod ſtuduerit ſubvertere fundamentales Leges & regimen Regni, & ſpoliaverint Regem legali ſua poteſtate, & ſubditis impoſuerint arbitrariam & Tyrannicam poteſtatem, tamen non potuêre ſuperare accuſationem Exercitus, ob invaſionem, violationem & ſtudium evertendi Iura & Libertates ſubditorum hujus Nationis, per arbitraria, violenta, & oppreſſiva media; & ſtudium per indirectas & corruptas vias differendi & obſtruendi Iuſtitiam, ad inſigne detrimentum & præjudicium multorum miſerorum Communium Angliæ.

1 *Art. contra Membra.*

Licet nimis potentes erant quàm ut corriperentur ob Regis poſtulationem quod ſtuduiſſent multis fœdis adſperſionibus in Regem & regimen Ipſius, alienare dilectionem populi & ſuam Majeſtatem illi odioſam reddere: non potuerunt tamen excutere onus accuſationis, quod ſtuduiſſent per falſas informationes & repræſentationes aut ſcandaloſas ſuggeſtiones contra Exercitum, procreare diſſenſiones, præjudicia aut ſuſpiciones in Parlamento adverſus Exercitum, & imponere intolerabiles injurias, opprobria & provocationes Exercitui, ad provocandum exercitum ad tumultus.

2 *Art. contra* v *Membra.*

2 *Art. contra* xi *Membra.*

Licet contemſerint Regis accuſationem, quod proditoriè invitâſſent & animâſſent externas copias ad invadendum ſuæ Majeſtatis regnum *Angliæ*, tamen non poſſunt effugere accuſationem Exercitus, quod invitaverint *Scotos*, & alias externas copias venire in hoc Regnum hoſtiliter, ad adſiſtendum ipſis in proſecutione & perfectione ſuarum machinationum.

4 *Art. contra* v *Membra.*

4 *Art. contra* xi *Membra.*

De-

Denique poſſunt oculis, manibus & cordibus elevati ad cœlum, reminiſci, quomodo contemſerint & deſpexerint Regem, cum ipſos accuſaret, quod operam dediſſent, quantum in ipſis erat, per vim & terrorem compellere Parlamentum, ad jungendum ſe ipſis in proditoriis machinationibus; & quod in illum finem excitârant tumultus, iiſque faverant contra Regem & Parlamentum: & nunc ipſorummet exercitus quorum plurimi ipſis tunc adſtiterunt in illis tumultibus ad fugandum Regem, & membra utriuſque Domus, accuſat eos quod invitârint, animârint aut faverint diverſis exauthoratis officiariis & militibus, tumultuoſè & violenter ſe congregare *Weſtmonaſterii* ad terrendum & aſſiliendum Membra Parlamenti, in ingreſſu & egreſſu è Domo; ad offerendum violentiam ipſi Domui, & per ejusmodi violentiam, injurias & minas ſubjugandum Parlamentum.

6 Art. contra v Membra.

5 Art. contra xi Membra.

Sicuti accuſatio nunc probata & ſuſtentata ab ipſorummet Exercitu quoad ſubjectum eadem eſt cum illa quæ cum tanta inſolentia fuit rejecta, quum à Rege intentaretur & quæ nunc Regi objicitur ut odioſum crimen; ita in relatione ad eorum Privilegia (quæ ut *Logicorum Linea* eſt *diviſibilis in ſemper diviſibilia*, & ſerviunt eorum ſcenæ, ad eos idoneos faciendum, quidquid à Rege poſtulare quod ipſis lubet, & negare, quicquid Ille ab ipſis poſcit) progreſſus & actiones, differentes fuêre: loco ſuſpendendi & reprobandi eos ad Regis accuſationem, per triumphum introducti fuêre in Domum cum Exercitu: Exercitus poſt nudam exhibitionem generalium ſuorum Articulorum, requirit ut accuſati quantocyus ſuſpendantur à ſeſſione in Domo, & nolunt admittere negationem, aſſentiri neceſſe eſt, ſiquidem pati nolunt accuſatos perſeverare in poteſtate ad obſtruendum debitos proceſſus contra ſemetipſos, & ad ſui liberationem à Iuſticia minari

ruinam toti Nationi, ut è literis ab exercitu 21 Iun. apparet.

Rex impeditus fuerat ob Privilegia, & dein imperioſè requiſitus mittere evidentiam, quam habebat contra eos quos accuſaverat, ad Domum, in quâ illi præcipuè regnabant, & facile poterant judicare quid ſecurum ſibi ipſis eſſet. *Rex poſcebat; ut antequam probationes Ipſius aperirentur contra eos, & ne novus error longiores moras afferret determinaretur, utrum ſua Majeſtas teneretur reſpectu privilegiorum actionem ſuam proſequi in Parlamento, aut an ipſi liberum eſſet diem Illis dicere ad legem communem, conſueto modo, aut liberum eſſet Ipſi eligere quod vellet:* ad quod haud aliud reſponſum voluerunt dare, quàm *quod peterent ab eo daret operam, ut Parlamentum poſſet informari ante diem Veneris proximum, quæ probationes eſſent contra illos, ut vocari poſſent ad legale examen; quia indubitatum jus & privilegium erat Parlamenti, quod contra nullum Membrum Parlamenti procedi poſſit ſine conſenſu Parlamenti.*

Exercitus dicit illis planè per literas ſuas 25 Iun. *Quod deſiderent ut nomen Privilegiorum non appendatur in bilance cum incolumitate Regni & realitate faciendi juſtitiam, quod (ut ſæpius jam dixerant) non poterant exſpectare, ſiquidem perſonæ quas accuſaverant erant Regni & ipſorum Iudices.* Et in Remonſtrantia exercitus 23 Iun: *quod nulla privilegia debeant protegere improbos homines, in faciendo injuriam privatis aut detrimentum publico; & quod qui maxime adorant & diligunt hæc privilegia, optimè expriment zelum ſuum erga ea, ſollicite cavendo ne quis iis abutatur aut extendat ea ad privatam injuriam & publicum damnum. nam*, ajunt, *ſe clarè invenire, & omnes ſapientes poſſe videre, quod Parlamenti privilegia æquè ac Regales prærogativæ perverti poſſint & perperam uſurpari, ad deſtructionem majorum finium, ob quorum protectionem & conſervationem admiſſa fuerunt,*

vi-

videlicet, Iurium & libertatum Populi, & incolumitatis Totius: & cum ita ſit contra abuſum, malum & periculum eorum haud minus contendendum, & remedium haud minus providendum, quàm adverſus alterum: & ex his argumentis concludunt; *ſe coactum iri tales extraordinarias vias ingredi quales Deus oſtendet eis, niſi ante diem Iovis proximum nanciſcantur ſecuritatem pro ſe & Regno, tutioris & optabilioris proceſſus, ordinariâ viâ conceſſis iis, quæ antè poſtulabant.*

Ita proceſſum fuit nuper in ſubjecto accuſationis Membrorum & caſu privilegiorum, quæ eo uſque probata ſunt à Domibus, *quod exercitui gratiæ publicè fuerint actæ pro omnibus quæ egerunt*, & Accuſationes fuerunt receptæ & promotæ, & petita conceſſa contra accuſatos: quemadmodum ergo Rex in accuſatione Membrorum nihil egit niſi congruum Legi & ſuperioribus exemplis Parlamenti, ita quodcunque egit, poſtea juſtificatum fuit à poſterioribus exemplis, quibus ipſimet conſenſerunt & faverunt; atque ita revertimur ad propoſitum à quo hæc conſideratio nos paulum abduxit.

Fit mentio domini *Digbii* comparentis more militari, & poſtea profecti ultra mare, atque indè conſulentis Regi ut ſe recipiat in munitum aliquem locum &c. quibus (cætera notiſſimis) toties reſponſum fuit, ut tempus teri in iis refutandis non debeat.

18. Proximum crimen eſt: Commiſſiones conceſſæ Com. *Novi-Caſtri* & *Col. Legge*, ad intercipiendum *Novum-Caſtrum* & *Hullam, quæ*, inquiunt, *occaſionem dederunt ipſis, conſulendi ſibi:* ad quod *& rumor de copiis è Dania* contribuit; & laborant ſuſpicionem illam de *Dania* veriſimilem reddere.

Commiſſiones Com. *Novi-Caſtri* & *Col. Legge* à Rege conceſſæ, haud aliæ fuêre, quàm quas per leges concedere Ipſi licebat: neque illas conceſſit, antequam certò intellexe-

lexerat, Membra dominantia in Domo Communium, propoſuiſſe illud oppidum intercipere, & poſtquam jam copias collocâſſent circa *Turrim Londinenſem*, terra & flumine ſub ductu novi officiarii ſui *Skippon*, cui mandatum erat ut nullos commeatus permitteret importari cujuscunque demum Authoritate.

Si aliquis metus fuerit externarum copiarum è *Dania*, hoc ipſis favere non poterat ad intercipiendum *Hullam*, ſine & contra Regis licentiam, cujus Ius & Iurisdictio eſt providere contra externas invaſiones: verùm ut rumor ille de copiis è *Dania*, omnibus intelligentibus tum ridiculus viſus, ita experientia poſtea probavit, nullum colorem pro eo militâſſe: & appulſus illius navis cum apparatibus bellicis & armis (nam nulli in ea fuêre ductores) prope *Hullam*, penè ſex menſes pòſt accidit quàm Domus præſidium in *Hulla* collocâſſent, & penè tres menſes poſtquam *Hothamus*, portas occluſiſſet ſuæ Majeſtati; & niſi rebellis illa actio interceſſiſſet, ii apparatus & arma non fuiſſent miſſa.

Invaſio Dominiorum *Regis Daniæ* per *Suecos* accidit ſupra biennium poſt interceptam *Hullam*, quare non poterat eſſe interruptio illius molitionis, ſi intenſa fuiſſet: ſed quod frivolus rumor de colloquio cujusdam miniſtri D. *Digby*, (qui numquam nominatus fuit) cum nauta, ad deducendum claſſem è *Dania* in *Angliam*; aut intercepta epiſtola ex *Haga* ad ſecretarium *Nicolai*, quæ dicitur ſcripta XXVI Novemb. poſt prælium ad *Edge-Hill*; in qua fit mentio armorum pro decem millibus peditum & mille quingentis equitibus; alicujus momenti: putentur ad probandum Regis propoſitum favendi invaſioni in proprium Regnum, infra ſtoliditatem eſt cujusvis, cui ſatisfieri oporteat.

Miſſio Colonelli *Cockram* ad Regem *Daniæ*, accidit poſt Rebellionem jam inchoatam, & cum Com. *Eſſexiæ* jam mo-

moveret exercitum ſuum contra Regem, & principalis ejus inſtructio erat, permovere illum Regem ad mittendum ſuæ Majeſtati ſuppetias pecuniæ, armorum & apparatuum (cum utraque Domus jam intercepiſſet quicquid erat ſuæ Majeſtatis) in navibus Danicis, quia omnes ſuæ Regi jam ablatæ erant & excubabant ad intercipiendum commeatus qui Ipſi mitterentur; & haud mirum eſt quod Rex ſtuduerit in inſtructionibus ad ſuum Agentem, Avunculum ſuum R. *Daniæ* permovere ad injurias & indignitates ſibi oblatas ad animum revocandum: neque erat ea ipſa clauſula (quam improbi hi tam inſolenter & atrociter exprobrant ſuæ Majeſtati) ſine juſto fundamento; cum notum eſſet eos ordinariè muſſitare in ſuis privatis Cabalis multa, quæ non audebant publicè profiteri; cujus generis fuêre eorum ſermones de morte R. *Iacobi*; nunc ita ſunt improbi ut eos divulgent: & alteri, quorum fit mentio in illa Inſtructione. Ajunt, *ſe hæc eò repetere, quia, quando declaraverant ſe intellexiſſe* Cockramum *miſſum in* Daniam *ad procurandum inde copias*; Rex illud negaverit, & vocaverit *vile ſcandalum* in ſuo reſponſo ad Declarationem 22 Octob. 1642.

Accuſatio eorum contra Regem in ea Declaratione XXII Octob. erat, quod *Ioannes Henderſonus* eq. & colonel. *Cockram* (*homines malæ famæ & quoad religionem & quoad honeſtatem*) *miſſi erant* Hamburgum *& in* Daniam, *ut credibiliter erant edocti, ad copias ibidem comparandas, & ducendum* Novum-Caſtrum, *& conjungendum ſe cum Com.* Novi-Caſtri &c. Ad hoc Rex reſpondit: *ſe numquam quàm tunc habuiſſe majores rationes ſecurè confidendi ſubditis ſuis, & propterea credere non poſſe tam vile ſcandalum fidem facere hominibus ſobriis:* & notum eſt Ipſum eo tempore non deſiderâſſe à *Dania*, aut aliis Ipſius confœderatis, quàm pecuniam, Arma & apparatus bellicos, verùm niſi ſecurè confidiſſet ſubditis ſuis,

merito culpari potuiſſet, quod non ſtuduiſſet accipere externas ſuppetias ad conſervationem Sui, Regni ſui & Coronæ; ne obrueretur & ſubjugaretur à potentia Rebellium ſuorum ſubditorum.

In eisdem Inſtructionibus ad *Cockramum*, ajunt, *Rex declarabat quod tum exſpectaret ſuppetias à vicinis Principibus & confœderatis, & particulatim maximam partem claſſis Statuum ex Hollandia:* quod & ſi verum foret, non eget reſponſo, ſiquidem haud abs re erat, quod Rex exſpectaret ſuppetias à vicinis Principibus & confœderatis ſuis, contra tam odioſam & horribilem Rebellionem; & fieri poteſt ut multi eorum inveniant inconveniens fuiſſe, quod non magis ad animum revocarint impetum factum in Principatum, præſertim, ſi loco aſſiſtendi Regi, contribuerint ad opprimendum Regalem poteſtatem: ſed hi homines tam ſunt hoſtes ingenuitatis, quòd in repetitione dictorum & factorum à Rege, omittant multa verba quæ datura fuiſſent alium ſenſum, quàm congruat eorum propoſito, licet quisquis examinaverit, facilè veritatem ſit inventurus. Nam qui perlecturus eſt has Inſtructiones (quomodocunque illas acceperint) inveniet Regem tantum mentionem facere *Claſſis Hollandicæ*, ut *conceſſæ per ordines ad conducendum Reginam tutò in Angliam:* quod hi homines vellent intelligi, ut mutuò datam Regi ad auxiliandum Ipſi contra ſuos rebelles ſubditos; cùm ſatis notum ſit, eo tempore utramque Domum plus ſubſidii accepiſſe ab hiſce Statibus, quàm ſuam Majeſtatem; & quod Rex tum dixit de vicinis ſuis Principibus, & confœderatis, (quod vellent populo perſuadere referendum eſſe ad promiſſionem mittendi Ipſi copias) ſolummodò fundatur in eo, quod Rex meritò ſperaret Principes illos affici indignitatibus ſuæ Majeſtati oblatis. hæc enim illius verba; *Exſpectat & ſperat omnes vicinos*

nos ſuos Principes & confœderatos, non adſpecturos tam periculoſum exemplum ſuis coronis & Monarchiis, ſine ſuppetiis ad ſupprimendum tam pernicioſam machinationem cœptam in ſuo Regno. Deus condonet iis Principibus, qui ſuam Majeſtatem decipi ſunt paſſi, in tam juſta & Regia exſpectatione.

Hic quoque memorandum, quod utraque Domus miſerit ſuum Agentem *Stricklandium* ad *Status unitarum Provinciarum*, ut invitet eos ad ſuam amicitiam & auxilium, & impediendum eorum fœdus cum ſua Majeſtate, antequam Col. *Cockramus* mitteretur in *Daniam*; quia eorum Declaratio ad illas Provincias præfert datum VIII Octob. quod fuit antequam *Cockramus* proficiſceretur in *Daniam.*

19. *Reginæ* profectio in *Hollandiam*, proximè objicitur *Regi, & quod contra fidem ſibi commiſſam, miſerit antiqua monilia Coronæ Angliæ, pignori danda aut venundanda pro apparatibus & armis, cujus* inquiunt, *certam notitiam habuêre antequam arma ſumerent; & quod ne quidem ſemel petierint Militiam antequam* Regina *proficiſceretur in* Hollandiam; *ut quod iter Illius ultra mare fuerit ſuſpenſum multos menſes antè, per ſuggeſtiones eorum ad Regem, quia, (inter alias rationes) intellexerant, Illam convaſâſſe monilia Coronæ, è quo poterant colligere, quid illo itinere intenderetur, niſi prævortiſſent uſque ad hyemem.*

Valde detrectant convenire de tempore, *quo primum arma ceperunt*, & vellent credi, *interceptionem caſtellorum Regis, uſurpationem militiæ Regni, & Regiæ Claſſis*, tantùm exercitium fuiſſe ſupremæ poteſtatis, & non capturæ armorum: verùm licet perſuadere poſſent orbi, quod favere & inducere tumultus, per quos primum abegerunt multa Membra à Domibus & dein Regem ipſum ab *Aula-Alba*, non eſſet capturam armorum, quia non erat approbatum per Actum utriusque Domus, excitare tumultus, tamen negare neutiquam poſſunt *ſuum egreſſum è civitate cum exercita-*

tis civibus (Trained Bands) Londini, *hoſtili more ad* Weſtmonaſterium, ubi utraque Domus gratias egit præcipuis Officiariis, approbavit ea quæ fecerant, & indemnes ſervavit, & conſtituit novum officiarium è ſuis, ad regendum has copias, (quod factum xi Ian. 1641.) eſſe capturam armorum.

Cum poſtero die mandârunt novo ſuo Officiario *Skipponi* obſidere *Turrem Londinenſem*, cum copiis civicis, terrâ & aquâ, & prohibere ne qui commeatus introducerentur, cum Regis Locumtenens in ea eſſet; & declarârunt, *quemcunque, qui illum interturbaret, hoſtem fore Reipub.* quod & ab eo perfectum: oportet ut fateantur quod indubiè ceperint Arma: & ambo hæc gravia facta (quæ ſecundum expreſſum Statutum xxv R. Edu. III ſunt crimina læſæ Majeſtatis) acciderunt antequam vel unum monile pertinens ad Coronam aut Regem, elatum eſſet è Regno.

Quoad tempus quo Militiam flagitârunt, licet nulla temporis circumſtantia id poſſit juſtificare [ut nihil dicamus de Scheda (*Billa*) oblata ad illum finem multos menſes antè] Domus Communium per petitionem ſuam xxvi Ian. poſtquam Domus Parium detrectâſſet concurrere ad tam inobedientem petitionem, poſtulavit à ſua Majeſtate, *at Turrem Londinenſem & præcipuas arces Regni, & univerſam militiam, iis crederet, quos idoneos ipſi judicabant:* & *Regina* non eſt profecta in *Hollandiam* ante xxiii Febr. neque fuit ejus profectio determinata ante initium illius menſis. Ita ut eorum aſſertio, quod nec quidem poſtulârint *Militiam* antequam *Regina* proficiſceretur in *Hollandiam*, ſit plane falſa, & cum gnari facti fuiſſent hujus propoſiti *Reginæ*, nullatenus diſſuaſerunt.

Sed quid fuit *Reginæ* iter in *Hollandiam*, aut Regis miſſio cum Ipſa *Monilium* Coronæ, præ eorum captura Armorum?

rum? Licebat *Reginæ* ire ad aliquem locum quem Rex idoneum judicabat & Principe *Mariâ* eo tempore profecturа in *Hollandiam* ad Maritum ſuum ſua Majeſtas conveniens putabat, ut Regina illam comitaretur eò. Quoad Monilia coronæ (licet plura monilium quæ Regina transportavit, fuerint propria ejus bona) oſtendant aliquam Legem, quâ Regi non liceat diſponere de hiſce monilibus ad incolumitatem vitæ ſuæ, & emendum arma & apparatus bellicos ad defendendum ſe contra Rebelles, qui interceperunt illius reditus, & nihil Illi reliquerunt ad vitam ſuſtentandam præter hæc monilia, quæ ſola habuit in ſua poteſtate ad ſubducendum ea illis, aut relinquendum ut illi ea interciperent & venderent; qui omnia quæ præter ea habebat & Ipſius reditus, applicârunt ad accelerandum Ipſius deſtructionem.

In mentione prioris Reginæ propoſiti proficiſcendi ultra mare, remorati (ut ajunt) per ipſorum ſuggeſtionem, quia intellexerunt, quod convaſâſſet monilia & argenteam ſuppellectilem Coronæ utuntur veteri ſua & conſueta licentiâ.

Si libeat examinare ſuum diarium, non invenient inter omnes illas rationes, quæ portatæ fuêre per Mr *Pimmium* ad Dominos in collatione 14 Iul. & poſtera die oblatæ Regi ad diſſuadendum Reginæ iter, vel minimam mentionem, convaſationis monilium & argenteæ ſuppellectilis Coronæ; ſed *quod accepiſſent informationem de convaſatione magni theſauri in Monilibus, argentea ſuppellectile & parata pecunia tranſportandi cum Regina: & quod diverſi Papiſtæ & alii, ſub prætextu Reginæ bonorum, veriſimiliter tranſportaturi eſſent magnas ſummas pecuniæ & alios theſauros ultra mare, quod non tantum ſtatum inopem faceret, ſed impendi poſſet ad fomentandum damnoſas Machinationes ad turbandum publicam pacem:* & po-

tuiſſent in memoriam revocare, inter præcipuas rationes quibus utebantur ad diſſuadendum Reginæ, fuerit eo-

5 Ratio. rum profeſſio & Declaratio (*ſiquidem audiverant præcipuam cauſam ſuæ Majeſtatis morbi procedere ex offenſione animi*) *ſi quicquam quod eſſet in Parlamenti poteſtate poſſet Illam contentam reddere, quod tantopere diligerent Illius ſanitatem, tam reſpectu ſuæ excellentiſſimæ Majeſtatis, quàm Illius, ut parati eſſent promovere quo Illi in omnibus ſatisfieret: & quod ignominioſum futurum eſſet*

6 Ratio. *huic Nationi, Reginam tam intempeſtivo tempore excedere Regno propter moleſtiam hic oblatam: & quod propterea omnibus modis vellent operam dare ad auferendum & prævortendum omnes juſtas occaſiones quæ Illam poſſent turbare, atque ita procurare ut eſſet contenta atque ſana, quod ſummum ſolatium & gaudium eſſet allaturum ipſis & reliquis ſuæ Majeſtatis dilectis ſubditis.*

Harum obligationum oportuerat eos meminiſſe, & relinquere orbi recordari quàm rite perfecerint. Sermo *Burroug Bridge*, quod *Rex vellet pignori dare ſua Monilia pro Exercitu:* tantundem facit ad rem, quàm reliqua ſermonum ibidem habitorum, cum ſolum dictum fuerit à Cap. *Chudleig*, qui non videtur id credidiſſe, quia ab eo tempore ſe addixit Parlamento (ut quod melius ſtipendia ſolveret) & ſummopere ab iis fuit commendatus.

20. Videntur credidiſſe, frivolas & malitioſas ſuas allegationes ſufficere ad probationes, itaque ſumunt audaciam exprobrandi ſuæ Majeſtati *violationem honoris & fidei*, & taxandi Illum *quod Deum advocaverit teſtem*, & fecerit *tot ſollemnes proteſtationes contra ullum propoſitum adducendi ſeptentrionalem exercitum, aut delectum copiarum ad movendum bellum Suo Parlamento, aut inducendi externas copias aut ſuppetias ab ultra Mare*; *quod*, inquiunt, *Ipſe ajebat, non ſolum conjecturum eſſet Regnum in ſubitam deſtructionem & ruinam*; *ſed etiam ſuum nomen & poſteritatem in perpetuum opprobrium & infamiam.*

Si

Si hi generoſi bona fide agere vellent cum orbe, & fateri quid ipſos maximè torqueat, agnoſcerent ipſis dolere, quòd Rex tam exactè & ſeverè fidem ſervet & proteſtationes ſuas: ſi voluiſſet uti eorum artibus diſſimulandi, & deſcendere ad eorum vilem licentiam promittendi & proteſtandi, de quo ipſe poſtea ne ſemel quidem cogitaret, potuiſſet eos prævenire in multis illorum ſucceſſibus: ſed magnitudo animi Ipſius dedignabatur proſperare aut ſecurus eſſe per aliquas deviationes à veritate & honeſtate: & quod promiſit, religioſè obſervavit, licet cum incommodo ſuo & damno: non proteſtatus eſt ſe non adducturum ſeptentrionalem exercitum aut adunaturum copias contra Parlamentum, aut pro juribus ſubditorum, quod non eſſet exactè verum, & conveniens regiis ſuis cogitationibus & reſolutionibus animi ſui.

Occaſio, quâ Rex, ea proteſtatione eſt uſus de *externis copiis* (quæ hîc ab illis commemoratur) hæc fuit: in declaratione Ipſi tradita ab utraque Domo, *Novo-Mercati* IX Mart. 1641, ajebant ipſi; *quod creberrimis notificationibus, à Roma, Venetiis, Pariſiis & aliis partibus edocti erant, quod Majeſtas ſua aliquid magni moliretur, & quod* Nuntius Papæ *ſollicitaverat Reges* Franciæ *&* Hiſpaniæ *ut ſinguli Ipſi mutuo darent quatuor mill. virorum, ad tuendum regalem ſuam dignitatem contra Parlamentum, cauſas eſſe ſuorum terrorum & ſuſpicionum:* Ad quæ Rex reſpondit in hæc verba: *Quæ ſint veſtræ notificationes à* Roma, Venetiis, Pariſiis *& aliis partibus, aut quid* Nuntius Papæ *ſollicitaverit Reges* Franciæ *&* Hiſpaniæ *facere, aut à quibus hæ notificationes ad vos venerint, aut quomodo dignitas & fides ejuſmodi perſonarum fuerit examinata, ignoramus, ſed confidimus, nullum ſobriè honeſtum virum in noſtro Regno poſſe credere, Nos eſſe tam deſperatos aut inſenſatos, ut foveamus ejuſmodi propoſita, quæ non ſolum ſepultura eſſent hoc Noſtrum*

ſtrum regnum in ſubitam deſtructionem & ruinam, ſed etiam Noſtrum Nomen & Poſteritatem in perpetuum opprobrium & infamiam.

Hoc reſponſum prudentiſſimè & juſtiſſimè repoſitum fuiſſe extravaganti illi & ſtolidæ ſuggeſtioni, dubitari non poteſt; verùm quia Rex eo tempore, ante bellum, aut expreſſum propoſitum in illis movendi bellum contra Ipſum, ducebat odioſum & infame cogitare de adducendis externis copiis in ſuum Regnum, quod Ipſi poſtea non licuerit judicare neceſſarium & putare juſtum, advocare externas ſuppetias ad defendendum ſe contra Rebellionem, quæ, præter mixturam omnium Nationum, adjuvabatur ab integro externo Exercitu ad opprimendum Ipſum, & ipſius Poſteritatem, nemo prudens poteſt ſupponere: & tamen quàm longè abfuerit ab alendo tale ſubſidium, eventus declarat: quod fortaſſis multi prudentes numerant inter maximos Ipſius errores & negligentias; & quod ſine dubio (niſi tam plenus fuiſſet dilectione & commiſeratione erga Populum ſuum, quâ hi homines carent) haud difficulter potuiſſet facere.

Pergunt probare hoc irrationale ſcandalum alio argumento: *quod cum ſua Majeſtas ipſamet, & Domini proteſtati ſunt* Eboraci *contrà delectum copiarum, Ipſe præceperit ſubditis ſuis per Proclamationem reſiſtere ordinationi Parlamenti, & alia multa egerit contra eam Proteſtationem*, quæ particulatim memorantur, & examinabuntur atque refellentur.

Actum, quod ipſi vocant *Proteſtationem*, à Rege & Dominis factum *Eboraci* 15 Iun. 1642 ſex & viginti dies, poſtquam utraque Domus declaraverat, *Regem intendere bellum movere contra Parlamentum*, & conſequenter publicâſſent Propoſitiones ſuas, ad conferendum pecuniam aut argenteam ſuppellectilem, ad cogendum & alendum exercitum:

tum: Rex concipiens quod tam positiva & monstrosa assertio posset impressionem facere & fidem invenire apud populum suum, convocavit Pares qui Ipsum comitabantur, &, considerata Declaratione, ipsis manifestavit; *quod semper abhorruisset & adhuc abhorreret ab ejusmodi machinationibus*, & petebat ut Ipsi declararent, *utrum in loco existentes, vidissent ullas præparationes aut consilia, quæ possent fidem facere talis propositi*, & *utrum non plenè essent persuasi suam Majestatem nihil tale meditari*? Ad quod septem & triginta Pares, qui Illum tum comitabantur (duplus numerus præ illis qui tum aut postea remansêre in Domo Parium *Westmonasterii*) unanimiter declarârunt sub manibus suis, (quod publicatum fuit Regno) *quod non viderent ullas præparationes aut consilia, quæ possent fidem facere talis propositi, & professi sunt coram Deo, & testificati toti orbi, quod plenè persuasi essent suam Majestatem nihil tale meditari, sed quod omnia Illius studia tenderent ad firmum & constans stabilimentum veræ Protestantium Religionis, justorum privilegiorum Parlamenti, Libertatis subditorum, Legum, Pacis & prosperitatis Regni*; non obstante hoc tam claro argumento, accelerârunt quantum poterant cogere Exercitum, & commovere populum contra supremum suum Dominum Regem.

Quod sua Majestas non intenderit per illam professionem pro sua parte, aut Domini se putârint obligatos pro suis partibus, admittere aut non adversari ordinationibus, quæ tum quotidiè prodibant à Westmonasterienſibus, qui se ferebant utramque Domum, non requirit aliud argumentum, quàm suæ Majestatis Declarationem publicatam XIII Iun. in qua inter alia, declarat Paribus, *quod nollet illos* (*ut falsò prætendebatur*) *aut aliquem eorum implicari alicui bello contra Parlamentum, nisi fuerit ad necessariam sui defensionem & incolumitatem, adversus eos qui essent insolenter*

invaſuri aut attentaturi contra ſuam Majeſtatem, aut Ipſi adhærentes: Et eo ipſo die Pares (quorum Comes *Sarisburienſis* erat unus) obligârunt ſe ſub ſuis manibus, *quod defenſuri eſſent ſuæ Majeſtatis perſonam, coronam & dignitatem, contra omnes perſonas & poteſtates quaſcunque, & quod non obedituri eſſent ulli mandato aut ordinationi qualicunque concernenti Militiam, quæ non haberet regalem aſſenſum.*

Prima *commiſſio Arrayæ* prodiit aliquot dies ante hanc Profeſſionem & Proteſtationem factam à ſua Majeſtate & propterea non poteſt dici contra illam eſſe: & circiter ſupra tres menſes poſt illegalem & extravagantem *Conſtitutionem de Militia*, & poſtquam illa exequutioni tradita fuerat in multis Regni partibus, non obſtante ſuæ Majeſtatis proclamatione contra illegalitatem & perduellionem ejus, *poſtquam poſtulâſſet ab eis ut producerent unam ordinationem ab initio Parlamentorum ad hoc ipſum Parlamentum, quæ ſtuduerit aliquid imponere ſubditis, ſine Regis aſſenſu:* cujus ad hunc diem numquam dederunt, aut dare poſſunt unum exemplum. Ipſa commiſſio Arrayæ, eſt ſecundum Legem, & ita tenetur hoc tempore eſſe à pluribus Iuris peritis, & ita fuit judicata à M^ro Iuſtitiario *Hultone*, in ipſius argumento in Camera ærarii in cauſa Mr *Hambdeni.*

Epiſtola, quam ajunt ſe producere poſſe authographam, Regis ad *Iohannem Heydon*, Vice-præfectum machinarum bellicarum, xx Iun. 1642. nullo modo contraria eſt ſuæ Majeſtatis profeſſioni, ſed talis qualem neceſſarium erat eo tempore ſcribere, ad juratum Officiarium & Miniſtrum ſuum, ut mitteret Ipſius propria bona quæ erant in ejus cuſtodia, & quibus utendi fortaſſis occaſio erat futura: & optabat ut ſecretò poſſet fieri, quod tantum argumentum eſt iniquitatis illius temporis, quo Re cogebatur uti arte ſecreta ad accipiendum ea quæ ad

Ipſum

Ipſum pertinebant, ne raperentur ab iis, qui nõvem dies ante datum hujus Epiſtolæ, publicaverant conſtitutionem ad intercipiendum quicquid ad Ipſum iret. Sua Majeſtas non requiſivit ullam ſubſcriptionem argenti, Equorum & Armorum, niſi plures dies poſtquam publicâſſent ſuas Propoſitiones ad illum finem, & receperunt magnas pecuniæ ſummas, & vaſtam quantitatem argenteæ ſupellectilis per has Propoſitiones; adverſus quæ ſua Majeſtas ſcripſerat regias ſuas literas ad Civitatem *Londinenſem* XIV Iun. & duos dies poſt publicaverat Declarationem cum teſtimonio omnium Parium qui Ipſi aderant, in quibus dicebat; *quod ſi non obſtante tam clara declaratione ſuarum intentionum, hi homines per hos rumores belli Ipſum excitarent ad neceſſariam curam defenſionis ſui & populi ſui, & ſe ipſos tam inaudito modo pararent (& ſeducerent alios ad idem faciendum) ad offendendum ſuam Majeſtatem; quandoquidem enim tam inſigne teſtimonium dederant ſuarum affectionum, quid facturi forent, cum idonei eſſent: omnes boni Ipſius ſubditi judicarent neceſſarium ut ſibi ipſi conſuleret: & tunc excitabat omnes ſuos bene affectos ſubditos, ſecundum juramenta eorum ſupremitatis, & Fidelitatis, & ſecundum ſolemne eorum votum & Proteſtationem (per quæ obligati erant defendere Ipſius perſonam, Honorem & ſtatum) contribuere ſuum auxilium ad præparandum neceſſaria ad opponendum & ſupprimendum proditoria attentata* &c. *Et tunc vellet illud acceptabile ſervitium ducere, ſi quis, in tam urgenti & viſibili neceſſitate ſuæ Majeſtatis, & tam manifeſta perturbatione Regni, adduceret Ipſi, aut ad Ipſius uſum, pecuniam aut argenteam ſupellectilem, & ſubminiſtraret equos aut arma* &c. Hoc fuit tempus, & hic modus quo ſua Majeſtas requiſivit ſubſcriptionem illam Argenti, Equorum & Armorum, quam hîc Ipſi exprobrant. Inquiunt, Regem delegiſſe cuſtodiam equitum & peditum circa ſe; & per eos non ſolum *ignominiosè tra-*

clâsse commissarios eorum ad Ipsum missos, pulsâsse eorum publicos Officiarios & Nuntios, protexisse notorios Papistas, proditores aut felones, ut Beckwithum *& alios, à* Posse Comitatus; sed etiam hisce *custodibus, machinis & armis ultramarinis, tentâsse intercipere* Hullam, *hostili more*, idque paucos dies post hanc *solemnem Protestationem Eboraci:* quæ omnia particulatim examinanda sunt. Delectus Regiæ custodiæ factus hac occasione & ad hunc modum:

Rex cum Sua Curia resideus in civitate *Eboracensi* & importunè requisitus ab utraque Domo Parlamenti, ut consentiret, suum Armamentarium *Hullæ* traduci inde (ad melius supplendum necessitates *Hiberniæ*) ad *Turrim Londinensem*; quod cum ob multas rationes inconveniens putaret, sua Majestas resolvit ire in persona ad *oppidum suum Hullam*, ad lustrandum sua arma & apparatus bellicos, ut determinare posset, quam partem necessarium foret ibidem remanere, ad securitatem & satisfactionem septentrionalium partium (siquidem principales personæ ab Ipso petierant, ne omnia removerentur) & quæ pars impendi posset *Hiberniæ*, quid ad armandum *Scotos* qui eò profecturi erant, quid ad implendum principale Ipsius armamentarium in *Turri Londinensi*; & vadens eo XXIII April. 1642. reperit omnes portas sibi occlusas, & pontes levatos mandato *Ioannis Hothami* Eq. qui pertinaciter negabat Ipsi introitum, è muris, qui & militibus muniti erant & machinæ dispositæ contra Regem: Cum sua Majestas frustra hortatus fuisset *Hothamum*, & obtulisset ingredi cum viginti equitibus, quia allegabat Ipsius comitatum nimis grandem esse; denique coactus fuit regredi *Eboracum*, postquam proclamâsset *Hothamum* perduellem, secundùm omnes notas leges in tali casu.

Postero die misit Rex Epistolam ad Domos, requirens ju-

juſtitiam contra *Hothamum*: cui non reſponderunt, niſi poſt quatuordecim aut plures dies: miſeruntque interea delecta quædam Membra *Hullam* ad gratias *Hothamo* agendas pro iis quæ egerat, & affirmandum *quod illum in iis juſtificaturi eſſent*; & alios in Lincolnienſem provinciam, cum mandatis ad deputatos ſuos Locumtenentes & alios Officiarios, ut illi ſuppetias ferrent ſi opus eſſet: & miſerunt deinde quædam alia Membra, ut ſuos Commiſſarios *Eboracum*, cum Reſponſo ſuo ad Regem, in quo dicebant; *quod* Hothamus *non potuerit fidei ſibi commiſſæ ſatisfacere, aut finem obtinere ob quem ipſi cuſtodia illius oppidi, & Armamentarii tradita fuerat, ſi intromiſiſſet ſuam Majeſtatem cum talibus Conſiliariis & comitatu, ut tunc erant circa eum; & propterea poſt plenam reſolutionem utriusque Domus declaraverant* Hothamum *non eſſe reum odioſi illius criminis perduellionis; & probaverant, quod nihil in eo egiſſet, quàm in obſequium utriusque Domus:* Cum revera, licet præſumſerant contra legem & jus illum eò mittere & gubernatorem ad tempus conſtituere ejus loci, nullum verbum eſſet in ipſius Commiſſione aut inſtructionibus, quæ implicarent vel minimam directionem, ne permitteret ſuam Majeſtatem eò venire; ſed contra, prætextus eorum erat ſuæ Majeſtatis ſingulare ſervitium.

Rex breve reſponſum fecit ad tam alienam reſponſionem, & tradens illud ipſorum Commiſſariis petiit ut cum eo reverterentur ad Domos, quod negârunt ſe facturos dicentes Ipſi, ſe conſtitutos eſſe à Parlamento *ut reſiderent Eboraci*, interea reſponſum Regis miſſuros *Weſtmonaſterium*.

Nimis longum eſſet hoc locò; & fortè alienum videri poſſet, conſiderare, utrum hæc conſuetudo mittendi reſidentes Commiſſarios in Comitatus, quæ cœpit hoc tempore, congruat Legi & juſtæ poteſtati Domorum: nam ut ſimilia exempla non reperiuntur ſuperiorum Parlamen-

torum, veriſimillimum eſt, quod illud concilium quod Regis Brevi vocatum eſt ad conveniendum *Weſtmonaſterii*, non magis poſſit conſtituere quædam Membra ſua reſidere *Eboraci*; aut alio quovis loco, quàm ſeipſum eò transferre: & videtur contra jus, eos Deputatos qui à Comitatibus aut civitatibus miſſi ſunt ut præſentes ſint ipſorum loco in Domo Communium *Weſtmonaſterii*, mitti ad alium locum, ita ut illi, quos repræſentant, ſint ibidem ſine ullis Membris.

Ad hoc reſponſum Commiſſariorum tam inopinatum, quàm alterum illud Domuum; & alia actitata eodem tempore, ut miſſio aliorum Commiſſariorum *Hullam*, aliorum in Lincolniæ comitatum, ad perſuadendum populo, ut probaret quæ *Hothamus* egerat, & adſiſtendum ei ſi occaſio poſtularet: Rex jure cœpit apprehendere aliquam machinationem in ſuam Perſonam, & tunc ei non antè determinavit & declaravit ſe velle habere cuſtodiam ad ſecuritatem ſuæ Perſonæ, *Ne* Hothamus *poſſet* (ut Sua Majeſtas dicebat) *iisdem copiis, aut majoribus, delectis ſub prætextu ejusdem Authoritatis* (nam cogebat quasdam quotidie) *alere bellum, quod contra Ipſam ſuſceperat, & æque captivare Ipſius Perſonam, quàm detinere Ipſius bona, & ſuam Majeſtatem tam concludere* Eboraco, *quàm Ipſam excluſerat* Hulla.

Cuſtodia iſta ad hæc delecta fuit, è conſilio principalium Generoſorum illius comitatus, & conſiſtebat ex una legione comitatus illius exercitatarum turmarum, cui præerat Colonellus, è præcipuis ibidem Generoſis, tam quoad fortunas, quàm dignitatem; & unâ turmâ equitum, cui hic honor eſt habitus ut *Principis Walliæ* turma diceretur, cui præerat Com. *Cumberlandiæ*, conſiſtens pene è centum maximam partem, ſi non omnibus, Generoſis illius Comitatus; & ut rumor, ſcandalum & imputatio quod *Papiſtæ* ad-

adhibiti fuerint dilucidè refutari poſſit; neque Officiarius neque miles fuit in iſta Legione aut Turma, qui non præſtiterit *Iuramentum Fidelitatis & Supremitatis*; & ſtipendia illis exactè à Rege ſoluta, ne quis quereretur.

Hæc fuit Cuſtodia, hæc occaſio, & modus deligendi, quinque plenos menſes poſtquam utraque Domus contra Legem aut exemplum, & ſine vel minima ſpecie periculi, longè majorem Cuſtodiam ſibi delegerant, ſub præfectura novi ſui Officiarii *Skipponis*, poſtquam Turrim obſederant, & Regem coëgerant regimen ejus committere viro quem ipſi nominârant & elegerant: poſtquam Gubernatorem & præſidium impoſuerant *Hullæ*, & Ille Regem oppido arcuiſſet; poſtquam invito Rege & contra illius expreſſum mandatum, Regiam claſſem tradidiſſent in manus & præfecturam Comitis *Warwicenſis*; poſtquam in multis Comitatibus executioni mandaverant Statutum de *Militia*; & poſtquam diſcrimen adduxiſſent ad fores cubiculi ſui, præcipiendo ipſi Vicecomiti *Eboracenſis provinciæ*, ut auxiliaretur *Hothamo*, & commiſſarios ſuos ad idem adhibuiſſent.

Quoad injurias illatas ſuis commiſſariis, debuerant (& ſine dubio ſi fuiſſet in ipſorum poteſtate voluiſſent) memorare vel unam injuriam illis illatam; notiſſimum eſt illos omni libertate & reſpectu gaviſos, licet ſuam Majeſtatem non laterent prava & ſeditioſa eorum ibidem officia; & licet adeſſent omnibus publicis Conventibus, & cum ſua Majeſtas aliquid proponebat comitatui, producebant ſuas inſtructiones & diſſuadebant Comitatui, obſequi juſtis Ipſius deſideriis; tolerâſſe iſta, majori jure imputari poterat Regi, quàm ulla injuria ipſis illata: cujus rei ipſorum propriæ Literæ mandato eorum excuſæ ſufficientes teſtes eſſe poſſunt, & cum Rex *Eboraco* diſcederet *Nottinghamum* poſtquam per Proclamationem declaraverat quod vellet

ex-

explicare Regium ſuum vexillum *(Standart:)* Dom. *Fairfaxio* (uno Commiſſariorum) ob valetudinem ſubſiſtente in Domo ſua in illo Comitatu, licet Rex nôſſet quàm prava officia Ipſi feciſſet, & quod illum cuſtodiendo in carcere longè plura poſſet prævortere; tamen quia illum receperat ut Membrum deputatum à Parlamento, & quod reditus illius impediretur à morbo, noluit illum apprehendi, ſed reliquit illum quietum, ut ſe recolligeret & agnoſceret ſuæ Majeſtatis bonitatem: tantum abfuit ut Commiſſarii illi aut ullum membrum injuriam paterentur, quantumcunque meruerant.

Proximum argumentum, quod Rex fregerit ſuam Proteſtationem aut aliquid contra illam egerit, eſt *pulſatio publicorum ſuorum Officiariorum & Nuntiorum; & protectio notoriorum Papiſtarum, proditorum, Felonum, ut* Beckwithi *& aliorum à Poſſe Comitatus*: ſiquidem haud alius nominatur veriſimile eſt, illum eſſe unicum, & maximè notorium exemplum protectionis, & propterea operæpretium erit examinare, quæ fuerit viri illius cauſa.

Hic generoſus M^r. *Beckwith* (Papiſta, nec ne, haud intereſt) agebat *Beverleyæ*, quo Rex venit nocte, poſtquam *Hothamus* Ipſum *Hullâ* excluſerat, & erat ſuæ Majeſtati planè ignotus, ſed afficiebatur eo ſenſu indignitatis oblatæ ſuo Principi, quo par erat honeſtum ſubditum affici, & calamitate quæ obventura erat illi Comitatui & Regno per iſtas rebelles actiones, & exprimebat (ut plerique Generoſi illius Comitatus) deſiderium reſtabilendi ſuam Majeſtatem, & prævortendi incommoda quæ aliàs videbantur ſequutura.

Habebat Hullæ generum *Foukium* Locumtenentem pedeſtris turmæ in illo præſidio, quem ſupponebat (cum tantum introductus eſſet cum exercitatis turmis) haud malitioſè

tioſè implicatum propoſito proditionis, & ea propter tam ad conſervandum virum ſibi tam affinem à noxa, quàm ob alios reſpectus ad Regem & patriam, arceſſivit illum, qui (cum congreſſus utrimque nondum eſſet prohibitus) & venit & inter ſermones ſe oſtendens alieniorem ab iis quæ illegitimè erant acta, & pronum Regi in aliquo ſervire, declaravit, ſe nocte diei Iovis proxime inſequentes excubias habiturum ad ſeptentrionalem portam, & ſi armorum ſtrepitus excitaretur ad aliam portam *Heſſelgate*, intromiſſurum miſſos à Rege; *Beckwithus* promiſit, ſi hæc perficeret, largam mercedem & ſi poſſet convertere Capitaneum ſuum *Lowanger* (Germanum) ut ſe illi jungeret, itidem largè remunerandum. Hoc eſt omne quod objectum fuit *Beckwitho*, ut apparet ex Epiſtola *Hothami* ad M^r. *Pimmium* de tota informatione, inſertâ Diario Domus Communium, & mandato illius excuſa.

Foukius, *Hullam* regreſſus, rem totam aperuit *Hothamo*, qui notificavit id Domui Communium, ut dictum eſt, & illi ad hæc miſerunt Sergeantum ad Arma aut ejus Nuntium ad capiendum *Beckwithum* ut delinquentem, qui gnarus illius proditionis generi ſui, deſertâ Domo ſuâ confugit *Eboracum*.

Nuncius, confidentiâ Dominorum ſuorum, eò venit & inveniens hunc generoſum in Curia & in Horto in quo Rex Ipſe ambulabat, præſumſit ei exhibere Commiſſionem ſuam, & illum Captivum prætendere: mirum ſanè nuntium non ſeverè acceptum fuiſſe, ſed reverentiâ Regiæ perſonæ illum ſervavit, qui nullam reverentiam exhibuerat Regi: & ſua Majeſtas informata de iis quæ acciderant, vocavit hominem & inſpectâ ejus Commiſſione, juſſit redire ad eos qui miſerant ipſum, & abſtinere à ſimili inſolentia, nequid pejus ipſi accideret: hæc fuit pulſatio miniſtri eo-

rum, & protectio *Beckwithi*; neque umquam ulla *Posse Comitatus* excitata, Vice-comite quotidie comitante suam Majestatem & observante mandata quæ ab Ipsa dabantur, secundum officium muneris sui.

Qualecunque fuerit ejus delictum, inauditum erat (antè hoc Parlamentum) quod Nuntius alterutrius Domus præsumeret exhibere Commissionem in Regis Curia, multo minus in Illius præsentia: quæ durante fidelitate & obsequio, sacra fuit habita adversus ejusmodi præsumtiones: dictante Lege talia privilegia & immunitates deberi illis locis: *Quod Dominus non potest capere villicum suum Rege præsente, quia præsentia Regis ipsi est asylum*, inquit Dom. *Dyerus*.

fol. 60. b. pl. 23.

Quoad rem ipsam, sanè nemo mentis suæ compos, dixerit, oportuisse Regem pati ut *Beckwithus* captivus duceretur *Westmonasterium*, ut delinquens, quia Officium fecerat boni subditi: & examinaretur ab iis, quorum propria erat proditio commissa; neque nominari potest ullus, quem arcessiverint ut delinquentem, quem Rex protexerit: exceptis iis qui annum integrum attenderant iis petentes Iusticiam: aut iis, quibus nihil objiciebatur, quàm quod servirent suæ Majestati: nam tantum reperire erat proditores & Felones intra ipsorum limites, & protectos ab eorum privilegiis.

Paucæ lineæ suffecerint ad observandum differentiam, quomodo Regis nuntii habiti fuerint ab iis, & eorum à Rege: ipsorum Nuntius missus ad illegale ministerium, ad apprehendendum personam, quam arcessere non erat in eorum potestate, & ob crimen (si modò reus fuisset) cujus cognitio ad eos non pertinebat, & executioni mandans eorum mandatum illegali modo, & in loco, in quo non debuerat facere, licet mandatum fuisset justum; à

Rege

Rege fuit dimissus sine captura aut restrictione : Regis Nuntius à sua Majestate missus *Londinum* cum legali Brevi, ad procrastinandum Terminum, quod est absolutè in Regis potestate, & non potest aliter regulari forma fieri, quia officium fecerat in hoc ministerio, secundum Iuramentum suum, & non fecerat quid ob quod pœnæ esset obnoxius, & merito munere suo excideret, sine alio crimine ipsi objecto, *captus fuit, incarceratus, examinatus in Curia Belli, ab iis condemnatus & suspendio affectus:* hic sanguis altè clamabit. *Daniel Kniveton.*

Sed inquiunt, *hisce custodibus, machinis & armis ultramarinis, Rex tentavit capere* Hullam *hostili modo, idque paucos dies post illam sollemnem Protestationem Eboraci editam.*

Qualis protestatio fuerit, jam antè dictum, & suæ Majestatis publicata resolutio de hoc subjecto, ante illam Protestationem : neque celavit sua Majestas suum *propositum*, in hoc aut aliis casibus hujus naturæ neque dissimulavit suum propositum speciosa aliqua promissione aut prætextu, sed planè affirmavit iis & orbi, quid illis ab ipso exspectandum esset.

Ad expostulatoriam & comminantem Petitionem oblatam suæ Majestati simulac venisset *Eboracum*, 26 Martii, Rex in suo Responso usus est his verbis: *Quemadmodum non detrectavimus aut detrectaturi sumus ullam viam congruentem Iusticiæ & honori, quæ Nobis offeretur ad concordiam inter Nos restaurandam ; ita resolvimus, nullas angustias aut necessitates (ad quas compellemur) umquam nos permoturas facere, quod ratio & intellectus quem Deus Nobis largitus est, & dignitas nostra & interesse, quæ Deus Nobis credidit ad bonum Nostræ Posteritatis & Regnorum, nobis ingrata & gravia reddituras.*

In secunda missione, altero die post portas *Hullæ* Ipsi clausas Rex utitur his verbis : *Si redacti sumus in conditionem longe pejorem quàm subditi nostri, ut, dum vos omnes gaudetis ve-*

ſtris privilegiis & poſſeſſiones veſtræ turbari non poſſunt, aut tituli in quæſtionem vocari, nos ſoli ſpoliemur, excludamur oppidis noſtris, & privemur bonis noſtris; tempus eſt examinandi quomodo amiſerimus hæc privilegia, & experiri omnes poſſibiles vias, auxilio Dei & Legis Terræ, & dilectionis bonorum ſubditorum noſtrorum recuperandi ea, & Nos ipſos vindicandi ab his injuriis.

In replicatione ſua ad Reſponſum de *Ioanne Hothamo*, exhibito Ipſi IX May, ſua Majeſtas dixit illis, *quòd expectaverit illos non mandaturos executioni ſtatutum de militia, donec oſtendiſſent per quam Legem authoritatem haberent illud faciendi ſine Illius aſſenſu; aut ſi facerent, ſe confidere quod plus obſequii reperturus eſſet ſecundum Legem, quàm illi contra Legem.*

Denique, in ſuo Reſponſo ad Declarationem XXI Iunij 1642. (circiter quatuordecim dies ante ejus iter ad *Hullam* cum cuſtodibus corporis) ſua Majeſtas planè illis intimavit; *quòd excluſio Ipſius ab* Hulla *per* Hothamum *fuerit factum perduellionis contra Ipſum, & ablationem armamentarii ſui & apparatuum, fuiſſe actionem violentam in Ipſum, (per quos, aut quorum mandato demum fuerit factum) & in utroque caſu, auxilio Dei & Legis vellet obtinere juſticiam, aut amittere vitam in requirendo eam*; ita ut Rex nunquam celaverit aut diſſimulaverit propoſitum ſuum; & propterea, circa medium Iulij movit verſus *Beverlyam* cum ſuis cuſtodibus, credens *Hothamum* pœnitere criminis quod admiſerat, & velle reparare quantum poterat; quo fallente (ad ſui ipſius miſeram deſtructionem) ſua Majeſtate non tentans per vim cogere reverſus eſt *Eboracum.*

Cum jam plenè & planè oſtenderim quàm falsò & ſine fundamento ſuæ Majeſtati exprobretur vel minima tergiverſatio aut deviatio à promiſſis ſuis & profeſſionibus (quas nullus Princeps umquam arctius & religioſius obſervavit) exigui temporis jactura erit viciſſim examinare quàm arctè

hi

hi conſcientioſi reprehenſores ſui Principis obſervaverint quæ jurârunt & dixerunt.

In prima Remonſtrantia Domus Communium, de Statu Regni declarant; *Procul eſſe ab ipſorum propoſito aut deſiderio laxare aureas habenas diſciplinæ & Regiminis in Eccleſia, & ſinere privatos homines aut particulares congregationes aſſumere formam divini Cultus quem velint; nam*, inquiunt, *neceſſariam putamus per totum Regnum uniformem ordinem quem Leges præſcribunt.*

In ſua Declaratione XIX Maij, ubi loquuntur de continuatione hujus Parlamenti, inquiunt; *certum nobis, gratioſum favorem ſuæ Majeſtatis expreſſum in hac Billa, & ſecuritatem quam habemus nos non dimittendos, non animaturam nos ad quicquam agendum, quod non fuerit idoneum agi.*

In concluſione ſuæ Declarationis XXV Maij 1642. meritò apprehendentes ſuas expreſſiones ad minimum producturas gravem ſuſpicionem de eorum fidelitate, ajunt, *Non dubitare ſe quin in fine apparituram ſit toti orbi, ipſorum ſtudia fuiſſe ſeria & ſincera, ad tuendum veram Proteſtantium Religionem, Regis juſtas prærogativas, Leges & libertates Terræ, & privilegia Parlamenti, in quibus ſtudiis, gratiâ Dei, perſeveraturi ſint, licet perirent in opere.*

In ſua Declaratione XIV Iun. 1642. Domini & Communes declarant; *finem harum Propoſitionum* (de argento & pecunia) *eſſe, tueri Proteſtantium Religionem, Regis Authoritatem & Perſonam in regia ſua dignitate, liberum curſum Iuſtitiæ, Leges Terræ, Pacem Regni, & Privilegia Parlamenti.*

Quemadmodum ſervârunt has & alias ſuas profeſſiones *Regi* & *publico*; ita & ſervârunt ſua promiſſa *Populo*: in ſuis propoſitionibus X Iun. 1642. de Collatione pecuniæ & argenti, Domini & Communes declarant; *nullius affectum æſtimatum iri ſecundum proportionem ſuæ oblationis, modo*

exprimat bonam ſuam voluntatem ad ſervitium, quácunque tandem proportione: primum propoſitum erat involvere quotquot poſſent culpæ, quàm exiguum modò eſſet ſupplementum; verùm XXIX Nov. ſequentis iidem Domini & Communes conſtituerunt ſex perſonas, *quæ aut quatuor earum, poteſtatem haberent taxandi omnes opulentos qui non contribuerant, & eos qui contribuerant quidem, ſed non ſecundum opes ſuas, cogendi ad ſolvendum talem ſummam aut ſummas pecuniæ, ſecundum fortunas ſuas, quales hi taxatores aut quatuor eorum idoneum & juſtum putarent, modò non excederent vigeſimam partem poſſeſſionum.*

Infinita exempla hujus generis produci poſſent, quod minus eſt neceſſarium, quia quicunque voluerit legere eorum Declarationes & conſtitutiones, *non poterit invenire, unam proteſtationem aut profeſſionem ab ipſis factam* Deo omnipotenti *in ſubjecto Religionis, aut* Regi *in puncto obſequii & obedientiæ, ut unam promiſſionem* populo *in ſubjecto libertatis, legis & Iuſtitiæ, eo uſque proſecutam ab ipſis, ut umquam condiderint unum Actum ad implendum alterutram earum.* quæ veriſſima aſſertio concludet hanc reſponſionem ad illam exprobrationem, quod ſua Majeſtas non ſervaverit Proteſtationes ſuas.

21. Proximum crimen eſt; *quod ſua Majeſtas proclamaverit eos proditores & Rebelles, erecto Standardo ſuo contra Parlamentum, quod numquam ullus Rex Angliæ* (ut ajunt) *fecit ante Ipſum.* Sua Majeſtas numquam proclamavit aut potuit proclamare hoc Parlamentum *Proditores*, noverat quippe (præterquam quod Ipſe ſit ejus caput) quod quatuor partes quinque partium Domus Parium numquam præſentes fuiſſent, cum hæ proditoriæ concluſiones factæ fuêre, & quod longè maxima pars Domus Communium ſemper abſens fuerit, & quod eorum qui præſentes fuêre plurimi ſemper ſe oppoſuerint aut diſſenſerint ab omni illegali actu, & propterea

pterea abſurdum fuiſſet, ſi omnes hi innocentes è quibus Parlamentum conſtabat unà cum reliquis proclamarentur Rebelles & proditores ob actitata à paucis ſeditioſis, qui ſemper fuêre nominati: & ſi Parlamentum umquam proclamatum fuerit reum Majeſtatis, id tantum factum per eos, qui præſumtuoſè tegebant proditorias ſuas actiones ſub venerabili illo nomine, & qui declarabant; *quod quæcunque violentia adhibita fuerit adverſus eos qui exercebant militiam, aut contra* Hullam, *ſe aliter credere non poſſe quàm factum contra Parlamentum.* Nominâſſent unum aliquem proclamatum Rebellem aut Proditorem à Rege, qui non judicetur talis ſecundùm Leges.

Rex non proclamavit *Hothamum* proditorem (licet forte antè reus fuerit multarum proditoriarum actionum) antequàm occluderet portas *Hullæ* contra Ipſum, & per armatos arcuiſſet ſuam Majeſtatem inde, & præter concurrentia teſtimonia omnium judiciorum Legis, apparet & determinatum eſt à ſummo Iuſticiario Cokio (in libro publicato per Domum Communium initio hujus Parlamenti) in Cap. de Crimine læſæ Majeſtatis; *ſi quis copiis & armis, offenſivis & defenſivis, tenuerit & defenderit Caſtellum aut Munimentum contra Regem & Illius copias, eſſe motionem belli contra Regem, intra Statutum* XXV *Eduardi* III.

Rex non proclamavit hos Rebelles aut Proditores, qui votârunt, ſe coacturos exercitum, & quod Comes *Eſſexiæ* eſſet Generalis illius exercitus (quidcunque tandem feciſſet, neque ipſum Comitem *Eſſexiæ* proditorem ob hæc vota, donec ſuſcepiſſet illum titulum & præfecturam *Capitanei Generalis*, & ea qualitate compareret inter milites, *animans & adhortans eos in proditoriis eorum & rebellibus machinationibus*, ut apparet ex ſuæ Majeſtatis proclamatione IX Auguſti 1642. per quam primùm *Proditor* fuit proclamatus:

matus: & non erat alia via purgandi Com. *Essexiæ* à crimine proditionis per istum illius actum, intra expressa verba cap. 2. xxv Ed. III quàm declarando, *quod per movere bellum contra Dominum nostrum Regem in suo Regno* (quod in illo Statuto declaratur crimen læsæ Majestatis) *intelligatur movere bellum contra Parlamentum*: & tamen Mr. *S. Iohns* observat in suo Argumento contra Com. *Straffordiæ*, excuso per Authoritatem, nomen Regis in ullo Statuto intelligendum de naturali Regis persona. nam ea persona tantùm mori potest, habere conjugem, Filium incarcerari &c.

Dominus summus Iusticiarius Cokius in suis Commentariis super illud Statutum, dicit: *si quis moveat bellum ad expellendum peregrinos; liberandos homines è carcere, removendum consiliarios, aut contra ullum Statutum, aut ad alium finem, prætexens Reformationem, è suo capite, sine ulla Authoritate, hoc est movere bellum contra Regem, quia assumunt sibi regiam Authoritatem, quod est contra Regem:* & ne ullus scrupulus hæreat in illa expressione *sine Authoritate* idem Auctor dicit, eodem loco, & aliquot lineis præcedentibus, *quod nullus subditus potest movere bellum intra Regnum sine Authoritate à Rege. nam ad Ipsum solum pertinet.*

3 Part. Instit. fol. 9.

Id. fol. 12. *Præparatio per aliquem apertum actum ad deponendum Regem, aut capiendum, per vim & manu forti, & incarcerandum Illum, donec concesserit certa postulata, est sufficiens apertus actus ad probandum machinationem & meditationem mortis Regis; nam hoc est velle Regem facere subditum, & spoliare Illum regio suo Officio &* Id. fol. 9. *Regimine*, ut concluditur ab eodem reverendo Auctore; itemque, *quod movere ad alterandum Religionem stabilitam in Regno, aut Leges, est Proditio.*

Hi declaratores non possunt nominare unum proclamatum à Rege rebellem aut proditorem, qui è confesso non esset reus, saltem unius horum particularium: & cum

ita

ita eſſet, Rex non ampliùs fecit, quàm quod per Leges Ipſum oportebat facere: & Mr. *S. Iohns.* fatetur in ſuo Argumento contra Com. *Straffordiæ*; *quod is qui movet bellum contra Regis perſonam, neceſſario ei machinatur mortem; itemque eſſe bellum contra Regem, cum intenditur alteratio Legum aut Regiminis in aliqua parte, aut deſtructio alicujus majorum Officiariorum Regni.* fol. 7.

Quoad erectionem Standardi, id non antè factum, quàm hi, qui fovebant internum odium & malignitatem adverſus ſuæ Majeſtatis perſonam & Regimen, adunâſſent Exercitum, & jam proditoriè & rebelliter moverent contra ſuam Majeſtatem ſuum ſupremum Dominum, ut apparet è ſuæ Majeſtatis proclamatione XII Aug. 1642. in qua declaravit propoſitum erigendi regium ſuum Standardum; & poſtquam exercitu obſediſſent Regis antiquum præſidium *Portſmuthæ*, (in quo Regis Gubernator erat) & poſtulâſſent dedi Parlamento; & poſtquam miſiſſent exercitum equitum peditumque ſub ductu Com. *Bedfordiæ* in occidentem ad capiendum Marchionem *Hertfordiæ*, qui ibi pacificè agebat ſine ullis copiis, donec compelleretur illas adunare ad ſui defenſionem, & conſervandum pacem illorum Comitatuum, qui ab exercitu invadebantur; & cum ſua Majeſtas cogeretur ob has cauſas erigere ſuum Standardum quo affectu erga utramque Domum Parlamenti illud fecerit, haud melius intelligi poteſt, quàm ex Ipſius verbis, in Declaratione publicata eodem die quo proclamatio illa exiit, quæ hæc ſunt: *Quæ noſtra opinio & reſolutio ſit de Parlamentis, plenè in noſtris Declarationibus expreſſimus; diximus & porrò dicemus, tam eſſentialis pars ſunt conſtitutionis hujus Regni*, ut *nullam felicitatem aſſequi poſſimus ſine illis, neque quicquam umquam contra ea attentare meditabimur: Novimus Nos & ambas Domus conſtituere*

Parlamentum, & nos esse instar Geminorum Hippocratis, *unà nobis ridendum & flendum, vivendum & moriendum; ita ut nemo possit esse amicus uni & inimicus alteri: Injustitia, injuria & violentia Parlamentis oblata, est de qua potissimum querimur: & denuò asserimus omnibus nostris dilectis subditis, coram omnipotente Deo, omnia Acta à Nobis perlata in hoc Parlamento, à nobis æqualiter observatum iri, quemadmodum desideramus ea observari quæ jura nostra concernunt: Non est nobis lis cum Parlamento, sed cum particularibus hominibus, qui vulnera inflixêre, & nolunt ea sanari, sed faciunt ea profundiora & latiora tentando, foventes dissidia & suspiciones inter corpus & caput, Nos & ambas Domos, quos nominamus, & parati sumus probare esse reos criminis læsæ Majestatis,* & tunc nominat Rex illas personas.

Hæc erat Regis opinio de Parlamento, & ita se gessit erga illud; longè aliter quam ij qui possident supremam potestatem; nimirum Exercitus qui in sua Remonstrantia XXIII Iunij nuper elapsi, utuntur his verbis: *Compellimur in hoc casu (cum summo animi dolore) tam planè edisserere præsens malum & calamitatem, simul cum pejoribus consequentiis rerum nuper actarum, in ipso adeò Parlamento, quæ nimis visibilia omnibus; atque ita sine fuco ea exponere ante Parlamenti fores, donec Parlamento placuerit sive per se cognitionem capere & domum liberare ab iis, qui aliquo modo falso suggesserunt, deluserunt, aut alio modo imposuêre Parlamento ad scisendum res tam turpes; aut nobis & aliis viam aperient, quo pacto possimus, &c.*

* Quæ hîc non fuissent relata, si tantum extravagans actus & verba Exercitus essent, sed postea justificata sunt & facta verba utriusque Domus in postrema sua Declarat. IV Mart. in responso ad scripta Commissariorum Scotiæ; *si quædam insana principia quoad Religionem aut Statum sint in quibusdam Exercitus, quemadmodum in tali corpore solent esse extravagantes humores, injuriâ imputantur toti Exercitui, cujus gubernans*

P. 88.

pars

pars laboravit ſupprimere & coërcere ejuſmodi peccantes humores, & oſtenderunt ſe hactenus conſtantes & fideles erga verum bonum utriuſque Regni, & cauſam quam ſuſceperunt, & perſonas qui ſe ad idem obligârunt. nam cùm Remonſtrantia illa, ſit actus Generalis, Vice-generalis & Concilii bellici (quæ ſine dubio gubernans pars) per hanc declarationem manifeſtè oſtenditur eſſe illum ſenſum utriuſque Domus.

22. Erectio ludicri Parlamenti *Oxonii*, ad opponendum & proteſtandum contra Parlamentum *Angliæ*, quod ſua Majeſtas & ambæ Domus continuaverant per Actum Parlamenti; proximo loco Regi objicitur.

Neque reale neque ludicrum Parlamentum erectum *Oxonii*, ſed cum Rex deprehenderet pleraque Membra utriusque Domus abacta eſſe *Weſtmonaſterio* per violentiam, ut & ſua Majeſtas, & tamen authoritas & dignitas Parlamenti uſurparetur ad juſtificationem omnium rebellium actuum commiſſorum, adeoque in invitatione exterarum copiarum in Regnum; tam ad ſatisfactionem populi ſui, ut intelligere poſſent quàm multa vera membra Parlamenti abhorrerent ab actionibus prætenſæ illius Authoritatis; quam ſui ipſius informationem, ſua Majeſtas per Proclamationem 22 Decemb. 1643. invitavit omnia Membra utriusque Domus, quæ erant abacta aut (aut inopia Libertatis) ſubduxerant ſe *Weſtmonaſterio*, adunare ſe *Oxonii* XII. Ianuar. ſequentis, cum (diceret) *omnes ſuos fideles ſubditos cognituros, quàm paratus eſſet recipere conſilia de Religione, Legibus, & incolumitate Regni, ab iis quos ipſi deputaverant, licet non poſſet recipere in loco quem deſignârat:* Ad quam vocationem & invitationem ſuæ Majeſtatis, octo & quadraginta Domini apparuerunt ſuæ Majeſtati, cum ad minimum viginti adhibiti eſſent in Ipſius Exercitibus, & diverſis Comitatibus, de quorum præſentia diſpenſatum, & præterea novem in partibus ultra-

tramarinis, veniâ ſuæ Majeſtatis: & è Domo Communium ſupra centum quadraginta, & pene triginta abſentes in Exercitibus, qui *Oxonii* convenienter adeſſe non poterant.

Cum ſua Majeſtas deprehenderet tam multos præſentes, & tanto ſuperiores numero, quàm dignitate, quàm *Weſtmonaſterii*, ſperabat bonum medium fore ad componendum mentes aliorum ad debitam conſiderationem calamitatis, in quam patriam ſuam conjecerant; & retulit ad eos ut proponerent aliquod conſilium quod tam ſalutarem effectum produceret; quæ tunc & poſtea conſulta & acta fuerint à Rege ad ineundum aliquem Tractatum Pacis, & quo contemtu & opprobrio fuerint rejecta, nimis longum foret hîc inſerere, & Orbi notiſſimum eſt; ſed hæc hoc corpus Dominorum & Communium publicârunt Declarationem ad Regnum, latè exponentem particulares actus violentiæ, per quos abacti erant *Weſtmonaſterio*, per quos Libertas Parlamenti erat ablata, & porrò declarabant quantopere deteſtarentur inobedientes & rebelles actus, qui fovebantur ab iis qui ibi ſubſtiterant, & manifeſtârunt ſuam ſubmiſſionem & fidelitatem erga ſuam Majeſtatem; & in fine concludunt; *Quod, quemadmodum nunquam alterutra aut utraque Domus Parlamenti poteſt per aliqua ſtatuta aut ſcita aliquid imponere Populo ſine aſſenſu Regis, ita ob defectum libertatis & ſecuritatis pro omnibus Membris Parlamenti conveniendi* Weſtmonaſterii *& ibidem ſedendi, votandi & loquendi liberè & ſecurè, omnes actiones, Vota, ſcita & Declarationes factas ab illis Membris quæ* Weſtmonaſterii *perſiſtunt, eſſe vana & nullius efficaciæ: tamen ſe longè abeſſe*, inquiebant, *à diſſolutione Parlamenti, aut violatione alicujus Acti facti & confirmati à ſua Majeſtate, ſed dolere ſe nomine Regni, quod ſiquidem Parlamentum non eſſet diſſolutum, potentia ejus per proditionem & violentiam horum hominum eo uſque ſuſpenderetur,*

quod

quod Regnum careret fructu & beneficio Parlamenti, quod reduci non posſit ad aliquam actionem aut authoritatem, donec libertas debita membris eſſet reſtituta & admiſſa: quæ Declaratio non ſolùm nullum accepit Reſponſum, ſed ſumma curâ non fuit tolerata excudi in poſtrema collectione Scitorum & Declarationum, in qua reliqui proceſſus *Oxonii* illo tempore ſunt proditi, ut populus careret ea evidentiâ contra eos, cui reſponderi & quæ eludi non poteſt.

Hæc erat illa Congregatio, quam hi Declaratores appellant *ludicrum Parlamentum Oxonienſe*, & hæ illius actiones; de cujus juſtitia & regularitate, ſi ante dubitari potuerit, id nuper ſufficienter vindicatum fuit ab utraque Domo: nam ſi hi Domini & Communes *Oxonii* non potuerunt jure abeſſe *Weſtmonaſterio*, ubi incolumitas & libertas jis erat ablata; quo jure aut authoritate minor numerus ſuperiore *Iulio* ſe ſubducere potuit ſub eodem prætextu? & ſi illud corpus Dominorum & Communium quod regulariter convenit *Oxonii* authoritate ſuæ Majeſtatis, qui primùm vocaverat illos *Weſtmonaſterium* non poterat declarare Acta facta ab iis qui *Weſtmonaſterii* ſubſtiterant vana & inefficacia, quia non licebat ipſis intereſſe & liberè ſententiam dicere; quâ demum imaginabili authoritate potuit Orator Domus Communium (qui non habet majorem libertatem & poteſtatem faciendi talem declarationem, quàm quodvis Membrum Domus) declarare, *quod hæc aut illa Vota facta in Domo erant inania & nulla? & quod omiſſio circumſtantiæ, aut alicujus formalitatis in procraſtinatione domorum, poterat afferre præjudicium futuris conventibus & actionibus Parlamenti, cum denuò conveniſſet & ſederet ut liberum Parlamentum*, ut fecit per ſuam ſingularem declarationem menſe Iulio ſuperiore: ad quæ, potentiſſima illa anarchia Exercitus, liberè declaravit; *quod omnia ea membra utriuſque Domus Parlamenti, quæ jam*

erant in Exercitu ad ſecuritatem ſuarum perſonarum, & cogebantur Weſtmonaſterio *abeſſe, ducerent & æſtimarent, ut perſonas in quibus publica fides Regni perſeveraret, licet eo tempore ſedere ut Parlamentum cum libertate & incolumitate* Weſtmonaſterii *non poſſent, & quorum conſiliis cupiebant regere ſe ipſos in gravibus hiſce negotiis; atque ad eum finem hortabantur eos confugere ad Exercitum:* & dicebant, *ſe ducere obligatos ad probandum honorabilem illam actionem Oratoris Domus Communium, qui actualiter ſe ſubduxerat, & promittebant ſe ſummam & celerem operam daturos, ut ille & reliqua Membra utriusque Domus, quæ tum aliquomodo abacta erant* Weſtmonaſterio, *liberè & ſecurè ibi ſedeant, & officium faciant, ut liberum & legale Parlamentum: & interea declarabant contra novam illam electionem Oratoris per aliquot Generoſos* Weſtmonaſterii, *ut contrariam juri, rationi, Legi & Conſuetudini; & profitebantur ſe planè perſuaſos in ſuo judicio, & credere quod Regnum ipſis aſſentiretur; quod tunc rebus ſic ſtantibus non erat liberum & legale Parlamentum ſedens, ſed per prædictam violentiam ſuſpenſum: & quòd vota, ſcita & reſolutiones à Domibus extortæ die Lunæ* XXVI *Iulii præcedentis, ut & illa quæ conderentur in illo conventu paucorum Dominorum & Generoſorum* Weſtmonaſterii, *ſub quocunque demum prætextu, erant inania & nulla, & quibus liberi ſubditi Angliæ ſe non debeant ſubmittere.*

Non negatur, præſentationem illam humilium deſideriorum juniorum & apprenticiorum Civitatis Londinenſis ad utramque Domum XXV Iul. quibus compellebant eos deſtruere & abrogare duo Acta utriusque Domus ſcita antè triduum, deſtruere privilegium & libertatem Parlamenti; & extra controverſiam Oratores & Membra utriusque Domus juſtam cauſam habuiſſe ſe ſubducendi ob illam violationem; ſed affirmatur, libertatem Parlamenti non minùs obſtructam fuiſſe per diverſas alias actiones præcedentes,

dentes, quam xxvi Iulii; & quod Membra utriusque Domus, quæ aderant ſuæ Majeſtati *Oxonii*, haud minores cauſas habuêre ſe ſubducendi, & ſaltem tantum Authoritatis declarandi defectum libertatis quantum Orator & reliqui tum habebant, aut exercitus, pro iis declarandi.

Cum tumultus excitatus per *Mamvaringum* & *Venium compelleret Domum Parium ad ſciſcendum Actum damnationis contra* Com. *Straffordiæ*, cui quinta pars Parium numquam conſenſit (reliquis inde fugatis) & poſtea tam abſolutè cogeret ſuam Majeſtatem ad ſignandum, ut Illius Actum appellari non poſſit, manu Illius directa ab iis qui pugiones pectori Illius intentabant, & regium nomen affigebant: & Ipſi diceretur ad menſam Concilii, ab iis qui jurarânt Ipſum defendere contra talem violentiam, niſi fieret illo momento non ſupereſſe incolumitatem Ipſi regali ejus conſorti & Progeniei, fæce plebis tunc obſidente Illius Palatium: Libertas Parlamenti haud minus fuit violata quàm xxvi Iul. ſuperioris.

Cum idem Cap. *Venius*, tum Membrum Domus Communium (menſe Novemb. & Decemb. 1642) mitteret notas ſub ſua manu ad Civitatem; *ut plebs deſcenderet* Weſtmonaſterium, *quia veriſimile erat meliorem partem Domus ſubjugatum iri à pejore parte; ad quæ eo tempore & aliquot diebus poſtea multitudines infimæ plebis, cum armis non congruentibus ipſarum conditioni aut conſuetudini, ad modum contrarium & deſtruſtructivum privilegiorum Parlamenti, implêrunt vias inter utramque Domum, injurias offerentes & verbis & factis, & violentas manus inferentes diverſis Membris, proclamantes nomina diverſorum Parium, ut improbi & putridi cordis Dominorum; vociferantes multis horis contra Leges ſtabilitas, maximè tumultuoſâ & minaci viâ; & cum de his actionibus conqueſtum eſſet apud Domum Communium, & teſtes oblati qui Cap: Venium reum illius ſeditio-*

nis

nis peragerent: & quidam qui aggreſſus erat & probaverat Membro Domus Communium, & tunc cum petitione adſtabat, oſtenderetur, & de eo querela inſtitueretur; tamen in neutro horum caſuum, juſticia, ne quidem examinatio potuit obtineri: & cum his actionibus tantopere faveretur à particularibus Membris, quod, cum Domus Parium de his quereretur ut derogantibus tam libertati quàm dignitati Parlamenti; M^r. Pimmius *diceret, Deus prohibeat, ut animos demamus amicis noſtris, qui accurrerunt ad ſuppetias nobis ferendas:* haud dubiè, libertas & incolumitas Parlamenti in non minori diſcrimine verſabatur & violabatur quàm 26 Iul.

Cum menſe Ianuar. 1642. (poſtquam prima Propoſitio de *Militia* ad Domum Parium eſſet allata & rejecta) Petitio illata Domui Parium, tumultuoſum in modum, nomine incolarum *Hertfordiæ provinciæ, poſtulans libertatem proteſtandi, contra omnes eos ut inimicos Publici, qui detrectabant ſe conjungere cum Honorabilibus Dominis, quorum ſtudia ſerviebant bono publico, & cum Domo Communium ad ſalutem Regni procurandum ſub præfectura ejusmodi perſonarum, quas Parlamentum deſignaret*; Cum aliæ petitiones ejus naturæ, & eodem modo oblatæ, præſentarentur illi Domui, concludentes, *quod in obſequio obligatæ forent defendere eorum Dominationes, in quantum ſe unirent Domui Communium, in juſtis & piis eorum actionibus:* cum eodem tempore Civis quidam pluribus aliis comitatus diceret ad ſeptum Domus Communium ſine reprehenſione, audiviſſe ſe eſſe Dominos, qui detrectarent aſſentiri & concurrere illis, & quod lubenter vellent ſcire eorum Nomina.

Cum inſignis illa Petitio multorum millium inopum è plebe offerretur Domui Communium, *quæ mentionem faciebat Malignantis factionis, quæ faceret abortire omnes illorum bonas motiones, & profitebatur niſi aliquod ſubitum remedium adhibe-*

removendum tales obſtructiones quales impediebant felicem progreſſum ſtudiorum ipſum, Petitores nollent quieſcere, ſed cogerentur proximum remedium arripere, quod erat ad manum, removendo turbatores Pacis: Et cum monſtroſa illa Petitio deferretur ad Domum Parium, ab eminenti Membro Communium, ut argumentum ad concurrendum cum Communibus in ſubjecto de *Militia*; & illud Membrum peteret, ſi Domo Communium non aſſentiretur in eo puncto, illi Domini qui parati erant concurrere, *aliquo modo ſe notos facerent, ut intelligi, poſſet, qui contrarii eſſent, & ipſi poſſent id notum facere iis qui ipſos miſerant:* ad quam petitionem tam abſurdè concinnatam & ſecundatam, multi Domini ſubduxerunt ſe, vitæ ſuæ timentes, atque ita ſcitum de Militia bis jam ante rejectum, aſſenſum meruit: Libertas Parlamenti tam abſolutè violata fuit, quàm ſuperiore XXVI Iulii. fol. 7.

Menſe Auguſto 1643. Domus Communium conſenſit, poſt longum & ſolemnem diſceptationem conjungere ſe Dominis in mittendo Propoſitiones Pacis ad Regem; proximo die impreſſæ chartæ ſparſæ in plateis & affixæ publicis locis Civitatis & ſuburbiorum, *requirentes omnes bene affectos inſurgere inſtar unius hominis, & venire ad Domum Communium proximo mane, nam* 20000 *rebellium Hibernorum in terram eſſe expoſitos:* quæ eodem modo è pulpitis detonata à ſeditioſis prædicatoribus; & in quibusdam harum Chartarum ſubſcriptum erat, *malignantem partem ſuperâſſe meliorem, & niſi prævorteretur, pacem fore:* Commune Concilium vocatum illâ veſperâ, licet dies eſſet Dominicus, & petitio formata contra Pacem, quæ proximo mane delata eſt ad Domum, favente Aldermanno *Pennightone* (*Majore tum Londini*) qui eo die venit ad Domum Communium, comitatus magna caterva tenuiorum perſonarum, quæ utebantur minis & exprobrationibus in Membra utriusque Do-

mus. Petitio eorum faciebat mentionem *Propoſitionum ſcitarum à Dominis de Pace, quæ (ſi probarentur deſtructuræ) eſſent Religionem, Leges, & Libertates, & propterea petebant conſtitutionem congruentem Acto communis Ipſorum Concilii nocte præcedente:* Gratiæ actæ à Communibus interea dum Domini quererentur de tumultibus & poſcerent concurſum ad impediendum, & prævortendum ſimiles, multis è plebe dicentibus Membris utriuſque Domus, *niſi bonum reſponſum acciperent, fore ut proximo die duplo numero venirent*: ob has minas & violentiam Propoſitiones antè receptæ fuerunt rejectæ, & omnis cogitatio de pace abdicata: & tunc ſanè libertas Parlamenti tantumdem ablata quàm xxvi Iulii proximè elapſi.

Breviter, cum Membra utriuſque Domus compellerentur ad ſumendam Proteſtationem, *vivendi & moriendi cum Com. Eſſexiæ*, & quædam incarcerata & expulſa fuêre, quia detrectabant; cum cogerentur ſumere ſacrum illud Votum & Fœdus 6 Iun. 1643. per quod jurabant, *quod vellent omnibus ſuis viribus adſiſtere copiis delectis & continuatis ab utraque Domo Parlamenti contra copias adunatas à Rege*; cum compellerentur ſumere poſtremam ſolemnem Ligam & Fœdus, illud *Iuramentum Corban*, per quod ſe rentur abſolutos ab omni obligatione divina & humana, ut prædeceſſores eorum (Iudæi) putabant ſe liberos per id (licet ſe obligâſſent) non adjuvare aut ſublevare ſuos Parentes: & poſtremò, cum exercitus moveret Londinum initio ſuperioris Auguſti, in favorem Oratoris & eorum Membrorum, quæ ad ipſos fugerant, & reducerent illa in Domos, & expellerent aliquot, & quædam Membra contrariæ factionis in carceres compingerent: Libertas & Immunitas Parlamenti non minus violata fuit & invaſa quàm ſuperiori 26. *Iul.*

Ob has cauſas & defectum Libertatis, hi Domini & Com-

Communes, qui attendebant ſuæ Majeſtati *Oxonii*, ſe ſubduxerant *Weſtmonaſterio*, & potuiſſent tunc tam verè & magis regulariter dicere, quàm Exercitus poſtea dixit cum approbatione & gratiarum actione XXII Iun. proximè elapſi, *Quod libertas hujus Parlamenti non ſit melior, quàm eorum Membra, in quæ ſecundum conſcientiam ſuam ſtudent prævortere bellum, & contrariam viam ineunt quam ipſi; qui (ad ſui conſervationem) id intendunt, opus eſt id facere cum diſcrimine vitarum ſuarum.*

Quod cùm bonum fuerit argumentum pro iis qui nuper moverunt ad *S. Albanum*, aut *Hounſlou-hoath*, non poteſt minus juſtum videri pro aliis qui tendunt *Oxonium*.

Siquidem hæc objectio, vocâſſe Membra Parlamenti *Oxonium* non ſit ſatis validum pro inimicis Ipſius, contra ſuam Majeſtatem; ſtudent eorum ibidem acceptionem reprehenſibilem facere apud Ipſius Amicos, & vellent iis perſuadere ipſis illuſum in illa expreſſione Regis in literis ad Reginam, ubi eos appellat *mixti generis Parlamentum*, ex quo inferunt; quodnam præmium Ipſius pars debeat exſpectare, poſtquam naufragârunt fidem ſuam Ipſius voluntati & tyrannidi?

Sanè, *qui naufragant fidem ſuam & conſcientiam*, non eſt quod exſpectent præmium à Rege, verùm hi Domini & Generoſi qui attenderunt ſuæ Majeſtati in illa conventione, optimè nôrunt, quod numquam ullus Rex admiſerit conſilium à ſuo Parlamento cum majori gratia & candore, quàm ſua Majeſtas ab Ipſis; & ipſorum conſcientiæ nimis probæ ſunt, quàm ut opinentur ſe tangi in illa expreſſione, etiamſi Rex ipſe non manifeſtâſſet de qua parte intelligendum eſſet; præterea notiſſimum eſt, quoſdam qui ibi comparuerunt cum magna profeſſione fidelitatis, tantum fuiſſe exploratores, qui paulò poſt Illum deſeruerint, ut

Ioannes Pricius eq. & alii in Wallia; & quidem poſtea allegârunt in Domo Communium aut coram Commiſſariis, ad defenſionem ſui contra accuſationem quod *Oxonii* fuiſſent in illo Conventu, Quod majus ſervitium ibi præſtiterint Parlamento, quàm *potuiſſent præſtare Weſtmonaſterii*; ita ut Rex graves habuerit cauſas opinandi multos ibidem fuiſſe mixti generis.

23. Vltimum crimen eſt, *Pacificatio in Hibernia*; & poſt illa *Pax:* & quod Commiſſionem conceſſerit transfretandi *decem millia Hibernorum ad ſubjugandum Parlamentum & rebellem Civitatem Londinum*; & *conditiones illius Pacis.*

Vociferationi illi contra Ceſſationem in *Hibernia* tam plenè & planè reſponſum fuit à Regis Commiſſariis in Tractatu *Vxbrigiæ*, ut nullus ſcrupulus remanere poſſit ei, qui attentè legerit tranſacta in illo tractatu: planè liquet, Regem non potuiſſe induci ad illam Ceſſationem, antequam pateret Proteſtantes Illius ſubditos in illo Regno aliter ſervari non poſſe: Domini Iuſticiarii & concilium illius Regni ſignificârunt oratori Domus Communium per Epiſtolam ſuam 4 April. (quod fuit ſupra ſex menſes ante Ceſſationem) *Quod ſuæ Majeſtatis exercitus & boni ſubditi ibi, erant in diſcrimine pereundi ob defectum neceſſariarum ſuppetiarum ex* Anglia, *& quod Ipſius Majeſtatis copiæ neceſſariò hac illac, diſperſæ erant, ut experirentur quo pacto ſe poſſent ſuſtentare in agris & vitam tueri donec ſuppetiæ advenirent, ſed ſi illud conſilium falleret, ſpes ſuas verſum ire in honorem, videndo miſerias officiariorum & militum ob omnium rerum defectum; & quidem inſupportabiles ob inopiam ciborum; diverſoſque officiarios declarantes ſe exiguam ſpem habere ſuppetiarum à Parlamento, magnâ importunitate urgere ut ipſis liceret Regno excedere, difficileque fore eos retinere:* & in alia parte illius Epiſtolæ exprimebant, *quod in eo eſſent ut expellerent omnes extraneos, & cogerentur dimitte-*

re

re in Angliam *millia miſerorum exſpoliatorum Anglorum, quorum cibatio tunc inſupportabilis erat illi loco; quod ipſorum confuſiones non eſſent permiſſuræ ut plures literas ſcriberent, ſi ullas, (nam ſcripſerant plures alias ad indicandum ſuas neceſſitates) & ne Sua Majeſtas & Anglica Natio, inevitabiliter & irrevocabiliter pateretur, petebant, ut (licet ferè nimis ſerum eſſet) ſuppetiæ commeatuum & apparatuum bellicorum quàm ocyſſimè ſubmitterentur, ad vitam ſuſtentandam, donec reliqua ſequerentur; quia nulla victualia ſupererant, neque ſupra* 100 *vaſcula pulveris nitrarii (exigua proportio ad tuendum Regnum) cum præſidiariis extra urbem fuiſſet proſpectum & illæ reliquiæ ſecundum ordinarios uſus, & extraordinaria accidentia non eſſent ſuffecturæ uni menſi.* Et in illa Epiſtola mittebant ſchedulam ſignatam à diverſis officiariis Exercitus, ipſis oblatam, cum parati eſſent obſignare illam Epiſtolam, per quam apprehendebant imminens diſcrimen: quæ memorabat, *quod ad eam inopiam eſſent redacti, ut parati eſſent ſpoliare alii alios, ſiquidem inopiæ ipſos deſperatos redderent; niſi domini Iuſticiarii & Concilium ibidem invenirent celerrimum remedium ad ipſorum conſervationem, petebant ut ipſis liceret diſcedere; ſi id non concederetur, ad legem naturalem ipſis recurrendum fore, quæ dictat omnibus, ſeipſos conſervare.*

Vtraque Domo, quæ ſuſceperat illud Bellum proſequi, & receperat omnem pecuniam ad illum uſum, negligente ſuppetias eò mittere: Domini Iuſticiarii & Concilium per literas circa Medium Maij monuerunt Regem, *Quod non haberent victualia, veſtes aut alia neceſſaria, non pecuniam ad providendum ea quibus egebant, non arma, neque ſupra quadraginta vaſcula pulveris nitrarii, non copiam idoneorum equorum, nulla viſibilia media, terra aut mari, apta ad conſervandum illud Regnum:* Et in aliis 4 Iul. *quod Illius exercitus cogerentur ob inopiam à ſignis diſcedere aut Regnum relinquere, nihilque expectan-*

dum præter perditionem Regni, & deſtructionem Ipſius ſubditorum qui adhuc reliqui erant.

Hæc erat funeſta conditio miſeri illius Regni, cui Rex nullo modo, per ſe, opem ferre; & Ipſius commendatio & mediatio apud utramque Domum, quibus fiderat, ita contemnebatur, ut ipſorum mandato, uno tempore, centum mill. libr. demerentur pecuniis coactis pro *Hibernia*, ad ſupplementum copiarum ſub *Eſſexio*; licet conſtitutum fuiſſet per Legem, ſecundùm quam hæ pecuniæ erant collectæ, *quod nulla pars earum impenderetur ad alium finem, quàm reductionem rebellium Hiberniæ*; Sua Majeſtate per ſpecialem miſſionem conſulente & requirente ut mandatum illud retractarent, & pecunias impenderent in rectum finem, (neceſſitatibus *Hiberniæ* tum ſummo ſtudio repræſentatis ab iis qui erant in loco) non aliam ſatisfactionem aut reſponſum reddiderunt, quàm Declarationem, *quod illæ directiones ſuæ Majeſtatis ad retractandum illud mandatum, eſſent gravis infractio privilegiorum Parlamenti.*

Cum ſua Majeſtas animadverteret, nullas ſuppetias mitti, aut probabile eſſe miſſum iri, & Hoſtis quotidie corroboraretur copiis & potentiâ, retulit conſiderationem & proviſionem pro ſeipſis, ad eos, quorum ſalus periclitabatur, & qui erant proximi teſtes inopiæ, & optimi Iudices, quomodo aut tolerari poſſent, aut ſublevari; atque ita cum pleno conſilio & approbatione, Iuſtitiariorum & Concilii ibidem, concurrente opinione præcipuorum Officiariorum Exercitus, ea ceſſatio facta, per quam ſolam Proteſtantium in illo Regno, & ſuæ Majeſtatis intereſſe eo tempore poterat conſervari.

De hac Ceſſatione, ſuæ Majeſtatis ſubditi neque in eo neque in hoc Regno, meritò poſſunt queri. Examina jam pacem, quam ajunt poſtea factam, ſub tam odioſis, infamibus

bus & indignis conditionibus, ut Regem puduerit illam pro ſua agnoſcere, aut impartiri ſuo Locumtenenti Com. *Ormondiæ*, ſed privata commiſſio directa fuerit ad Dom. *Herbertum* ad illam faciendam.

Quandiu Rex habuit aliquam ſpem tolerabilis pacis in hoc, aut probabilem viam proſequendi bellum in illo, dedit commiſſionem ad pacem ibi concludendum, & liquidò apparet è relatione Tractatus *Vxbrigiæ* (contra cujus veritatem ne minimum quidem fuit objectum) Actis Commiſſariorum utriuſque partis extantibus; nullum medium fuiſſe propoſitum, (licet ſæpe deſideratum à Regis parte) ad proſequendum illud bellum, niſi ſua Majeſtas abſolutè vellet abdicare Regalem ſuam poteſtatem in illo Regno, atque ita omnes ſuos ſubditos ibidem, (Anglos & Hibernos) ponere extra ſuam protectionem, in eam urriuſque Domus Parlamenti hîc, qui eodem tempore contendebant de Supremitate in hoc, & qui majorem eo tempore poteſtatem reſignârant Scotis, quam ſibi ipſis reſervaverant: Regis itaque erat ſecundùm pietatem & politicam prudentiam, officium ſuum erga Deum & homines, ſtudere conſervationi illius Regni per pacem, quod reducere non poterat per bellum, & arceſſere inde tale corpus & numerum Suorum ſubditorum, quale Ipſum magis tremendum poſſet reddere his, qui, depoſita omni naturali obſequio & reverentia erga Ipſum, ſolummodò conſiderabant, quæ copiæ & vires, & non quod jus Illi eſſet reliquum.

Pax concluſa fuit, illis conditionibus, quæ ratione temporis juſtæ erant & honorabiles; & cum continuari non poſſet, niſi conſentiendo magis pudendis conditionibus, Marchio *Ormondiæ*, ſuæ Majeſtatis Locumtenens in illo Regno (qui ſolus habebat integram authoritatem à Rege con-

concludendi pacem, & contra quem omnis eorum invidia & malitia, ne vel minimum potuit objicere) melius ſciens Regis mentem, elegit potius non facere pacem, & fidere providentiæ ſuæ Majeſtatis Iura, quàm talibus propoſitionibus conſentire: Dom. autem *Herbertus* numquam habuit commiſſionem faciendi pacem, ſed cum Rex non haberet ullam cauſam ejus fidelitatem & promtitudinem ad ſuum ſervitium ſuſpectandi, & ejuſdem Religionis cum Hoſte, aliquid apud eos poſſet, tali teſtimonio fuit decoratus, quod illi majorem fidem faceret apud illos, perſuadendi ad rationem: ejus reſtrictio & captivitas decreta à pleno Concilio ibidem, licet appareret ejus errores proceſſiſſe ab ignorantia & imprudentia, & non à malitia, quare poſtea relaxatus fuit ab eadem poteſtate.

Innaturales concluſiones & illationes ab his hominibus factæ ex iis quæ Rex dixit aut fecit, applicando nuperas actiones ad verba prolata ſeptennium antè, non poſſunt imponere ullam notam Regis Religioni, quæ lucet in Ipſo ut in primitivis Martyribus; atque adeò Literæ captæ *Nazebyæ* (quas prudens Rebellis, aut fortis Inimicus numquam publicâſſet) futuræ ſunt omni poſteritati tam illuſtria monumenta Ipſius zeli erga Proteſtantium Religionem, in illis anguſtiis in quas conjectus fuit ab iis qui profitebantur illam Religionem, quam aliquis Princeps potuerit relinquere, aut relicta fuerint ab illo Principe poſtquam Chriſtianitas obtinuit: & ſi illa Religio proſperet minori vigore, quàm antè & Chriſtianus atque paganus orbis minus eam ſuſpiciat, quàm ante, hi Reformatores jure ſibi poſſunt attribuere gloriam illius declinationis, & triumphare de opprobriis quæ adduxerunt ſuper maximè Orthodoxam Eccleſiam, quæ floruerit ulla ætate poſt tempora Apoſtolorum.

Cri-

Crimina & opprobria in Regem, quæ jam particulariter examinavimus & diluimus, & de quibus Orbis poterit judicare aggravantur per Regis frequentes detrectationes ſuggeſtionum de Pace: quarum ſuggeſtionum veritas (licet methodi gratiâ ordo eorum Declarationis fuerit inverſus) jam diſcutienda eſt, & omne illius generis, diſperſum & diſlocatum in Declaratione, ejusdem methodi cauſa, colligetur in unum & refutabitur; & in hoc Argumento putant ſe tantum prævalere, ut eis potius Apologia facienda ſit coram Orbe, quòd toties detulerint ad Regem, quàm quod determinârint non ultra facere; id eſt, quod voluerint ſe tandiu ut ſubditos gerere, quàm determinâſſe non ampliùs tales eſſe.

Veritas eſt, numquam retulerunt ad Regem de pace; tantummodò aliquando obtulerunt recipere Illius Coronam, ſi ſua Majeſtas eam ipſis vellet tradere, ſine ulteriori pugna pro ea. nam nullæ Propoſitiones umquam ad Ipſum miſſæ alium ſenſum aut interpretationem poſſunt admittere; & cum dicant, *ſe non debere eſſe tam ingratos erga Deum, ut obliviſcantur ſe numquam coactos ad tractatum*, affirmatur, non fuiſſe ſex Membra, quæ concurrerint ad hanc Declarationem, quæ umquam conſenſerint alicui Tractatui hactenus, niſi cum compellerentur à majori parte ad aſſenſum, tam ingrati erant erga Deum ob oportunitatem reſtaurandi benedictam pacem in Patria, ut formarent tales propoſitiones, & Commiſſarios ejusmodi inſtructionibus induerent, quæ Concordiam impoſſibilem facerent.

Licet nulla Arithmetica, præterquam ipſorum propria, enumerare poſſit hæc *ſeptem tempora*, quibus obtulerint tales Propoſitiones Regi, *quæ poſſent occaſionem dari orbi judicandi, quod non ſolùm immolârint ſuas voluntates & affectus, ſed & rationem & judicium, ad obtinendam pacem & concordiam:*

tamen haud difficile fuerit breviter recolligere, quæ utrinque fuerint oblata, & ex iis melius liquebit, *an Rex numquam quid obtulerit, quod oportuerit eos accipere, aut voluerit accipere ab ipſis oblatum.*

Quæ Propoſitiones ab iis factæ fuerint ad prævortendum bellum, non eſt neceſſe commemorare, qui legerit *novemdecim* ad Ipſum miſſas Eboracum, vix poterit nominare unam quâ non ſupremam poteſtatem ſibi ab Ipſo petierint: neque nunc poſſunt illum facere minus Regem, quàm fuiſſet, ſi tunc illis conſenſiſſet.

Poſtquam Standardum ſuum erexiſſet, & ſua Majeſtas oſtendiſſet quòd nollet imbelliter ſpoliari Regali ſua poteſtate, ſine ſummo conatu defendendi illam, miſit Miſſionem à *Nottingamo* antequam ullus ſanguis eſſet effuſus, *ad poſtulandum ut idoneum numerum perſonarum deputarent, ad tractandum cum pari numero deputandorum à ſua Majeſtate, ad eum modum, & eâ diſceptandi libertate, quæ optimè poſſet tendere ad felicem concluſionem, quam omnes boni deſiderabant, nimirum Pacem Regni*, ad quam gratioſam Regis oblationem, reſponſum fuit, *quod antequam Rex abrogaret ſuas Proclamationes & Declarationes, & deponeret Standardum ſuum, ſe non poſſe reſpondere.*

Et eodem tempore publicârunt Declarationem ad Regnum; *Quòd nollent arma ponere, antequam Rex adimeret ſuam protectionem omnibus ejusmodi perſonis, quas utraque Domus votaverat* delinquentes, *aut tales votarentur; ut eorum fortunæ impendi poſſent in ſumtus à Repub. factos*; Et quos intelligerent per Delinquentes, jam antè aperuerant in ſua Declaratione ad incolas *Eboracenſis provinciæ*; *quod omnibus ſatisfieret è bonis omnium talium in ulla parte Regni, qui ſubduxerant ſe* Eboracum, *& perſiſterent ſervire Regi* &c.

Hæc erat una Applicationum, in quibus immolârant volun-

voluntates ſuas & affectus, rationem & judicium ad obtinendam pacem. Ajunt, ſe habere cauſas recordandi, *Regem nonnumquam abnuiſſe recipere humiles eorum Petitiones pro pace*; quibus mallent potius credi univerſim, quàm notare tempus & modum, quibus id factum fuit; ſed ex antecedentibus eorum ſcriptis facile eſt judicare quid innuant. Cum Rex eſſet *Salopiæ*, & Com. *Eſſexiæ*, *Worceſtriæ* ſub finem Septemb. 1642. utraque Domus miſit Petitionem ad ſuum Generalem, offerendam ſuæ Majeſtati ſecurâ quadam & honorabili via; in quâ Petitione humiliter poſcebant à ſua Majeſtate, *ut ſubduceret ſuam perſonam à ſuo Exercitu, & relinqueret eum ſupprimendum ab illis copiis quas miſerant contra eum, & quod in pace & incolumitate vellet ſine ſuis copiis reverti ad ſuum Parlamentum.* Comes *Eſſexiæ* per epiſtolam ad Com. *Dorſettiæ*, qui tunc comitabatur Regem, intimabat quod haberet Petitionem utriusque Domus exhibendam ſuæ Majeſtati & petebat Salvum Conductum pro iis, quos cum illa eſſe miſſurus: Comes *Dorſettiæ*, (ſuæ Majeſtatis mandato) reſpondit, *quod, quemadmodum numquam negâſſet recipere Petitionem ab utraque ſua Domo Parlamenti, ita jam paratus eſſet dare talem receptionem & reſponſum, quam par eſſet, & portatores ejus venturos & redituros incolumes, ſolummodo requirebat ne ulla earum perſonarum, quas ſingulatim accuſaverat criminis læſæ Majeſtatis* (*quæ eo tempore paucæ erant*) *ſub prætextu illius Petitionis mitteretur ad ſuam Majeſtatem.* Hoc reſponſum declaratum fuit eſſe ruptura privilegiorum, atque ita illa Petitio, quæ (ut Rex dicit in ſuo Reſponſo ad Declarationem 22 Octob.) *aptior erat ad offerendum poſt prælium & plenum Conqueſtum Ipſius, quàm in capite Exercitus ſui, cum videri poſſet in Ipſius eſſe poteſtate; utrum deponi vellet, nec ne*; numquam fuit oblata, & hæc eſt Petitio illa, quam nunc dicunt Ipſum aliquando negaſſe recipere.

Ajunt, *cùm petiissent ab Ipso ut designaret locum, quo Commissarii utriusque Domus illum adirent cum propositionibus Pacis, & nominâsset* Windsoriam, *promittens se ibidem mansurum donec ad Illum venirent, subitò movisse versus* Londinum, *ut pene illud interciperet, cum se ita obligâsset ad Tractatum.*

Hoc quoque pertinet ad Petitionem missam ad suam Majestatem *Colbrociæ:* & omnibus circumstantiis plenè responsum fuit à sua Majestate in sua Declaratione eâ occasione, cùm hoc primum sine ratione ipsi imponeretur; verùm est, post prælium ad *Edge-Hill*, cum diutiùs populo persuadere non possent Regis copias esse dispersas, & suum exercitum Ipsum persequi, sed contra, evidenter nôssent, Regis exercitum tendere adversus ipsos, & *Redingham* cepisse, cum Com. *Essexiæ* hæreret circa *Warwikum*, 11 Nov. resolverunt mittere ad suam Majestatem ad agendum de Pace; & ne liceat dicere illos ad hoc coactos fuisse, tamen quicunque legerit illam Petitionem quæ delata fuit ad Regem *Colbrociæ*, è stilo opinabitur, fuisse pleniores timoris, aut obsequii, quàm fuerant cùm suæ Majestatis oblationem à *Nottingamo* rejicerent, aut decem dies post illa, aut unquam postea: huic Petitioni responsum fuit à Rege summo candore, & *Windesoria* electa ad locum tractatûs, si præsidium suum inde deducerent: sed cum nuntii essent reversi, qui ne minimam quidem mentionem faciebant Cessationis, apparebat è certissimis indiciis, Com. *Essexiæ*, qui nocte præcedente suum exercitum duxerat in aut circa *Londinum*, postquam hi nuntii erant dimissi ad suam Majestatem, traxisse bonam partem suarum copiarum, & militiam Londinensem versus Regem, & misisse alias *Astonam* ab uno latere, & *Kingstonam* ab altero; & præsidio *Windesoræ* existente, si Rex *Colbrociæ* substitisset, insensibiliter fuisset cinctus indagine ab hostibus; quare subitò consilium

lium cepit promovendi *Brandfordiam*, ut compelleret eos corpus adunare, atque ita iter faciens per illud oppidum cæſâ unâ aut altera legione, quæ ſe objecerant & iis qui *Kingſtonæ* metabantur coactis diſcedere Rex conceſſit ad proprium palatium *Hamtoncourt* & fruſtra expectatis Commiſſariis ad tractandum retroceſſit *Redingam*, ubi ſubſtitit, donec animadvertit illos omnes cogitationes de Tractatu depoſuiſſe, & mitterent Ipſi novam probroſam Petitionem, *revertendi ad ſuum Parlamentum cum ſuo Regali & non Martiali comitatu.*

Ianuario proximo, importunitas Civitatis *Londinenſis*, & generalis clamor populi coëgit eos prætendere inclinationem ad pacem; itaque miſêre Propoſitiones ad Regem, quæ licet numero tantùm XIV, continebant totum ſubjectum XIX, cum additamento quorumdam Scitorum utriusque Domus, ad quæ Regalis aſſenſus poſcebatur, quorum unum erat, de exſtirpatione & eradicatione totius formæ Eccleſiaſtici regiminis; & alterum de confirmatione Conventus Theologorum quos elegerant ad concinnandum novum regimen, quod eò tutiùs iis fidi poterat, quod in toto numero (conſiſtebat autem è ſupra centum & poterat augeri prout iis libuiſſet) non erant ſupra duodecim, qui ſe non declaraverant hoſtes veteres, licet pauci eſſent qui non illi antè ſubſcripſerant; & promiſſio requiſita à ſua Majeſtate, *quod aſſentiretur, omnibus ſchedis* (Bils) *quas utraque Domus in poſterum Ipſi offerret, poſt conſultationem cum illa Congregatione.*

Quantumcunque extravagantes eſſent hæ Propoſitiones, Rex tantopere ſuppreſſit & ſubjugavit Regiam ſuam indignationem, ut illos ſuper has propoſitiones traheret ad tractatum, exſpectans (ut expreſſit in ſuo Reſponſo, cùm Tractatum proponeret) *ut eæ quæ derogabant aut de-*

ſtruebant juſtam Ipſius poteſtatem & Prærogativam, vitarentur, & alia plura quæ in iis erant obſcura, & dubia explanarentur per diſceptationem: Concludens *ſi vellent conſentire tractatui, ſimiliter darent talem poteſtatem & Authoritatem ratiocinandi iis, quibus fidebant, ut poſſent aut dare aut accipere ſatisfactionem ſecundum ea Principia pietatis, honoris & juſtitiæ, quæ utique agnoſcebant ſequenda eſſe.*

Quomodo hæc tractatio fuerit habita, quibus inſtructionibus Commiſſarii eorum fuerint adſtricti, ita ut non liceret vel minimum unguem diſcedere à Propoſitionibus de quibus agebatur, neque vel unam horam manere ultra tempus primò præfixum ipſis, licet Rex ſeriò poſtularet ut Tractatus continuaretur, donec accepiſſet Reſponſum ad ſuas Propoſitiones quas miſerat ad utramque Domum, quia Commiſſarii non habebant poteſtatem iis reſpondendi; & quo pacto Commiſſarii eodem die diſceſſerint *Oxonio*; & Com. *Eſſexiæ* cum toto exercitu moverit ad obſidendam *Redingam*, omnibus notiſſimum eſt, ut ex eo poſſint concludere, eos numquam intendiſſe illam Tractationem ad producendum pacem.

Ab altera parte, Rex ſolummodò proponebat, *ut naves ſuæ Ipſi reſtituerentur, & Arces atque Reditus, quæ omnium Confeſſione violenter Ipſi erant ablata: & quod ſua Majeſtas & Membra utriusque Domus, quæ fugata erant* Weſtmonaſterio, *aut eò poſſent reverti ſub cautione ſecuritatis in futurum à tumultibus; aut ut Parlamentum removeretur ad locum aliquem ſecurum, atque ita omnes exercitus ſtatim exauthorarentur*; Cui Regis propoſitioni numquam dignati ſunt reſpondere; & Rex poſtquam fruſtra id ab iis exſpectâſſet, & ſupplementum apparatuum bellicorum, quibus antè egere videbatur, recepiſſet, miſit alium Nuntium per M^r. *Alexandrum Hambdenum* XIX Maij, 1643. quo dicebat iis, *quod, cum conſideraret ſcenam*

nam omnium calamitatum hærere in viſceribus ſui Regni, & ſanguinem qui effundebatur eſſe Suorum ſubditorum; & *quàm demum victoriam Deo placeret largiri, futuram de iis quos non fuerat fas manus contra Ipſum extendere*; *cum animadverteret has deſperatas civiles diſſenſiones poſſe invitare externos hoſtes ad ſpoliandum totam Nationem*; *quod* Hibernia *in præſenti periculo eſſet perditionis*; *quod gravia Iudicia Dei, peſtilentia, famesque, inevitabiles comites eſſent futuri hujus innaturalis contentionis*; *& quod brevi tempore generalis habitus inhumanitatis & crudelitatis contrahendus foret, ut ne pax quidem ipſa quiret populum reſtituere priſtinæ moderationi & ſecuritati*; *ſua Majeſtas haud deſperet, licet nullum reſponſum accepiſſet ad ſuperiorem ſuam Miſſionem, ſed denuo ſeriò poſtularet ut conſiderarent quid antè obtuliſſet, quod tam egregium dederat ad finiendum has innaturales diſtractiones.*

Hæc gratioſiſſima miſſio Regis, haud melius accepta quàm ſuperior, & non tantùm illi non reſponſum, ſed & Nuntius (generoſus ſingularis dignitatis & integritatis) licet civiliter receptus à Domo Parium, ad quam miſſus erat, à Domo Communium caperetur & incarceraretur, nec umquam relaxaretur, donec finem vivendi faceret ex longo & conſumente morbo.

Hic ille Nuntius quem deſignant, quum (ut excuſent inhumanitatem & crudelitatem ſuam erga eum) ajunt, *eodem tempore qui portabat ſpecioſam Miſſionem de renovando Tractationem, inſtructus erat quomodo dirigeret ſanguinolentam lanienam* Londini, *quæ tum deſignata erat Regis mandato, poſtea publicato.*

Antequam quicquam dicatur de hac machinatione, notum eſt, illum generoſum incarceratum fuiſſe multos dies antequam mentio fieret alicujus machinationis; & Domus Parium expoſtulavit de injuria in eo ipſis facta, & fruſtra poſcebat ejus relaxationem, quod non feciſſent, ſi

alia

alia fuiſſet objectio contra illum, quàm quod veniſſet ſine licentia Generalis, quæ numquam viſa fuerat neceſſaria, donec Domus paucos dies antè declarâſſet eſſe, licet ipſi mitterent nuntios ad Regem nullâ licentiâ antè impetratâ.

Nunc quoad ipſam machinationem; ſanè ipſi publicârunt narrationem illius machinationis, quæ ſerviebat ipſorum propoſito barbarè occidendi duos honeſtiſſimos viros & perdendi multò plures; & probabile eſt eos iſtam relationem feciſſe ita plenam & planam, quàm poterant, & tamen quisquis illam legerit, non poterit rationabiliter concludere aliud in illa fuiſſe, quàm Communicationem honeſtorum virorum bonæ famæ & fortunarum & amantium pacis, quomodo poſſent reprimere illam inconditam fœcem plebis, quæ quâvis occaſione proteſtabatur contra pacem, & comparebat tanto numero quanto ipſi, & qui merebantur eundem favorem à Parlamento, quem illi alteri: hi diſcurſus produxêre diſquiſitionem generalis affectionis Civitatis, & magis particularem computationem & æſtimationem inclinationum ſingulorum, atque ita mentionem diverſarum rerum, quæ in hoc aut illo caſu factu opus forent; & hi diſcurſus per proditionem famuli manifeſtati iis, qui nôrunt componere machinationes & conſpirationes ex quibusvis Ingredientibus, junxerunt hos & Commiſſarios quosdam quos offenderant, & ita formârunt Conſpirationem quâ utebantur ut terriculamento ad fugandum quamvis licitam & publicam inclinationem ad pacem, quàm urgere eo tempore ſibi inconveniens judicabant; ſed hi diſcurſus & illa Commiſſio, nihil commune habebant, neque quisquam accuſatus fuit conſcius fuiſſe illorum diſcurſuum, cujus nomen eſſet in illa Commiſſione, aut reverà ejus conſcius, quæ multò antè nata

erat

erat, & cujus uſus erat futurus (quum eſſet non niſi legalis commiſſio Arayæ in Anglico) ſi Rege cum exercitu movente in illas partes animum addidiſſet populo apparendi pro Ipſo; nec poteſt ſobriè objici Regi quòd conceſſerit ejuſmodi Commiſſionem, cum Ipſi ad omnes occaſiones paratas haberent ſuas conſtitutiones, executioni mandandas in Regis caſtris,& nominâſſent Commiſſarios ad illum finem in omnibus Comitatibus Regni.

Sed ut procedamus in ſuggeſtionibus de pace, à fine tractationis *Oxonii* menſe Aprili 1643, numquam quicquam ſuggeſſerunt ſuæ Majeſtati de pace ante finem Novemb. 1644. quos progreſſus interea Rex fecerit ad eam, hîc commemorandum: Poſt captam *Briſtoliam*, cum ſuæ Majeſtatis vires conſpicuæ eſſent in occidente & ſeptentrione & inimicorum conditio humilis & quorumdam opinione deſperata; Rex (licet Ipſius ſuperior Nuntius adhuc in carcere eſſet, & nihil reſponſi accepiſſet) per declarationem 30 Iun. renovavit omnes profeſſiones & oblationes eis ante factas; inquiens, *vindictæ aut ſanguinis ſitim numquam ſibi imputatam vel ab iis, qui neque Ipſius regimen aut naturam reliquerant indiſcuſſam cum ſumma audacia & malitia, & propterea obſecrabat eos ut ad obſequium redirent:* quid ab Ipſo Rege & Dominis atque Communibus *Oxonii* Martio ſequente factum ſit, & quâ importunitate petierint ut tractatio inſtitueretur, per quam viæ & media inveniri poſſint ad pacem procurandam: & quàm peremtoriè & ignominiosè hi rejecerunt hoc deſiderium in ſuo Reſponſo ad Regem IX Martij: quia maximus numerus Parium Regni & maxima pars Communium tum cum Rege *Oxonii*, videbatur ab Ipſo æqualis condiitonis facta cum iis qui erant *Weſtmonaſterii*, licet ipſi poſtea officiarios Exercitus æqualis ad minimum conditionis fecerint cum ſibimet

ipsis, tractando cum iis, legi potest & non indiget repetitione.

Iulio sequenti anno 1644. postquam dissipâsset optimam partem *Wilhelmi Walleri* exercitus, & cepisset illius machinas bellicas, Rex ab *Eneshamo* aliam missionem direxit ad utramque Domum, petens, *ut adhuc Cessatio fieret, & quidam mitterentur ad Ipsum cum Propositionibus ad bonum Populi, vellet se iis assentiri:* ad quam numquam responderunt.

VIII. Septembris cum totaliter cecidisset Exercitum Com. *Essexiæ* in *Cornubia*, captis machinis, armis & impedimentis, Rex denuò ad eos misit; *quod extraordinarii successus quibus Deus Ipsi benedixerat tam eminenti modo, sibi nullum gaudium attulissent ob aliam causam, quàm ob spem quam habebat, alios ad animum revocaturos, sicut Ipse revocabat, miserias adductas & perseverantes super Regnum per hoc innaturale bellum & quod aperirent aures & disponerent mentes ad recipiendum oblationes pacis & reconciliationis, tam crebrò & seriò iis intimatas per Ipsum, & constantia atque ferventia studia, à quibus ipsi propositum erat numquam desistere*, atque ita, conjurabat eos ut attenderent ad superiorem Ipsius missionem, eique responderent: ad hanc itidem missionem, numquam responderunt: atque hæ fuêre suæ Majestatis oblationes, quas ajunt numquam fuisse receptibiles: pergemus jam ad eas quas ipsi idoneas judicârunt Ipsi offerre, & quas accusant Regem non recepisse.

XXIII. Novemb. 1644. Commissarii ab utrâque Domo attulêre Propositiones ad Regem, de quibus, ajunt, convenerat inter Parlamenta utriusque Regni, non solùm ut justis, sed & necessariis ipsi essentiæ horum Regnorum ad stabilem pacem & incolumitatem: quæ requirebant suam Majestatem resignare totam suam Regalem potestatem in tribus Suis Regnis, iis qui mittebant has Propositiones;

tiones; ſumere eorum Fœdus, & aliis injungere ut ſumerent; & immolare ſuam partem (quæ Ipſi ſervierat honeſtè & fideliter) furori & appetitui eorum, qui abjecerant ſuum Obſequium erga Ipſum, & ſibi Ipſi nudum nomen Regis relinquere.

Quomodo viginti illi dies poſtea *Vxbrigiæ* fuerint conſumti, publicatum eſt Orbi, in quo poſtrema obſervatio Commiſſariorum Regis non eſt omittenda; *Quod, poſt pene quadriennale bellum, cujus defenſio Proteſtantium Religionis, Libertatis & proprietatis Subditorum, cauſa & fundamentum erant facta, in tractatione viginti dierum, neque adeo in omnibus propoſitionibus de quibus tractaretur, nihil propoſitum fuiſſet de violatione alicujus Legis, Libertatis & proprietatis ſubditorum aut privilegiorum Parlamenti, ſed tantum de mutando regimine per Leges ſtabilito & ferendo novas Leges per quas pene omnes veteres aut abrogantur aut abrogari poſſunt; & à parte Regis nihil poſtulatum, quod non ſit ſecundum Legem, aut negatum à Regis Commiſſariis, ab eis requiſitum, ut debitum per Legem.*

Quoad *proteſtationem*, quam ajunt, inſertam (circa tempus Tractatus) *in Libro Concilii*, de quo Rex rationem reddidit Reginæ, conſtat non fuiſſe niſi Declarationem, quod cum vocaret eos *Parlamentum*, non inferri ex eo poſſe quod eos agnoverit liberum Parlamentum, quod pauci tum credebant; & ipſi poſtea ob leves cauſas confeſſi ſunt.

Allegant ut mirum teſtimonium mitis ſui & probi ingenii, *quod, poſtquam exercitus ſuæ Majeſtatis diſſipati eſſent, & Ipſe diſſimulato habitu fugerat* Oxonio *ad Scotos* Novomercatum *& inde proficiſceretur* Novocaſtrum, *obtulerint Ipſi* Novocaſtri, *& poſtea cum Scoti Ipſum dediderant Commiſſariis Parlamenti*, Hampton Curiæ; *porrò eaſdem Propoſitiones in effectu, quæ oblatæ fuerant antè, in medio Ipſius potentiæ & copiarum:* quod potius argumentum eſt, quod eas antè ita iniquas fecerant,

quam potuiſſent, ſed quod poſtea æquè erant factæ: & (conſiderando naturam horum declaratorum) non poteſt eſſe validius argumentum iniquitatis & vilitatis harum Propoſitionum, quàm quod non fecerint eas pejores; neque eſt condicio in quam jam impiè conjecerunt ſuam Majeſtatem ob illarum rejectionem, pejor, quàm fuiſſet, aut poterat eſſe (ejus perſonali libertate ſolummodò excepta) ſi illis aſſenſiſſet; & ratione una eſt multò melior, quia jam confeſſus eſt actus violentiæ & proditionis erga Ipſum, quod ſi ſemel conſenſerit eorum Propoſitionibus, (ubi occaſionem invenerint) videbuntur legitimè ea feciſſe.

Adhuc ſemel, è deſiderio concurſus ſuæ Majeſtatis, deſcenderunt ad aliam oblationem, & dicebant, quod ita moderârant dictas propoſitiones, ut ubi conſiſtere poterat cum publica incolumitate, Ipſius conſuetis ſcrupulis & objectionibus ita erat præventum, aut illi remoti; ut conſentiebant Perſonali tractatui, hac conditione ut Rex ante ſignaret quatuor Billas, quas judicabant non ſolùm juſtas & honorabiles, ſed etiam neceſſarias ad præſentem pacem & incolumitatem durante tali Tractatu; & ſi has refutet, deſperant *de aliquo bono obtinendo per has actiones cum Rege; neque ſibi fas eſſe ita injurios eſſe populo, diutius differendo ejus ſtabilimentum, aut amplius poſtulando Illius aſſenſum ad has aut alias Propoſitiones.*

Quales priores Propoſitiones & relationes ad ſuam Majeſtatem fuerint, & quàm impoſſibile Ipſi fuerit illis conſentire ſalvâ Ipſius conſcientiâ, dignitate aut incolumitate, ante apparuit; & quàm inconveniens fuiſſet Regno ſi feciſſet, Ipſimet declarârunt, faciendo tam importantes alterationes, reſpectu Anglorum in iis quæ oblatæ fuerant *Novocaſtri*, præ iis de quibus tractatum *Vxbrigiæ*;

quare

quare operæprecium fuerit excutere quatuor illas Billas, quæ erant conditiones Tractatus.

Vna harum Billarum eſt, *exuere ſuam Majeſtatem & Ipſius Poſteritatem omni poteſtate in Militiam*; & transferre hoc jus, & amplius quàm umquam fuit Coronæ, hisce hominibus, qui detinent Ipſum captivum; eſt enim in eorum poteſtate, utrum velint umquam conſentire ut ſit in aliquo altero; & *dare ipſis poteſtatem colligendi copias quas velint, & imponere talia tributa ſubditis Ipſius, qualia, & quibus modis, ius lubebit.*

Non opus eſt alio reſponſo, cur inconveniens & impoſſibile ſit Regi aſſentiri, quàm quod Commiſſarii Scotiæ dederunt utrique Domui, cum diſſenſum ſuum declararent: *Si Coronæ non habent poteſtatem in Militiam, quomodo poterunt reſiſtere hoſtibus ſuis & Regni, protegere ſubditos ſuos, & amicitiam cuſtodire cum confœderatis? omnes Reges ratione officii ſui & Iuramenti Coronationis tenentur protegere Leges & ſubditos, abſonum itaque foret Coronam in perpetuum à poteſtate id faciendi ſecludere, quod tenentur perficere per illud Iuramentum, & cujus obſequium incidit in Iuramentum Fidelitatis; & ſanè ſi Rex & Illius poſteri non habebunt poteſtatem inferendis Legibus, neque in Militia, evertitur validiſſimum fundamentum dignitatis & incolumitatis, & liquebit coram oculis orbis, ſceptrum & gladium manibus Ipſorum extorqueri.* *Reſp. Scotor. p. 20.*

Nec poteſt huic juſtæ & honorabili Aſſertioni reſponderi, aut eradi, dicendo, *quod Militia fuerit principale & immediatum fundamentum controverſiæ, ratione conſervationis Religionis, & jurium atque Libertatis Populi; & quod Scoti Commiſſarii ſæpe in eo conſenſerint iis; & quod Regnum* Scotiæ *pugnaverit pro eo cum iis, & ſuper fundamentum hoc; & quod nunc arguant contra poſſeſſionem illius, penè iisdem verbis, quibus Rex initio belli in ſuis Declarationibus.* *Decl. ad Scot. Chart. p. 68.*

Haud mirum eſt, quæ hi homines fecêre, & horrendam

confuſionem quam introduxerunt, eviciſſe multas veritates, quæ non ita omnium intellectui patebant è dictis Regis; aut quod non tam benè ſentiant de iis qui aſſerunt ipſis, *Eſſe aliam & magis naturalem viam ad pacem, & ad finiendum bellum, quàm per conventionem, nimirum Conqueſtum;* 3 artic. Conven. *quam ſentiebant de iis qui cum omni imaginabili ſolemnitate jurabant, quod vellent ſincerè, realiter & conſtanter ſatagere fortunis ſuis & vitis, mutuo conſervare & tueri Reg. Majeſtatis perſonam & Authoritatem, in conſervatione & defenſione veræ Religionis, Libertatum Regni, ut orbis teſtari poſſet cum eorum conſcientiis, de eorum fidelitate; & non cogitarent aut intenderent diminuere ſuæ Majeſtatis potentiam aut magnitudinem,* quæ obligationes poſſent perſuadere multis, propoſitum eorum aliud fuiſſe, quàm nunc appareat.

Quoad alteram poteſtatem; poſtulant indicere pecunias quas velint, & eo modo quo lubebit; univerſus Angliæ populus dicturus eſt, quod Exercitus honeſtè dixit in ſua Repræſentatione, de qua convenerat *Novomercati*, 4 & 5 Iunii contra conſtitutionem de indemnitate, *doleret nobis noſtram relevationem occaſionem eſſe eregendi plura arbitraria tribunalia, quàm jam ſunt, cum tam ampla poteſtate incarcerandi aliquem liberum Anglum, ut hæc Billa concedit, appareant ii quibus committitur, tam juſti & fideles quantum libet.* Decl. Exerc. p. 31.

Sane poſtulatur à Rege per hanc Billam, quod neque Rex poteſt dare, neque illi accipere; Rex non poteſt donare ſuum Dominium, neque ſuos ſubditos ſubjicere alteri Principi aut poteſtati, quàm illi ſub quo nati ſunt; nemo credit Regem poſſe transferre ſupremam ſuam poteſtatem Regi Franciæ aut Hiſpaniæ, aut Statibus unitarum Provinciarum: & per eandem rationem non poteſt transferre Statibus *Weſtmonaſterii.* Et doctus & ſapiens *Grotius* (qui non admittit ullo modo, ſubditos poſſe arma capere.

pere contra Principem, quovis ſpecioſo prætextu) concludit: *ſi Rex tradere Regnum aut ſubjicere moliatur, quin ei reſiſti in hoc poſſit, non dubito, aliud enim eſt imperium, aliud habendi modus, qui ne mutetur obſtare poteſt populus*; cui applicat illud Senecæ, *Etſi parendum in omnibus patri, in eo non parendum, quo efficitur ne pater ſit*; & fortè hic unicus eſt caſus, quo ſubditis licet arma defenſiva capere, ut maneant ſubditi; nam ſine dubio nullus Rex habet poteſtatem, non eſſe Regem; quia ſpoliando ſeipſum alienat jus quod ad alios pertinet, quoad protectionem.

Vtraque Domus ipſa videbatur eſſe in hac opinione, cum in ſua Declaratione XXVII Maij, 1642. diceret, *Rex per ſuam ſupremitatem non poteſt deſtruere ſuum populum, ſed protegere & tueri eum; & ſuprema Curia Parlamenti, & omnes alii ſuæ Majeſtatis Officiarii & Miniſtri, debent ſubſervire illi poteſtati & Authoritati, quam Lex conſtituit in ſua Majeſtate ad hunc finem, licet ipſe in ſua perſona id negligeret*: Ita ut Ipſorum judicio & confeſſione non ſit in Regis poteſtate dimittere illud quod poſtulant ab Illo; & valdè probabile eſt, ſi prævaluiſſent apud Ipſum ut illud faceret, illos jam dudum hoc addituros fuiſſe Illius accuſationi, ut maximam violationem fidei commiſſæ, cujus ullus Rex umquam fuerit reus.

Non poſſunt recipere quod poſſunt, licet Rex vellet largiri; in Diario Domus Communium reperient Proteſtationem inſertam ab ipſis tertio anno Regis; cum Petitio Iuris penderet, in diſceptando quædam expreſſiones erant adhibitæ, quæ capaces erant perverſæ interpretationis; *Quod neque proponebant, neque poterant nocere Regis Prærogativæ*; Et D. Summus Iuſticiarius *Cokius*, in quarta parte ſuarum Inſtitut. publicatarum eorum authoritate, initio hujus Parlamenti, dicit, *quod fuerit declaratum* XLII *ann. R. Edw.* Fol. 14.

Edw. III *à Dominis & Communibus in pleno Parlamento, quod non poſſent aſſentiri ulli rei in Parlamento, quæ tenderet ad exhæredationem Regis & Illius Coronæ, quàm juraverant:* Et Iudex *Huttonus* in ſuo Argumento contra *Ship-monii*, publicato itidem ex mandato poſt hoc Parlamentum, expreſſè confirmat; *quod poteſtatem faciendi bellum & fœdera, poteſtatem monetæ, & valorem numiſmatum* (uſurpata itidem ab his Declaratoribus) *ut multas alias Monarchicas poteſtates & prærogativas, auferre, foret contra naturalem rationem & ſint accidentia tam inſeparabilia, ut à Parlamento auferri non poſſint:* cui addi poteſt Authoritas recentioris Auctoris, quæ eſt validiſſima opinio, Mr. *Martini*, qui ait, *quod Parlamentum ipſum, ſua humili opinione; non habeat ſatis Authoritatis ad erigendum aliam Authoritatem æqualem ſuæ:* & ambitioſi, qui impiè arripiunt ſupremam poteſtatem, recordari poſſunt fatum quod excepit Statutum illud tempore R. Henr. III cui Rex *metu incarcerationis perpetuæ compulſus eſt conſentire*; & per quod cura & regimen Regni traditum fuit in manus XXIV. quàm indicibiles calamitates Regno acciderint per illud, & quod brevi tempore ſuccreverint tantæ factiones & animoſitates inter ipſos, ut major pars optaret Statutum abrogatum, & Regi reſtitutam juſtam ſuam poteſtatem: quod ii qui detrectabant miſerè perierint, & eorum familiæ fuerint deſtructæ cum ipſis, & Regnum non ſenſit pacem, felicitatem aut quietem, donec ſatisfactum eſſet Regi, & ii famam meruêre qui paratiores fuêre redire ad obſequium; ita ut credatur, ſi Rex transferret has poteſtates, licet multi honorati & opulenti infeliciter ſeducti ſint ad hanc combinationem, quod reverà ne unus quidem eorum vellet ſe ſubmittere ad ferendum partem inſupportabilis hujus oneris, aut partem capere illius adminiſtrationis, præter tales quorum nomina hactenus inaudita, & ignotos ante has diſtractiones.

pag. 25. 26

Mart. Inde: p. 27.

Si

Si Rex conſentiret alteri quatuor Billarum, ſubverteret totam ſubſtructionem regiminis, & relinqueret Seipſum, Poſteritatem & Regnum ſine ſecuritate, igne, qui jam ardet, extincto, faciendo Rebellionem, legitimatum infantem Legis; nam ſi legale & juſtum eſt quod hi homines fecêre, & rationes ob quas fecêre juſtificabiles, idem denuò fieri poterit, & præterea, Ipſi fatendum erit & declarandum omnes eos qui ipſi fideliter ſervierunt & ſecundum maximè abſtractas conſiderationes conſcientiæ & honoris, eſſe improbos & nocentes, atque ita reddere has glorioſas perſonas, quæ plenè quod debebant ſuæ Majeſtati & Patriæ, ſolverunt amittendo vitas ſuas in ſua juſta cauſa, & quarum memoriam decet florentem & pretioſam ſervare ad ſuccedentes ætates, infames, poſt obitum ipſarum, declarando quod malè fecerint; & præ irreparabili præjudicio quod ex eo accreſceret *veritati*, *innocentiæ*, *honori* & *juſtitiæ*, omnia imperia orbis eſſent vilis merces.

Neque poteſt impoſſibile hoc poſtulatum reddi æquum, dicendo; foret vile & inhoneſtum factum Domuum Parlamenti, in ea conditione in qua ſunt, tractâſſe ſub patibulo & ut prodirores, cauſa eorum non juſtificata, neque declarationibus adverſus eos ut Rebelles abrogatis magis vile eſſet & inhoneſtum foret, renunciare & Veteri & Novo Teſtamento & declarare non eſſe Dei verbum: abrogare & ſubvertere omnes Leges & Regimen hujus Regni; quæ omnia facienda ſunt, antequam cauſa eorum & modi defendendi eam poſſint juſtificari: & niſi perverſè cæci eſſent in propria utilitate, poſſent intelligere & diſcernere talem actum tam eſſe pernitioſum ipſiſmet, quàm veritati & rationi, eorum ſecuritate pendente ab eo maximè, ut provideatur, ne aliis in futurum liceat, quod ipſi fecerunt; *Decl. ad Scot. chart. p. 86.*

nec poſſunt gaudere ulla re, quàm ſuper fundationem Legis quam ſtuduerunt evertere.

Rex ſæpe obtulit Actum oblivionis, quod exſcindet omnia patibula, & delebit omnes opprobrioſos terminos, & poterit facere ipſam memoriam & mentionem Proditionis & proditorum, tam pœnalem, quàm crimina eſſe oportuerat; qui plus deſiderant, poſtulant impoſſibilia, quodque ad ipſorum deſtructionem faceret; & quicunque requirit cauſam ſuam juſtificari, non poteſt habere rationem id agendi, quàm quia intelligit id non eſſe juſtificatum.

Tertiæ Billæ ſcopus eſt, *dishonorare eos* Suæ partis, *quos honore dignos duxit*; *& abrogare ea Acta gratiæ & favoris, quæ iis indulſit*; quod eſt contra omnem rationem & juſtitiam: nam ſi Rex non habuit poteſtatem conferendi honores, non opus eſt Acto Parlamenti, ad declarandum nullitatem: ſin habuit poteſtatem, nulla eſt ratio, ob quam minus Domini ſint in quos contulit eum honorem ſuperiori anno, quàm quos creabit proximo: neque eſt Propoſitio hæc minimi imaginabilis momenti ad pacem Regni aut ſecuritatem Tractatus, licet non ſit minoris momenti ſuæ Majeſtati, quàm aliquis illuſtriſſimorum florum in Ipſius Corona.

Poſtrema Billa eſt, *dare utrique Domo poteſtatem removendi ad quem locum & quo tempore ipſis placuerit, quod per Actum continuationis nunc non poſſunt facere, ſine Regis conſenſu, licet non ſit cauſa plus attribuendi in hoc caſu Ipſi, quàm in aliis rebus*, ad quas ejus conſenſus neceſſarius eſt, & ſi revera credunt, Regalem Ipſius poteſtatem virtualiter eſſe in ipſis, tam poſſunt hoc facere ſine Ipſo, quàm reliqua fecerunt.

Rex per miſſionem ſuam x i i Aprilis 1643, potius intimabat, quàm proponebat remotionem Parlamenti ad ali-

aliquem locum 20000 à Londino, quem Domus eligerent, ut optimum remedium, quod opinari poterat, ad ſuam & eorum ſecuritatem à tumultuoſis illis congregationibus, quæ libertatem ejus interrumpebant: ad quod licet nullum reſponſum reddiderint ſuæ Majeſtati, tamen in Declaratione poſt Tractatum *Oxonii*, declararunt, *miram inconvenientiam & abſurditatem illius propoſitionis; incommoda quæ paſſuri erant ii, qui occaſionem haberent apparendi Parlamento, removendo illud tam longè à reſidentia ordinariarum curiarum Iuſticiæ, & locis ubi archiva Regni manent: quod daret tacitum aſſenſum gravi illi & periculoſæ aſperſioni terrendi Membra hujus Parlamenti, & nimium faveret aſperſioni illi quæ crimini data erat Civitati* Londini *cujus Zelum & fidelitatem ſine exemplo erga Proteſtantium Religionem; & Libertatem Regni numquam*, ajebant, *decet obliviſci, & quod certi eſſent; fidelitatem illius civitatis erga Regem, & affectiones erga Parlamentum, tales eſſe, ut æquent, ſi non excedant, alterius loci aut Civitatis in Regno*; quæ rationes, cùm tam validæ ſint nunc, quàm tunc erant, Rex ſecutus eſt ipſorum opinionem in non conſentiendo huic Billæ. Vno verbo; totus orbis haud poteſt refutare Suæ Majeſtatis reſponſum ad oblationem harum quatuor Billarum, aut juſtificare eorum actiones, *Quod cum Rex deſideret perſonalem tractatum cum iis ad ſtabiliendum pacem, illi proponunt, ipſiſſimum ſubjectum maximè eſſentialis partis illius primo concedi*, & propterera Rex prudentiſſime & magnanimiter declarat, *Quod neque deſiderium liberationis ab hac tædioſa & moleſta conditione vitæ, quam tandiu toleravit, neque apprehenſio ejus quod Ipſi poſſit accidere, mutabit illius determinationem non conſentiendi ulli Acto, antequam pax plene fuerit concluſa*; nam revera nihil eſt evidentius, quàm ſi aſſentiatur his Billis, non poterit refutare aliquid quod proponent. non enim ſibi reſervavit ullum titulum ad ali-

quam poteſtatem; cum reſignârit præcipuas ſuas Regalitates, ſumma foret imprudentia ab iis diſſentire in minoris momenti conceſſionibus; & cum omnes honeſtos viros reos fecerit, non poteſt jure negare, punitionem eorum referre ad illos, qui illam optime poterunt crimini æquare: ita ut ſubſequens tractatus non poſſet tendere ad alium finem, quàm ut abſolveret ſui ipſius deſtructionem cum Majori ſolemnitate & pompa: cum ſcopus tractatus ſit (neque alius eſſe poſſit) poſt diſceptationem ſatisfactionem accipere: *Quod poſſit legitimè concedere quod petitur, quod faciat ad Beneficium Populi, ut illud concedat, quantumcumque præjudiciale ſibi ipſi:* Et illo conceſſo, *Ipſe ſecurè gaudebit eo quod reliquum eſt, quantulamcunque ſit, & quod Illius Regnum per tales Ipſius conceſſiones plenè poſſidebit pacem & quietem,* quorum poſtremum fieri non poteſt (ſaltem habeo validas rationes ſuſpectandi non poſſe) ſine conſenſu Scotorum, qui peremtoriè proteſtantur contra has Billas & dicunt expreſſè proviſum in octavo Articulo; *Quod nulla ceſſatio aut Pacificatio aut concordia de pace qualiſcunque demum fiet ab alterutro Regno, aut Exercitibus alterutrius Regni, ſine mutuo conſilio & conſenſu utriuſque Regni, & deputatorum ipſorum, cui neque reſponſum eſt, aut refutatum, dicendo; quod nullus paulò æquior, poſſit legere illum articulum Tractatus, quin neceſſariò conſentiat, ſolummodo intelligi poſſe dum bellum eſſet, & exercitus exiſterent ab utraque parte & neceſſariò debere finem accipere, cum fine belli;* nam præterquàm quod bellum non ſit finitum, neque poſſit finiri, antequam ſit concordia (& ſi ſit, quare tantus exercitus alitur in Regno?) ob eandem rationem iſte Articulus ita fuit intellectus, ut nunc urgetur à Scotis, antequam intrarent Regnum, & ita poteſt intelligi poſtquam diſceſſerunt: & quod ipſæ Domus ita intellexerint, initio Ian. 1643 antequam Scotorum exercitus

citus intraret, apparet è Declaratione *Mr Sr Iohns* factâ eo tempore nomine utriuſque Domus (& excuſa ex mandato) ad Civitatem *Londinenſem* in *Guild-Hall*, poſt detectionem aſtutæ machinationis, (ut ajebant) dividendi & deſtruendi Parlamentum & Civitatem, ſub notione Pacis, & implicandi eos *Tractatui de Pace*, ſine conſilio & aſſenſu fratrum ſuorum *Scotorum*, *quod* (ajebat) *futurum erat contrarium poſtremis articulis, de quibus ſolemniter convenerat inter utrumque regnum, & perpetuo ignominioſum huic Nationi ob violationem publicæ fidei promiſſæ illi Nationi:* itaque cum utraque Domus mentem ſuam expoſuerit in hoc puncto, Rex Magnam habuit rationem, ſi non aliam, quod voluerit totum diſceptari coram Se, & ſingulorum rationes ponderari, & de iis conveniri, antequam conſentiat ulli parti quæ majus detrimentum poſſet afferre, quàm negatio omnium.

Neque hæc aut alia eorum extravagantia & licentioſa poſtulata melius vindicantur, per vilipendentiam præſentis Regis potentiæ, per inſolentem quæſtionem in poſtrema eorum Declaratione de Scotis commiſſariis (quæ revera non eſt niſi Paraphraſis orationis Demetrii ad Socios ſuos, *Domini, nôſtis nos per has fraudes accepiſſe opes noſtras*) quid poteſt Rex ipſis donare, quod non habeant?

Non provenit ex eorum obſequio & bona voluntate erga Ipſum, quod Ipſi ſe applicant; & ſi reveta crederent, Ipſum eis nil poſſe largiri quod non jam habeant, non Ipſum amplius compellarent, ſed probè nôrunt, ſe nihil adhuc habere, niſi amplius addat, & quod vir qui exſpoliatus eſt omnibus quæ habebat, cum remiſſionem impetravit, & condonaverit furibus & latronibus, non dederit eis amplius, quàm ante habebant, & id quod ſolum poteſt efficere eis utile quod antè habebant; intellecturi ſunt &

Iob. 20. 15. 19. 22. sentient judicium ſuper impium in *Iobo*; *Deglutivit Iura, & evomet ea rurſus, Deus ejiciet illa ex ejus ventre; quia oppreſſit & dereliquit inopem; quia violenter rapuit domum quam non ædificavit; in plenitudine opum ſuarum indigebit.* ut omnia illorum opprobria & exprobrationes, quibus triumphârunt ſuper Pſal. 109. 18. *Vnctum Domini, deſcendant in ventrem eorum ut aqua, & ſicut oleum in ipſorum oſſa*; & ut nihil poſſit eos reſtaurare & conſervare quàm Antidota, cardiaca, & Balſamum, quæ Rex ſolùm poteſt exhibere: optimè intelligunt, etiam infortunatiſſimos Reges, qui numquam fuêre in *Anglia*, non potuiſſe deſtrui ſine proprio aſſenſu, & omnem eorum potentiam & robur & ſucceſſus (licet ad tempus poſſint opprimere) numquam poſſe ſubjugare Coronam, niſi Ipſe conſentiat propriæ ruinæ: & Rex optimè novit, quod id quod jam patitur non procedat à ſuo errore, ſed à tali impotentia quæ poſſet deſtruere omnia imperia mundi, & quod in omnibus indicibilibus calamitatibus, (quas boni Ipſius ſubditi tolerant) Ipſe eſt innocens; cujus conſcientia Illum refocillavit in omnibus afflictionibus, & facit eorum inſolentiam, contemtum & Tyrannidem ſuperare, & conſtanter adhærere Regiæ ſuæ & piæ reſolutioni; verùm, ſi per aliquem infortunatum ſuum aſſenſum, res ita conſtituantur, ut tam Ipſe & poſteri ejus, quàm populus calamitatibus exponantur, Ipſi ſoli incumberet, & ſpoliaret Ipſum ea pace mentis, quâ jam gaudet & quàm æſtimat ſupra omnes conſiderationes hujus mundi, perſuaſus Deum illam Ioſ. 1. 7. requirere, & non minus ab Ipſo, quàm à ſervo ſuo *Ioſua*; *tantum eſto fortis, & benè animatus, ut facias ſecundum omnes Leges quas ſervus meus* Moſes *præcepit tibi, & non deflectas ab iis neque ad dextram, neque ad ſiniſtram, ut proſpereris quocunque vades.*

Honeſti viri & boni Chriſtiani minus movebuntur eorum

rum audaci & arroganti concluſione, quàm didicerunt à novis ſuis confœderatis Turcis; *quod Deus ipſe pro ipſis ſententiam tulerit, in ipſorum ſucceſſibus*; non diſſimili Logica quàm quâ utebatur *Dionyſius*, cum proſperâ aurâ in mari uteretur, poſtquam ſpoliâſſet Templum *Proſerpinæ*, & concludebat, *Deos immortales favere ſacrilegio.* Verum eſt, eos fuiſſe inſtrumenta gravium judiciorum Dei ſuper maximè peccantem populum, in miris ſucceſſibus; tamen ſi velint audire *Solomonem*, invenient, *Tempus eſt quo unus in alterum imperium exercet, in ſuum detrimentum*: & proſperitas numquam fuit bonum argumentum hominum pietatis, aut quod juſtè agerent: & ſi hi homines ſeriò reſpicerent Deum omnipotentem, & revolverent opera manuum Ipſius, in hac Rebellione, & poſtquam ſe Conqueſtores putârunt, tantum abeſſent ab opinando quod ſententiam ſuam pro ipſis tuliſſet, ut potius concluderent, illum permiſiſſe eos proſperari ad hunc gradum, ut Ipſius potentia & immediata manus clarius diſcerneretur & manifeſtaretur in eorum deſtructione, & cauſa ejus propria videri poſſet in miraculoſa vindicatione Ipſius.

Decl. ad Scot. p. 70

Eccl. 8. 9.

Si M^r. *Hamdenus* minus animosè ſe geſſiſſet in negotio *Militiæ*, quod accidere potuiſſet per naturalem rationem & reformationem ſui intellectus, judicium & ſententia Dei non fuiſſet ita viſibilis, quàm fuit, cum vitam amitteret in eodem campo, in quo primus præſumſerat exſequi Statutum contra Regem.

Si *Ioannnes Hothamus*, numquam negâſſet Regi introitum & portas *Hullæ* occluſiſſet contra Ipſum, quo naturale obſequium & civili prudentia eum poterat cohibere, Iudicium & ſententia Dei minus evidens fuiſſet, quàm fuit, cum poſtquam optâſſet, *ut Deus deſtrueret, ſe & poſteritatem ſuam, niſi ſe fidum Regi probaret*; eo tempore cum machinas con-

contra Illum diſpoſuiſſet: ipſe & filius ejus ſupplicio affecti fuêre ab iis, qui numquam niſi per Proditionem potuiſſent illam jurisdictionem exercere: & quod cum in ejus poteſtate eſſet, perfidè detrectaret ſervire Regi, & poſtea vitam amitteret ob conatum, quem non poterat perficere.

Qui reminiſcuntur affectatam virulentiam *Alexandri Careies* contra Regem, & eos omnes qui ei adhærebant: & quàm magnificè extulerit perjurium & perfidiam famuli, quaſi Officium feciſſet Regno, prodendo Dominum ſuum Regem; & quod hic vir poſtea perfidè à famulo ſuo fuerit proditus, & caput amiſerit judicio eorum, quorum cauſâ deliquerat in Regem; non poſſunt non credere ſententiam Dei magis viſibilem fuiſſe quàm ſi ſe continuiſſet intra limites obedientiæ, & numquam deflexiſſet à ſua fidelitate.

Vt omittam infinitas alias inſtantias, quas obſervatio ſingulis poteſt ſuggerere, ſententia Dei non fuiſſet tam viſibilis & notoria, ſi Rex cum exercitu ſuo ſuperior fuiſſet, & rebelles ſuos ſubditos ad obſequium reduxiſſet, quod naturaliter expectari poterat à cauſa & fato quod rebelles vulgò manet: quàm ut poſt totalem deſtructionem Regiarum copiarum, & omni potentia labente in eorum manus, non ſolùm verſarentur in majori perplexitate & turbis, quàm cum haberent potentem exercitum cum quo contenderent, ſed etiam majori periculo, quàm ſi ab illo exercitu fuiſſent ſuperati.

Quod Civitas Londinenſis expoſita fuerit omni ignominiæ, contemtui & periculo, per Statutum de *Militia*, per quod eorum arrogantia & ſeditio principaliter Regnum expoſuit iis calamitatibus quas toleravit; quod eædem artes & Stratagemata Petitionum, & Actorum

Com-

Communis Concilii, quibus Regi insultârunt & Illum fugârunt, adhibeantur ad ipsorum confusionem & ruinam.

Quod ea Membra, quæ fuêre principales auctores nostrarum calamitatum, severissimi & atrocissimi persecutores omnium qui ipsis non consentiebant, & maximi fautores horum tumultuum; qui fugârunt Regem & omnes qui Ipsi bene volebant, & Ipsi fidos *Westmonasterio*, persecutionem paterentur ob suas opiniones ab iis, quibus faverant; & fugarentur inde per eandem violentiam; & ut Regem odiosum reddiderant populo contra suas conscientias, exprobrando Ipsi quod faveret *Rebellioni Hiberniæ*; ita ipsi ad eundem finem accusarentur de obstructione suppetiarum *Hiberniæ*; ita ut quibusdam eorum, Historia illa *Iasonis*, (quæ licet non Canonica scriptura, canonica tamen est Historia) litteraliter possit applicari, qui occidebat Cives suos sine misericordia, non considerans quod superare suos, ipsi foret infortunatum, & postea fugiens ex oppido in oppidum impetebatur ab omnibus, odio habitus ut desertor Legum, abominabilis & publicus hostis suæ regionis & civium, pulsus fuit in Ægyptum; atque ita qui multos expulerat è sua terra, periit in peregrina terra, & qui multos abjecerat insepultos, neminem habuit qui eum lugeret, neque ullam solemnem sepulturam, aut monumentum cum suis parentibus. 2 *Mach.* 5

Quod illi qui affirmabant Regi, *si perseveraret in negando Militiam, pericula & intemperiem Regni esse, talem, ut non posset ferre longiores moras, sed nisi vellet ipsis confirmare per hos nuntios, & subito dare Regalem suum assensum superioribus eorum postulatis se coactum iri ad incolumitatem suæ Majestatis & Regnorum, disponere de Militia ex Authoritate utriusque Domus eo modo quo erat propositum, & ipsi concluserant*; Equo

Decl. Exerc. p. 67. Rebellio contra Regem nata; iidem à ſua Militia audirent: *Se certò perſuaſos eſſe, quod & Officium & fides erga Parlamentum, appellet & præcipiat, & imminens neceſſitas cogat ipſos, non facere aut admittere longiores moras, ſed inire extraordinarias vias, quas Deus oſtenſurus eſſet, ad res ad properum finem deducendas, niſi ad diem Iovis proximum receperint reſponſum & ſecuritatem pro ſe & Regno, ea conceſſum iri quibus inſiſtebant:* quod erat diverſa Acta, abrogari, & alia ante rejecta perferri; quæ omnia facta.

Dec. Exerc. p. 39. 40. Quod ipſorummet Exercitus rebellaret contra eos, ex iisdem principiis Declarationum ipſorum; *quod* (inquiunt illis) *ſemper dirigit ad æquum ſenſum omnium Legum & conſtitutionum & diſpenſat de litera ipſa, & eſt ſupra illam, cum de incolumitate & conſervatione omnium agitur; omnem Authoritatem fundamentaliter ſitam in Officio, & tantum miniſterialiter in perſonis; & non reſiſti Magiſtratui, cum quis juſtis principiis Legis Naturæ & Gentium adhæret:* quæ fuêre ipſiſſima principia è quibus hauſerunt & juſtificârunt ſuam Rebellionem contra Regem.

Denique, quod hæc ipſa Declaratio, quâ ſperabant mentes & affectus populi tanto præjudicio imbuendos contra Regem, ut concurreret cuivis atroci Acto contra Ipſum & ejus Poſteritatem; ita incenderet populum promiſcuè contra eos, ut poſt illa eos intuiti ſint, ut odioſiſſimam fecem hominum, quæ umquam infeſtaverit Nationem; & plus per eam perdiderunt, quàm umquam acquiſivêre per ullam victoriam.

Hæc ſunt viſibilia argumenta ſententiæ Dei de cauſa; ita ut, (omiſſis hypocriticis eorum diſcurſibus de Religione) ſi tangerentur vel minimo ſenſu Dei favorum, aut metu judiciorum, & non dixiſſent Ipſi, *Diſcede à nobis, neque enim cupimus notitiam viarum tuarum*; jam dudum ſenſiſſent

Iob. 21. 14.

illas

illas cordis anguſtias, & tremorem articulorum, è ſenſu Dei manus ſuper ipſos, ut non quieſcerent antequam ſe proſtraviſſent ad pedes ejus quem offenderunt, & adhibuiſſent omnes facultates ad reſtaurandum gratioſum ſuum Principem, & obligandum vulnera penè perditæ ſuæ patriæ.

Cujus loco, ut ſuam inſaniam haud minùs manifeſtarent quàm Rebellionem, reſolverunt & promulgârunt ſuas reſolutiones: 1. *quod nolint ampliùs agere aut applicare ſe Regi.* 2. *Ne quis hoc faciat, ſine ipſorum licentia,* 3. *quod quicunque contraveniet huic conſtitutioni incurret pœnas criminis læſæ Majeſtatis* 4. *quod nolint porrò recipere ullam miſſionem à Rege, & nequis præſumat portare ullam miſſionem à Rege ad ipſos, aut alium quemcunque.*

Per quorum primum & poſtremum, declarârunt ſe non eſſe Parlamentum; nam cum per Breve vocati ſint ad tractandum cum Ipſo, ſi nolint aut mittere ad Ipſum, neque audire ab Ipſo, non poſſunt diutiùs eſſe Parlamentum.

Per ſecundum, abſtulerunt ſubditis trium Regnorum, quod agnoſcunt eſſe eorum naturale jus & libertatem, nam dicunt (& quidem verè) in ſua declaratione VI Maij. 1643: *Quod præſentare humiles ſuas petitiones & Propoſitiones ſuæ Majeſtati & Libertas ad ipſos pertinens non ſolùm qua membra Parlamenti, ſed eſt quâ liberè natos ſubditos.* tamen hæc libertas aufertur hiſce votis.

Ad tertium non eſt opus plura dicere, quàm quæ dixit Exercitus (& haud dubiò probabunt quæ dixêre) ad hoc ſubjectum; *denegare non ſolùm jus & libertatem poſtulandi, ſed & ſub cenſura haud minus quàm capitali; & exponi amiſſioni fortunarum, libertatis, vitæ, & omnium, ob petitionem ejus quod quis putat ſibi deberi; idque eo inaudito, quid poſſit pro ſe dicere; ſecum allaturum eſſet tam gravem ſpeciem injuſtitiæ, oppreſſionis* *Decl. Exerc. p. 35.*

ac tyrannidis, ut ejus exemplum vix ſit reperire in proceſſibus corruptiſſimorum & arbitrariorum tribunalium contra vel viliſſimum hominem privatum: & benefacient ſi recordentur proprii ſui judicii in Remonſtrantia ſua XXV Maij. 1642 in his verbis: *Si proclamare ſolemniter aliquem Proditorem, ſignificet aliquid, conjicit hominem, & omnes eos qui auxiliantur aut adhærent ipſi in eandem noxam, & attrahit in eum omnes conſequentias Proditionis: & ſi hoc per Legem poſſit fieri, ſine debito proceſſu Legis, ſubditus exiguam habebit protectionem à Lege, & minimam, ſi modo aliquam, menſuram libertatis, & parum proderit alicui ita pœnis expoſito per declarationem quod ſit proditor, dicere, quod poſtea legale examen ſit habiturus, cum ante condemnetur, & poſtea examinetur.*

Omnes partes eorum declarationis jam diſcuſſæ ſunt, & quantumcunque hi deſperati ſibi ipſis blandiantur, & quo uſque tandem perſeveraverint in damnabili ſua *Apoſtaſia*; præſens & ſuccedens ætas credet eos loco demonſtrandi REGEM indignum & inidoneum ſupremi Officii, ad quod Deus Ipſum promovit, Ipſum reverà eos vindicâſſe ab omnibus opprobriis quæ in ipſum conjecerunt, & digniſſimum eſſe magno illo munere ad quod natus eſt, licet non haberet ad id alium titulum, quàm admirabiles ſuas virtutes & perfectionem; poſt audaciſſimam & ſtrictiſſimam inquiſitionem, quæ umquam facta fuit in vitam & mores alicujus Generoſi; poſt examen omnium actionum & ſermonum Ipſius, impiâ licentia, pervertendo & torquendo has actiones & ſermones abſurdis ſuis gloſſis & interpretationibus: poſt irruptionem in Ipſius conclave, corruptionem proximorum famulorum, per quos ipſis innotuit quicquid aut per paſſionem aut indiſpoſitionem dixerit aut fecerit; poſt apertionem pectoris Ipſius, & examen ſecretiſſimarum Ipſius cogitationum, perſcrutationem

nem Ipſius archivorum, perlectionem Ipſius epiſtolarum, etiam earum quas ſcripſit ad dilectiſſimam ſuam conjugem, Reginam in cifra, & ipſius privatorum memorialium; non potuêre Ipſi objicere crimen aut errorem ullum, qui poſſet modeſtiſſimo vultui ruborem afferre; neque per omnes ſuas minas, aut promiſſiones, concutere pias & magnanimas Ipſius reſolutiones; ita ut revera, ipſorum vexatio haud alia ſit, quàm ea quam *David* dabat *Saulo, cum videret illum prudenter ſe gerere, metuebat eum.* 1 *Sam.* 18. 15.

Sed hi miſeri debent advertere, quod, licet Rex eſſet tam injuſtus & tantus oppreſſor quàm Ipſum credi vellent, & optimus eorum eſſet futurus ſi eſſet Ipſius loco; non habent ullum jus aut qualitatem Ipſum ita tractandi, uti fecerunt: nam ſi licitum fuerit ſubditis arma capere contra ſuum principem, ſub prætextu quod ſit injurius, & non fungatur officio Regis, præter confuſionem quæ ſecutura eſſet, aſſumendo ſibi judicium in illa cauſa, in eorum poteſtate foret reſiſtere & vitare unum maximorum & immediatorum judiciorum Dei; quæ immittit ad corrigendum & caſtigandum Nationem quæ illum ad indignationem provocavit: *Et Ægyptios tradam in manus crudelis Domini, & atrox Rex dominabitur illis*, inquit Deus ipſe apud Prophetam *Ieſaiam:* Ille qui poteſt deſtruere Nationem per judicia quæ Ipſi placent; Hic qui poteſt humiliare hunc populum per famem, & illum deſtruere per peſtem; poteſt etiam ſi opportunum videatur, alterutrum facere, per crudelitatem & immanitatem Regis; *Dedi vobis Regem in ira mea*, dicit idem ſpiritus apud Prophetam Hoſeam, ſi autem fas eſſet nobis indignari Regi, quem Deus nobis dedit in ira ſua; aut atroces eſſe in eum, cujus atrocitatem Deus ut judicium ſuum nobis inflixit, facile poſſemus eludere has ſententias vindictæ ipſius, & *Eſai.* 19. 4. *Hoſ.* 13. 11.

pellere has afflictiones à nobis, per noſtram animoſitatem, non exſpectatâ opportunitate Ipſius liberationis: & haud incommoda ratio fuerit illius expreſſionis apud prophetam Samuëlem, *quod Rebellio ſit inſtar peccati divinationis:* quia ut homines accedunt ad ſagas & ſagæ ad Diabolum, ad accipiendum aut decelandum aliquid, quod non vult illos accipere aut decelare; ita rebelles ſatagunt ope Diaboli roborari contra Deum Omnipotentem & evadere ſuâ induſtriâ calamitatem, quâ Deus meditatur illos revocare: *Indignatio Regis eſt inſtar nuntii mortis, ſed ſapiens placabit illam*, inquit Solomon; non opponere ſe & reſiſtere illi: & tamen Idem Solomon dicit nobis, *Indignationem eſſe crudelem:* Eſt aliquid injuſticiæ, inclementiæ, & crudelitatis in omni indignatione, & tamen ſapiens, honeſtus, juſtus & conſcientioſus vir non cogitat niſi de pacificatione ejus; modeſtia & humilitas adhibenda ad molliendum indignationem; ſanè tantùm debetur omni indignationi; ſapiens & mitis hanc operam ſumet in reformando & componendo indignationem vicini, æqualis ſui; ſed longè ampliùs requiritur ad indignationem Regis placandam: & Tremellius extendit hanc ſollicitudinem ſapientis longiùs, quàm ad pacificationem, & vertit hunc textum, ſapiens *expiabit* eam; geret ſe, ac ſi noxa eſſet in ipſo, & quaſi ipſe provocaverit & incenderit Regem ad indignationem, expiabit & ſatisfaciet per preces, per ſubmiſſionem, per quodvis ſacrificium quod poſſit eſſe acceptum offenſæ Majeſtati; & per exactam perfectionem ejus quod decet ſubditos, convincet Regem ſui erroris in illo affectu; qui ſub prætextu innocentiæ, negligunt & contemnunt iram & indignationem Principis, non ſunt ſatis innocentes, nec reſpiciunt Majeſtatem eâ reverentiâ quæ illos decet. *Solomoni* ſapiens expiabit Regis indi-

1 Sam 15. 23.

Proverb. 16. 14.

gna-

gnationem, à quocunque demum affectu aut præjudicio procedat.

Negari non potest, injustos & crudeles Principes magnam esse calamitatem & Iudicium super populum; tamen calamitates sub talibus tolerabiliores sunt, quàm confusiones sine ullis; & propterea Deus sæpe exercuit peculiarem & electum suum populum per profanos improbos & tyrannicos Reges, & recreavit eum denuo per pios, devotos & justos Principes; sed erat præcipuum signum desolationis cum declarabat, *quòd filii Israël multos dies manerent sine Rege, & sine Principe*; & cum non habebant Regem, certum erat signum quòd non timuerant Dominum, & quid Rex illis prodesse posset?

Si principales ministri confusionis, & ii qui minùs apprehendunt ejus effecta, considerent in suâ quique statione, calamitatem & desolationem quæ inevitabiliter sequitur violationem ordinis vel exiguam: si Pater cogitet impossibile sibi esse vivere in sua domo, cum uxori & liberis licet sequi dictata propriæ rationis, voluntatem & appetitum, sine observatione ipsius regulæ & directionis; si Dominus intolerandam putet suam conditionem cum famulis licebit obloqui & contemnere ipsius mandata, adeoque contraria agere; aptiores essent ad considerandum calamitates, quas Regna & Respub. pati necesse est, cum subditis licet rebellare contra Authoritatem & potestatem Principum, quod Deus constituit super ipsos. Prærogativa est Mariti, Patris Domini, voluntatem ejus non controverti, ab uxore, liberis, famulis quorum pietas consistit in obedientia; non possunt ferre mentionem *prærogativæ Regis*, per quam solam servare possunt suam. Digno sarcasmo redarguit *Lycurgus* eum qui suadebat ut Democratiam Lacedæmoni instituereret; *Incipe*, ajebat, *in propria familia*; Sanè licet hi Ephori (quorum

rum profeſſio eſt deprimere poteſtatem Regum) nihil minus metuant quàm vel minimam partem ſuæ Authoritatis amittere; rogandi, an non ſenſerint inſenſibiliter eam poteſtatem minui, dum ambitioſè inhiârunt alienæ? Eſtne pietas liberorum & obedientia famulorum eadem quæ erat ante hos dies licentiæ? An non eundem defectum reverentiæ humanitatis miſit Deus in familias, quem capita familiarum iſtarum foverunt in Repub? fortaſſe haud melius aut facilius remedium fuerit reducendi nos ad officium, quàm ſeriò ponderare Dei judicia ſuper nos, poſtquam rei fuimus ejus violationis. Si Pater quem afflixit pertinax inobedientia filii, crederet (ut par eſſet) Deum miſiſſe eam pertinaciam in ſua viſcera, ad puniendum ſuam pertinacem inobedientiam in Patrem Regni, ſupremum ſuum Dominum, ſi Dominus oppreſſus & proditus, per fraudem, infidelitatem & perjurium famuli ſui recordaretur quàm falſus, infidus & perjurus fuerit in Dominum ſuum Regem, & concluderet famulum tantum eſſe miniſtrum vindictæ divinæ in ſe, ob illam tranſgreſſionem: ſi tota Natio conſideraret opprobrium & infamiam quam patitur apud omnes Nationes, Chriſtianos & paganos cogniti orbis, & fateretur Deum hoc grave judicium inflixiſſe ei ob contemtum illius, cujus cauſa Nationes omnes noſtram ſuſpiciebant; fieri non poſſet quin conſcientiæ noſtræ pæniterent ob malum quod fecimus, ut Deus induci poſſet ad auferendum malum quod patimur, & quod non poſſimus ſperare vel minimam proſperitatem ipſi, ni reddamus Regi quod rebelliter Illi fuit ablatum.

Ajunt, *licet determinârint non amplius agere cum Rege, tamen ſummam operam daturos ad ſtabiliendum tale præſens Regimen, quod optimè poſſit conſiſtere cum pace & felicitate Regni.* Quod illud præſens regimen ſit nemo intelligit, & propterea

pterea ſcire non poteſt quæ illa pax & felicitas ſit futura, quam proponunt Regno acceſſuram per illud; Exiguum conclave Parium (nam Domus contracta eſt ad illam proportionem) non habet partem in eo, ut apparet ex claſſis poſſeſſione data *Rainsbourougio* ſine eorum conſenſu, cum ipſi illam petiiſſent, & ex eo quod multa alia magni momenti faciant, eorum concurſu ne quidem poſtulato: non eſſe in Communibus liquet per abrogationem talium ſuorum Actorum, & perlationem aliorum, prout exercitus ab illis flagitat: & Exercitum non poſſidere illud, haud alio opus eſt argumento, quàm violatione omnium articulorum ab exercitu factorum ad quamvis deditionem. nam ſi poteſtas eſſet in ipſis, obſervati utique fuiſſent ob eorum honorem: ita ut omnis eorum opera, quam promittunt ſe daturos ad ſtabiliendum præſens Regimen, haud aliud eſt quàm ſollicitudo, quæ eò tendit ut omnes Leges & legalis authoritas in præſenti ſupprimantur, & nullum plane ſit Regimen. Et ſanè fieri poteſt ut ipſorum poteſtas augeat confuſiones, & promoveat deſolationes quæ nos manent; ſed ſtabilire ullum genus Regiminis, quod pacem afferat aut ullum gradum felicitatis languenti Regno, aut ſecuritatem ipſis, eorumque poſteris, niſi ſe ſubmittant veteri, ſub quo nati ſunt, non eſt in eorum poteſtate, neque rationabiliter poteſt ſperari. Nihil facilius eſt demonſtratu, quàm quod numquam poſſint ſtabilire pacem in Regno, aut ſecuritatem ſibi, quàm reſtituendo juſtam poteſtatem Regi & obedienter ſubmittendo ſe Illius protectioni; & manifeſtum eſt eos iſta viâ, poſſe Regno pacem reddere & conſervare ſeipſos, familias & poſteritatem in plena ſecuritate & dignitate. Examinatio & probatio harum duarum Propoſitionum concludet hunc diſcurſum.

Superſtitioſa Reverentia quam populus generaliter habuit nomini & authoritati Parlamenti; & per cujus fallaciam inciderunt in has calamitates quas nunc patiuntur, ita exſolevit, ut niſi captivent intellectum ſuum haud diutius reſpiciendo illud ut concilium, & planè diſcernant; ambitionem, imbecillitatem, malitiam & ſtupiditatem particularium Membrorum, è quibus eſt, & non oportebat eſſe conſtitutum; & facile concludant, quod ſicuti ipſos ſpoliârunt maximè proſpera & abundanti conditione qua ullus liber homo totius orbis umquam fuit gaviſus, ita numquam eſſe poſſe inſtrumenta alicujus pacis aut ſecuritatis; & ſicuti diſſolverunt nobiliſſimam ſtructuram & formam regiminis, in Eccleſia & Repub., quæ umquam fuerit in Chriſtiano Orbe; ita etiam eſſe tam perverſos ſuis affectibus & noxis, & tam exiguæ experientiæ & intelligentiæ, ut non queant aut novam formam conſtituere aut veterem emendare; præterquam quod planè diſcernant, quod non ſint miniſtri regionis, à qua electi erant & deputati, ſed exercitus, cujus dictatis coguntur obſequi, ita ut, etiamſi inclinationes eorum eſſent bonæ, non habeant vires eas exſequendi; & ſunt inſtar Aquilæ in Eſdra,

2 *Eſdr.* 11. 10. *cum vox non exiret è capite ejus, ſed è medio corporis.*

Mutua confidentia inter eos & eorum Exercitum totaliter eſt diſſoluta, cum non ſit poſſibile ut Domus fidant ulli Exercitui, neque enim poſſunt credere ullum exercitum ipſis obſequentiorem fore, quam merito videbantur opinari de eo ſub *Thoma Fairfaxio*; aut quod exercitus plenum obſequium ſit redditurus; nam admiſſo, quod factio quæ jam potentiſſima eſt in exercitu, ſit ejuſdem ſententiæ cum potentiſſima factione in Domibus, cum ſemper corrivales ſint ſupremæ poteſtatis, numquam plenè ſibi invicem fidere poſſunt aut ſe alteri ſubmittere: licet Domus

mus consisterent solummodò ex iis qui eo tempore gaudebant, Regem abductum *Holmbya*, & exercitum à signis discedere, tamen semper recordabuntur, alterum factum sine mandato aut consensu, & exercitum idem posse facere cum lubebit, & cum non erit ipsis commodum; & quòd non solùm non discesserunt à signis eo tempore, sed declarârunt solemni compacto Exercitus v Iun. *quod nollent discedere à signis, neque separari, neque toleraturi essent se dimitti aut dividi; antequam satisfactionem & securitatem nanciscantur de iis quæ postulârant, eo modo quo convenietur per Concilium, consistens ex Generalibus officiariis Exercitus (qui concurrerunt cum exercitu in iis quæ acta & postulata sunt) cum duobus Commissariis & duobus militibus eligendis pro quaque legione, qui concurrerunt & concurrent cum ipsis in præmissis & præsenti Compacto*; ita ut appareat Exercitum, velle regi tantùm à se ipsis, & merito, siquidem absque eo non possunt habere securitatem. nam quantumvis Domus illi complaceant in præsenti, milites non possunt obliviscì quòd semel fuerint proditores declarati, quia tantum parabant petitionem, & prudenter observant, *quod semel est factum, denuo posse fieri*: & per moras quæ factæ sunt quoad incolumitatem & immunitatem Oratorum, & fidelium eorum Membrorum quæ abacta erant per violentiam, & immunitatem Exercitus in movendo versus *Londinum* (non obstante publica professione & gratiarum actione Deo oblata) agnoscunt se tantummodò salvos ob inopiam virium in Domibus, è quacunque demum factione constent, ambitione, injustitiâ & tyrannide in utrisque pari existente. *Decl. Exerc. p. 22.*

Exercitus jam declaravit contra eorum vota & resolutiones, quare præsumendum est numquam concursurum ad eorum defensionem; Generalis ipse in Epistola sua VI Iun. *à Cantabrigia* ad oratorem, ait, *sicut ipsius maxime serium* *Decl. Exerc. pag. 23.*

& humile desiderium est, ita deprehendisse unanime studium esse Exercitus, firmam pacem in Regno stabiliri, & libertates populi confirmari, secundum plurimas Declarationes per quas invitati fuêre & inducti se immiscere huic bello; Et in Declaratione & Repræsentatione Generalis & totius Exercitus XIV Iun. ad Parlamentum planè & honestè dicunt, *se non fuisse merè mercenarium exercitum, conductum ad inserviendum ulli Arbitrariæ potestati Status, sed vocatum & conjuratum per diversas Declarationes Parlamenti ad defensionem ipsorum & populi Iurium & Libertatum, atque arma cepisse in judicio & conscientia ad hos fines, & ita perseverârunt, perseverabuntque secundum priora justa desideria in suis Declarationibus, & ejusmodi principia quæ accepêre à crebris informationibus, & communi suo sensu de his fundamentalibus Iuribus & Libertatibus: & vindicaturos justam potestatem & jura hujus Regni in Parlamento ob communes fines præmissos, contra omnem Arbitrariam potestatem, violentiam & oppressionem, & omnes particulares factiones quascunque*: Et in sua Remonstrantia XXIII Iun. à *S. Albano* ajunt; *Regnum ab ipsis contendere ne à signis discedant, antequam videant Iura, Libertates & Pacem Regni confirmatam, secundum plurimas Declarationes, qui primum exciti fuêre & invitati ad se miscendum huic Bello.*

Qui autem sint illi fines, desideria & principia in eorum Declarationibus, ante dictum, & omnibus notum, qui legerint Declarat. non esse alia, quàm *defensionem veræ Protestantium Religionis, Regis prærogativæ, Legum & Libertatum Terræ & privilegiorum Parlamenti, quibus studiis vellent porrò insistere, etiamsi in opere perirent*; Et tam longè aberant à non mittendo ad Regem, aut Ipsum audiendum; ut declaraverint, *quemadmodum Ipsi non dederunt justum subjectum subducendi se à magno suo. Concilio, ita non impedituros Ipsius regressum*; Et suo responso ad Declarationem Regis, post prælium ad *Edge-Hill*, quoad allegationes quod exercitus colle-

collectus à Parlamento erat ad occidendum & deponendum Regem; inquiunt, *ſperare ſe concinnatores iſtius Declarationis, aut omnes qui modo Chriſtianum nomen profiteantur, non poſſe tam alienos eſſe à Charitate ut ejusmodi ſcandalum excitent, præſertim cum non ignorent Proteſtationem ſingulorum Membrorum utriusque Domus, quâ promittunt in præſentia Dei Omnipotentis, defenſuros ſe Majeſtatis ſuæ perſonam:* Et per Proteſtationem 22 Octob. 1642. (ſupra citatam) declarant in præſentia omnip. Dei, huic Regno & Nationi & toti orbi; *Nullam privatam paſſionem aut reſpectum, nullam pravam intentionem contra ſuæ Majeſtatis perſonam, nullum propoſitum præjudicandi juſto Ipſius Honori & Authoritati ſe induxiſſe ad copias adunandas, aut arma ſumendum.* Itaque cum hæc ſint deſideria, fines & principia in eorum Declarationibus, quibus Exercitus invitatus ad bellum, nolent ſe præcipites agi in perpetuam abjurationem ſuæ fidelitatis, aut inſtrumenta fieri deſtructionis omnium ad quæ defendenda comparati fuêre; ſed diſcernent, utcunque excuſari poſſint quòd ſeducti fuerint per tam ſpecioſas profeſſiones, quibus jure credebant (qui fuit caſus multorum honeſtorum hominum) poſt tam palpabilem detectionem impii eorum propoſiti, non poſſe ſe recuperare aut tueri innocentiam & fidem ſuam, quàm deteſtando eos, qui eos implicârant ad honeſtos publicos fines, nunc corrumpunt eos ad immolandum & corpus & animam, privatis ipſorum deſideriis, malitiæ, & ambitioni: Et non poſſunt eſſe obliti, illius veræ profeſſionis Dominorum & Communium in ſua Petitione XIV Dec. 1641. ad Regem, in qua dicunt; *agnoſcere ſe Regium Ipſius favorem & protectionem eſſe magnam benedictionem & ſecuritatem ipſis, ad poſſidendum & conſervandum omnes illas publicas & privatas Libertates & privilegia; quæ ad eos pertinent.*

Si populus ita inſaniret; ſi ipſorum terror aut ſtoli-

ditas eo usque eos ſuperaret ut ſe ſubmitterent tali ſtabilimento, quale hi declaratores meditantur, haud ſunt decem eorum, quorum nomina Regno ſunt nota, qui noverint, aut convenerint quàm ſpeciem Regiminis velint ſtabilire in Eccleſia aut Repub. Terrores eorum & ſuſpiciones quibus ſe delectabant degenerârunt in reales morbos, qui ipſis ſomnum adimunt; atque ita, pace conſcientiæ ſepoſita, quam non ambiunt, ne unus quidem inter eos gaudet exteriori ea ſecuritate, inops quis Cavallerius (ita vocabant Regios milites) quem omnibus facultatibus ſpoliârunt, & quem tamen omnis eorum arrogantia & abundantia invi-
Ezech. 8. 3. dis oculis intuetur; *An non ſedes idoli Zelotypiæ, quæ provocat ad Zelotypiam, in porta quæ reſpicit Septentrionem?* & nonne exſpectant quotidie deſtrui ab iis, quorum auxilio penè deſtruxerunt totam Terram?

Non eſt quod quiſquam illis fidat aut domi aut foràs, cum non tantum violârint omnes obligationes divinas & humanas, ſed prodiderint talem contemtum harum obligationum, ut non amplius tutò ipſis credi poſſit; nam quomodo credi poteſt eorum Iuramentis (quæ tamen ſunt vincula maximè ſolemnia inter homines, cum legitimè præſtantur) cùm commententur & interpretentur ea ut ipſis ſerviunt, directò contra literam & verba Iuramenti? & ſi non poſſint ea viâ evadere, vocant ea *Almanacca ſuperioris anni, & ita extra Datum dirigendi eos?* cum eos cum quibus inierunt tractatum, & firmiſſimum fœdus quod poterat cogitari, & cui ſe obligârunt, non tranſigere quicquam quod concernat publicum Regni ſine ipſorum conſenſu, dicent, poſtquam res adduxerunt ad hanc extre-
Decl. ad Scot. p. 62. mitatem in qua nunc verſantur, *quod non curent, utrum aſſentiantur aut diſſentiant, atteſtentur aut proteſtentur de ulla re quam opinabuntur idoneam ſtabiliri in hoc Regno, ſive ad Eccleſiæ re-*

regimen, ſive Status? Quinimo dicent iis, *non eſſe quod amplius neceſſarium urgeant ſuum conſilium, quàm Hiſpanorum, Indorum, aut remotiſſimarum regionum terræ; & quod quandiu egebant eorum auxilio; poterant habere cauſas interdum iis conventus largiendi, nunc verò cum ſeipſos poſſunt defendere, ſufficientiſſimos eſſe ad propria negotia agenda?*

Neceſſarium fuerit addere, quod in omnibus ſuis transactionibus Domi, quibus applicârunt publicam fidem, non implêrunt contractus factos, ſed determinârunt eo tempore cum illos facerent, non obſervare illos, ut apparet è conſtitutione 11 Iun. 1646, per quam Domus Communium reſolvit; *quod omnes qui reſident aut reſidebunt in Parlamenti caſtris, ſument nationalem ligam & compactum, & negativum Iuramentum, non obſtantibus ullis Articulis factis aut faciendis à militia:* atque ita non tantùm violârunt Articulos factos ad deditionem *Exoniæ* & aliorum locorum, ſed virtute hujus conſtitutionis, quæ nota eſſe non poterat iis quos concernebat, etiam declinârunt factos in deditione *Oxonii*, ab ipſismet confirmatos, quorum principalis Articulus erat; *quod nemo cogeretur præſtare ullum Iuramentum eo tempore quo licebat ſubſiſtere Londini, aut domi ſuæ, aut ubi libebat*, quod erat ſex menſes poſt deditionem.

Sicuti ob has & alias infinitas rationes, affectiones & corda populi, penitus à Parlamento ſunt alienata, ita æquali vigore converſa ſunt ad Regem; & fatentur plenam reverentiam erga Sacram Ipſius Perſonam (cujus defectus jure haberi poteſt primaria cauſa omnium noſtrorum malorum & promotio omnium noſtrarum diſtractionum) & amplam agnitionem Regiæ ſapientiæ & incomparabilis conſtantiæ, Ipſi deberi: Ob inſignem magnanimitatem tempore captivitatis, cum omnes fuêre ab Ipſo remoti, qui inclinabant aut in Illius perſonam, & Iura, ex obſequio & fide-

fidelitate; aut in Illius opiniones è judicio & intelligentia: Illius inconcussam constantiam, quia dimoveri se non passus est à magnis suis principiis, per omnia promissa & minas successivè ob acumen intellectus Illius, per quod, quavis occasione & in omnibus sermonibus cum Commissariis qui ipsum comitabantur, demonstravit eorum impietatem in puncto Religionis; injustitiam in puncto Legis; absurditatem in puncto Politiæ, etiam in relatione ad semetipsos, in omnibus quæ Ipsi proposuêre ad Pacem, cum tanta libertate judicii, & candore ingenii, ut quidam ministri eorum cogerentur ad eorum detrimentum, profiteri Ejus mirabiles qualitates: omnes agnoscunt quicquid sapienter dictum, quicquid prosperè factum in maximis illius negotiis, processisse ab Ipsius virtute & regimine; & omnes pravos successus, effecta fuisse imprudentiæ, Ignorantiæ, & passionum Ipsius Consiliariorum & Ministrorum.

Et quod Regis magnæ virtutes haberent & habituræ forent hunc grandem influxum in populum, exercitus bene noverat, cum (ut se commendarent post suæ Majestatis abductionem ab *Holmbya*) declararent in sua Remonstrantia XXIII Iun. à *S. Albano*) *quod, cum scandalosæ informationes exhibitæ essent Domibus, & industriè excusæ, quasi sua Majestas ut captivus detineretur inter ipsos, & barbarè atque inciviliter tractaretur, se non posse non declarare, hanc & alias omnes suggestiones ejus generis esse falsas & scandalosas, & absolutè contrarias non solùm suis declaratis desideriis, sed etiam suis principiis manifestissimis pro generali jure & justa libertate omnium hominum; & propterea hac occasione*, inquiunt, *non posse non declarare particulariter, se idem optare Regi & omnibus illius partis; & ultra clarè profitebantur, se non videre, quomodo pax posset esse in hoc Regno firma & constans, sine debita consideratione & provisione, juris, quietis,*

quietis, & immunitatis ſuæ Majeſtatis regiæ familiæ & Ipſius participum; Et eorum Generalis per epiſtolam VIII Iul. ad Oratorem, haud citius miſſam quàm excuſam, liberè illis intimavit; *quod ipſorum Exercitus, multoties ſam Majeſtatem rogaverit ut concurreret cum Parlamento, ad ſtabiliendum & conſervandum Iura & libertates, & firmandum pacem in Regno; & affirmârint Ipſi, ubi publico proſpectum foret, per hunc ſuæ Majeſtatis concurſum, plenè convenire cum ſuis principiis, & ipſos omnem operam daturos, ut (cum & in tali ſtabilimento Publici) etiam juribus ſuæ Majeſtatis regiæ familiæ provideretur, ita ut conſtans pax & concordia in Regno conſtitueretur: & quod, ut ante declarârant in generalibus terminis, ita* (ſi res perducantur ad ſtabilimentum) *non detrectarent* (in ſuis ſphæris) *generale illud deſiderium extendere ad particularia naturalis aut civilis Iuris, quoad ſuæ Majeſtatis perſonam & familiam, quod non præjudicaret, aut rurſus in periculum conjiceret publicum.* Quibus plauſibilibus profeſſionibus, unà cum admiſſione talium famulorum & Capellanorum quales Ipſe poſcebat, & barbarè à Domibus erant negati, (qui eo tempore ita agnoſcebant ſuum errorem, ut deſiderarent Regis præſentiam, propriis conditionibus) tantam fidem meruêre apud Regis partes, & Civitatem *Londini*, & univerſaliter apud populum, ut hoc ſolo ſtratagamate, idonei & ſatis potentes facti fuerint ad Ipſum concludendum in *Arce Carisbrookia*, & procedendum ut poſtea fecerunt; Et ſanè, ubi Exercitus penitiùs conſideraverit grandes profectus quos fecerunt per has profeſſiones & proteſtationes, & quantum abfuerint à præſtando eas Regi, non patientur ſe uſurpari ad promovendos viles fines particularium perſonarum, neque *Moralem* ſuam *Iuſtitiam*, de quâ tantoperè triumphant, tranſire in proverbium, ſummæ & indigniſſimæ fraudis, Hypocriſeos & Proditionis.

Reſtat nunc, ſiquidem nullo ſtudio horum hominum,

quandiu non redierint ad obſequium & fidelitatem, impoſſibile eſt ſtabilire aliquam pacem aut felicitatem Regno, aut ſecuritatem ſibi ipſis, perſuadere iis, ut ad minimum faciendo officium Chriſtianorum, poſſint non ſolùm ſervare patriam, quod nemo dubitat, ſed etiam ſuperare omnes difficultates & pericula, quibus noxa eorum obnoxios ipſos facit.

Eſt etiamnum in eorum poteſtate abſolute, Regis reſtaurationem, facere ſuum opus, ut ſua Majeſtas teneatur in puncto utique gratitudinis, id agnoſcere, & tantum recordari quorum fidelitate amiſſa recuperaverit, & non eorum noxam, quâ amiſerit, & Illius pars (qui conſcientiæ cauſâ amiſerunt) novit, Charitatem tam fundamentale officium eſſe Chriſtiani, ut nulla excuſatio ſit reliqua vel minimo gradui animoſitatis & vindictæ, quàm magnæ demum ſint injuriæ ipſis illatæ; & Regis propria experientia de hominibus, ſufficienter docuit Ipſum, quod, ut multi bene affecti per imprudentiam & credulitatem, ſeducti ad combinationem contra ipſum, per gradus fortaſſis pejores facti ſint quàm antè intenderant, ita omnes qui videbantur ſequi bonam cauſam, non eſſe bonos viros, ſed fines habuiſſe tam improbos; quàm ii quibus ſe opponebant. quapropter omni mentione & memoria priorum errorum deletâ, præſumi poteſt illum velle fidere & uti omnibus Suis bonis ſubditis, ſecundùm ipſorum diverſas facultates, obliviſcendo quomodo aliquo tempore erga Ipſum fuerint affecti: & cauſas habent credendi Regem religioſè obſervaturum, & effecturum ut alii obſervent, quicquid libero conſenſu promiſerit. Tempeſtivè itaque tractent cum ſua Majeſtate, talibus conſiliariis accedentibus, quales Ipſe elegerit & conveniatur de Articulis, qui poſſint dare mutuam ſecuritatem omnibus perſonis, quarum

rum intereſt; quibus ubi Rex aſſenſerit eo modo quo deſiderabitur, omnes Illius conſiliarii & miniſtri Iuſtitiæ totius Regni, ſolemni juramento adſtringi poterunt his Articulis: quo facto, & confirmato per Actum, eo modo perlatum, quo validum fore judicabunt; infortunatum hoc Parlamentum diſſolvator; intermiſſione Parlamenti hoc tempore magis neceſſariâ ad vindicationem juſtitiæ & Legum Regni, & reſtaurationem felicis Pacis, quàm umquam congreſſus Parlamenti fuerit ad reformandum & amovendum gravamina.

Vt concludam, abſurdæ & injuſtæ Propoſitiones poſſunt continuare bellum & ejus deſtructiones; numquam *Pacem* facere, quæ nihil eſt aliud quàm *libertas gaudendi eo quod jure & merito debetur*; & quandiu mundus ſubſiſtet, illud reſponſum Legati *Privernatium*, ad ſenatum Romanum rationi conſonum reperietur; qui interrogatus, cui paci cum Ipſis Romani poſſent fidere (qui rei erant cujusdam defectionis) reſpondit, *ſi bonam dederitis, & fidam & perpetuam*; *ſi malam, haud diuturnam*; quod ſapiens ille Senatus honeſtum reſponſum fatebatur, & ſtultum eſſe credere, ullum populum aut privatam perſonam *in ea conditione, cujus eum pœnitat, diutius quàm neceſſe ſit manſurum.* Reſarciamus, itaque (ut Angli) rupturam quam ipſi fecimus, & non acceptam feramus Nos aut Poſteri noſtri noſtram redemtionem ulli externæ potentiæ; ſed proſternamus nos ad pedes offenſi noſtri Principis, cum ea cordiali confeſſione & teſtimonio, quod Rex *Tyri* miſit ad *Salomonem*; *quia Dominus dilexit populum ſuum, conſtituit Te illis Regem*; Profano, diſſoluto & licentioſo populo dedit piiſſimum & temperatiſſimum Regem, ad reducendum & corrigendum eum illius exemplo; impio & rebelli populo, humaniſſimum & clementiſſimum Regem ad conſervandum ejus

Liv. l. 8. 21.

2 Chron. 2. 11.

Heb. 10. 26. 27. bonitatem; *verùm ſi ultro peccaverimus poſt acceptam cognitionem veritatis, non adhuc reliqua eſt hoſtia pro peccatis, ſed horrenda quædam expectatio Iudicii, & ignis fervor, qui devoraturus eſt adverſarios.*

Mich. VII. 4.

Optimus eorum ſimilis eſt ſpinæ, rectiſſimus acutior ſpineto: dies ſpeculatorum tuorum, & viſitatio tua advenit; nunc erit perplexitas iſtorum.

Ezech. XXIII. v. 5. 9.

Et Ahola *ſcortata eſt cum eſſet mea, egitque amaſiam cum amatoribus ſuis, cum Aſſyriis vicinis.*

Quocirca tradidi eam in manus amatorum ipſius; in manum Aſſyriorum, quos deperibat.

FINIS.

PERFECTA NARRATIO

Totius Processus

SVPREMI TRIBVNALIS IVSTITIÆ

IN

EXAMINE REGIS

In Aula Westmonasterienſi, die Saturni XX *& die Lunæ* XXII *hujus præſentis Ianuarii.*

Cum ſingulis Orationibus Regis, Domini Præſidis, & Sollicitatoris Generalis.

Publicatum Authoritate ad prævertendum falſas & incongruas Relationes.

Impreſſum LONDINI.
Ian. XXIII 1649.

24°

PERFECTA NARRATIO

Ian. 20 $\frac{1648}{1649}$

IN ſupremo Tribunali Iuſtitiæ, ſedente in magna Halla Weſtmonaſterienſi, Sergeanto *Bradshaw* Præſide & circiter LXX Membris præſentibus [*oyes*] facto, ſilentium imperatum.

Decretum Communium in Parlamento (quoad Examen Regis) lectum; Dein Tribunal vocatum, ſingulis Membris ſurgentibus, ut vocabantur.

Rex venit ad Tribunal (tecto capite) Sergeantus Illum introducebat cum Maſſa: Colonellus *Hacker* & circiter triginta Officiarii & Generoſi, ingreſſi ut Illius Excubitores.

Dominus Præſes. CAROLE STVARTE REX *Angliæ*, Communes Angliæ, congregati in Parlamento, tacti ſenſu Calamitatum quæ obtigerunt huic Nationi, & innocentis ſanguinis fuſi in hac Natione, quorum tu Auctor eſſe duceris: & ſecundum officium quod debent Deo, huic Nationi & ſibimet ipſis: & ſecundùm poteſtatem & fundamentalem fidem ipſis creditam à Populo, conſtituerunt hoc ſupremum tribunal Iuſtitiæ, coram quod jam es adductus, & auditurus es tuam accuſationem, ſupra quam hoc Tribunal procedet.

Mr Cooke Sollicitator Generalis. Domine, nomine Communium Angliæ, & univerſi populi illius, accuſo *Carolum Stuartum*, hîc præſentem criminis læſæ Majeſtatis, & grandium delictorum; & peto, nomine Communium Angliæ, ut accuſatio ejus ipſi prælegatur.

Rex. Suſtine paululum.

Dominus Præſes. Sire! tribunal præcipit accuſationem legi,

gi, ſi quid poſtea dicendum habeas, poteris audiri. Accuſatio lecta fuit.

Rex ſæpe ſubridebat durante lectione, potiſſimum ad hæc verba, *Tyrannus*, *Proditor*, *Homicida & publicus hoſtis Reipublicæ.*

Dominus Præſes. Sire, audiſti jam legi accuſationem tuam continentem tales materias, quales in illa apparent; obſervâſti, quod in concluſione illius, petitur à Tribunali, nomine Communium Angliæ, ut reſpondeas ad tuam accuſationem. Tribunal exſpectat tuum reſponſum.

Rex. Velim ſcire per quam poteſtatem huc fuerim vocatus; fui haud ita nuper in *Inſula Vecta*, quomodo eò venerim longior eſt hiſtoria, quàm idoneum puto hîc exponere: verùm ibi ingreſſus ſum Tractatum cum utraque Domo Parlamenti ſub tam publica fide quàm poſſibile ſit obtinere ab aliquo populo in Orbe. Tractavi ibidem cum numero honorabilium Dominorum & Generoſorum, & tractavi honeſtè & fideliter, dicere nequeo quin valde ingenuè egerint mecum, & eramus in eo ut Tractatum concluderemus. Nunc velim ſcire per quam Authoritatem, puta legitimam? Sunt multæ illegitimæ auctoritates in mundo, fures & ſpoliatores in viis publicis; ſed velim ſcire, per quam Authoriratem inde ſim deportatus & ductus à loco in locum (& neſcio quid) & ubi cognoverim legitimam Authoritatem, reſpondebo. Recordamini, Me eſſe Regem veſtrum, legitimum, inquam, veſtrum Regem, & bene perpendite quæ peccata accerſatis in capita veſtra & judicium Dei ſuper hanc terram: perpendite ſeriò, dico, antequam ulterius procedatis ab uno peccato in majus; propterea docete Me, per quam legitimam Authoritatem hîc ſedeam, & non refragabor reſpondere; interea non prodam meam fidem; habeo fidem mihi commiſſam

à Deo,

à Deo, per veterem & legitimam ſucceſſionem, nolo illam prodere reſpondendo novæ & illegali Authoritati, propterea determinate mihi hoc, & plura à me audietis.

Dominus Præſes. Si placuiſſet tibi obſervare quod ſuggeſtum tibi fuit à Tribunali, cum primùm huc veniſti, intellexiſſes per quam Authoritatem; quæ Authoritas requirit à te, nomine populi Angliæ, à quo Rex es electus, ut reſpondeas ipſis.

Rex. Nequaquam Sir, nego illud.

Dominus Præſes. Si non agnoſcis Authoritatem Tribunalis, oportet illos progredi.

Rex. Ajo illis, *Angliæ* nunquam fuit electivum Regnum, ſed hæreditarium regnum penè bis mille annis, propterea docete Me per, quam Authoritatem huc fuerim vocatus: magis pertendo pro libertate populi mei quàm quisquam veſtrûm, qui prætenditis eſſe mei Iudices; & propterea docete Me, quâ legali Authoritate hîc locatus ſim, & reſpondebo, aliter non ſum reſponſurus.

Dominus Præſes. Sire, quàm benè admiviſtraveris fidem tibi commiſſam, notum eſt; methodus tua reſpondendi eſt interrogare Tribunal quod non decet te in hac conditione. Bis aut ter tibi dictum fuit.

Rex. Adeſt hic generoſus, Locumtenens Col. *Cobbet*, (interroga illum) an non abduxerit me ab Inſula *Vecta* per vim? Non veni huc quaſi me ſubmittam Tribunali; volo agere tantùm pro privilegiis Domus Communium, benè intellectis, quantum quisquam hîc alius; Non video hîc Domum Dominorum, quæ poſſit conſtituere Parlamentum, & Regem quoque oportebat præeſſe. An hoc eſt ducere Regem ad ſuum Parlamentum? Eſtne hoc ducere ad finem Tractatum per publicam fidem orbis? oſtendite mihi Authoritatem ſtabilitam per

verbum Dei, Scripturas, aut confirmatam per constitutiones Regni, & respondebo.

Dominus Præses. Sire! proposuisti quæstionem, & datum fuit responsum; siquidem non vis respondere, Tribunal considerabit; quomodo processurum sit, interea qui te huc adduxerunt, reducent te. Curia desiderat scire, an hæc sit omnis responsio quam velis dare, an non.

Rex. Desidero ut mihi velis satisfacere & toti orbi in hoc: permittite mihi vobis dicere, non est res parvi momenti, circa quam versamini. Iuratus sum custodire Pacem secundum obsequium quod debeo Deo & Terræ meæ, & volo hoc perficere ad extremum halitum corporis mei; bene itaque facietis primùm satisfacere Deo & tum Terræ, quâ Authoritate hoc agatis; si facitis per usurpatam Authoritatem, non potestis hoc defendere. Deus est in cælis, vocabit vos & omnes qui dant vobis potestatem, ad rationem reddendam; satisfacite mihi in eo, & respondebo, aliter proderem fidem mihi commissam & Libertates Populi: propterea cogitate de eo, & tunc lubens faciam. Fateor enim, tam magnum esse peccatum resistere legitimæ Authoritati, quàm se submittere Tyrannicæ, aut ulli aliàs illegitimæ Authoritati; quapropter satisfacite mihi in hoc, & recipietis meum responsum.

Dominus Præses. Curia expectat ut ipsi des finale responsum; propositum eorum est procrastinare usque ad diem Lunæ proximum. si non satisfacias tibi ipsi, licet tibi dicamus nostram Authoritatem; nobis sufficit nostra Authoritas, & est secundum Dei Authoritatem & Regni, & Pax illa de quâ loqueris custodietur in Iustitia administranda, & hoc est præsens nostrum opus.

Rex. Pro responso dico, non ostendisti mihi legalem Authoritatem quæ possit satisfacere ulli rationabili nomini.

Do-

Dominus Præses; Ea est tua apprehensio, nobis satis est qui sumus tui Iudices.

Rex. Non est mea apprehensio, neque etiam vestra quæ debeat hoc determinare.

Dominus Præses. Curia audivit te, & disponendum est de te ut præceperunt.

Curia procrastinat ad pictam Cameram in diem Lunæ hora decima antè meridiem, & inde huc.

Observandum est hîc ominosi quid:

Cum accusatio legeretur contra Regem, *caput Scipionis* ipsius decidit; quod mirabatur, & cum videret neminem attollere, ipse se propterea incurvavit.

Cum Rex regrederetur adspiciens curiam, dixit: Non illud vereor, innuens gladium. Populus qui erat in Aula, cum descenderet gradus, quidam clamabant: *Deus servet Regem*; sed plures: *Iustitiam.*

Coram supremo Tribunali Iustitiæ in Aula Westmonasterienſi, die Lunæ XXII *Ian.* 1649.

Oyes proclamato; silentio præcepto; postquam judices essent vocati & singuli ad nomina sua respondissent.

Silentium imperatum sub pæna incarcerationis, & Capitaneo excubitorum apprehendere omnes qui tumultuarentur.

Ad Regis ingressum clamor excitatus.

Curia præcepit Capitaneo præsidiariorum capere & in custodiam mittere qui tumultuabantur & obstrepebant.

Mr. Sollicitator. Placeat Dominationi tuæ, Domine Præses, superiori curia, nomine Communium Angliæ, exhibui & obtuli huic Tribunali accusationem criminis læsæ Majestatis,

jeſtatis, & aliorum gravium criminum adverſus captivum, de quibus illum accuſo nomine Populi Angliæ. & acuſatio Ipſi fuit prælecta & reſponſio requiſita. Domine, non placuit ipſi tunc reſpondere, ſed loco reſponſi, arguebat Authoritatem ſupremæ Curiæ. Humilis mea motio ad hanc ſupremam Curiam nomine Regni Angliæ eſt, ut Captivus cogatur dare poſitivum reſponſum ſive per viam confeſſionis, ſive negationis, quod ſi abnuit, quod ſubjectum accuſationis ſumatur *pro Confeſſo*, & Curia procedat ſecundum Iuſtitiam.

Dominus Præſes. Sire, potes recordari; ſuperiore Curia tibi explicata fuit occaſio ob quam huc fueris adductus & audiviſti accuſationem lectam contra te, continentem accuſationem proditionis & aliorum gravium criminum adverſus Regnum Angliæ: audiviſti itidem poſtulatum nomine Populi, ut accuſationi reſponderes ut ſuper illam ejusmodi proceſſus fierent qui congruerent Iuſticiæ, placuit tunc tibi aliquot ſcrupulos movere de Authoritate hujus Curiæ, & ignorabas quâ Authoritate huc deductus eſſes; diverſis temporibus propoſuiſti quæſtiones tuas, & ſæpe illis reſponſum fuit, quod ſit Authoritate *Communium Angliæ in Parlamento congregatorum*, qui judicabant opportunum te vocare ad reddendum rationem grandium & capitalium criminum, de quibus accuſaris. Poſt illa ſeriò conſideravit Curia à te dicta; ſufficit ipſis ſua Authoritas, & fas opinantur, ut Tu quoque illam admittas; & requirunt ut des poſitivum & particulare Reſponſum ad accuſationem quæ contra te exhibita eſt; exſpectant ut aut confitearis aut neges: ſi negaveris, nomine Regni probabitur; eorum Authoritatem approbant totus orbis, ita ut Regno ſatisfactum ſit, & oportet ut tibi quoque ſatisfactum ducas; quare non debes tempus terere, ſed poſitivè reſpondere.

Rex.

Rex. Verùm eſt, cum poſtremò hîc eſſem, movi illam Quæſtionem, & ſane ſi mea tantùm res ageretur, ſatisfeciſſem mihimet ipſi eâ Proteſtatione quam interpoſui cum antè hîc eſſem contra Legalitatem hujus Curiæ; & Regem non poſſe judicari ab ulla ſuperiori Iuriſdictione in Terra; verùm non ſolùm res mea agitur, ſed & libertas populi Angliæ, & prætexite quicquid velitis magis laboro de eorum Libertate. Nam ſi Potentia ſine Lege poteſt ferre Leges, poteſt mutare fundamentales Leges Regni, neſcio quis ſubditus in Anglia poſſit eſſe ſecurus vitæ aut alicujus rei quam ſuam vocat. Quapropter cum huc veniſſem, exſpectabam particulares rationes, ut ſcirem per quam Legem, quam Authoritatem hic procederetis contra me; ita mihi diſpiciendum quid potiſſimum vobis dicturus ſum, quia Affirmanti incumbit probatio, negativa ſæpe difficulter probatur: verùm ſiquidem non poſſum id vobis perſuadere, exponam vobis meas Rationes quàm breviſſimè poſſum.

Rationes ob quas in conſcientia, & officio quod debeo primùm Deo, deinde & Populo meo, ad conſervandum ipſorum vitas, Libertates & fortunas, credam me non poſſe reſpondere, donec mihi ſatisfiat de Legalitate ejus.

Omnes proceſſus adverſus hominem quemcunque!

Dominus Præſes. Sire, oportet ut te interrumpam, quod nollem facere, ſed quod facis non congruit Proceſſibus alicujus Tribunalis Iuſtitiæ, ingrederis in diſceptationem, & diſputas contra Authoritatem hujus Tribunalis, coram quo appares ut captivus, & accuſaris ut gravis Delinquens; ſi Tu tibi ſumas controvertere Authoritatem hujus Tribunalis, nobis non licet, aut ullum Tribunal hoc admiſerit, oportet te illi ſubmittere, dandum eſt exactum & direc-

ctum reſponſum utrum velis accuſationi reſpondere, nec ne, & quid reſpondeas.

Rex. Domine, ſi placet, non novi formalitates Legis, novi Legem & Rationem, licet non ſim Iuriſconſultus profeſſus, novi tamen tantum Legem, quantum quiſquam Generoſus in Anglia; & propterea arguo pro Libertatibus populi Angliæ amplius quàm vos; quapropter ſi cuiquam crederem ſine rationibus antè redditis, abſurdum foret, verùm dico tibi rationem quam datis, mihi neutiquam ſatisfacere.

Dominus Præſes. Sire! oportet ut te interrumpam; permitti enim tibi non poteſt: loqueris de Lege & Ratione; decet eſſe Legem & rationem, ſed utræque ſunt contra te. *Sire*, votum Communium Angliæ congregatorum in Parlamento, eſt ratio Regni, & illi Legem hanc tulerunt, ſecundum quam oportuiſſet te regnare: *Sire*, non licet tibi diſputare contra noſtram Authoritatem, iterum hoc tibi dictum ſit à curia. *Sire*, notitia ſumetur, te contemnere Curiam, & contemptus tuus referetur in Acta.

Rex. Neſcio quomodo Rex poſſit eſſe Delinquens; verùm per quamvis Legem, quam umquam audiverim, omnes homines (deliquentes aut quicquid vultis) poſſunt legaliter objicere ſcrupulos contra proceſſus, & poſtulo hoc & peto ut rationes meæ audiantur; ſi hoc denegas, denegas rationem.

Dominus Præſes. Sire, aliquid objeciſti Curiæ, exponam tibi illius ſententiam. *Sire*, neque tibi, neque cuiquam homini permiſſum eſt diſputare contra hoc ſubjectum, decretum eſt, non licet tibi argumentari contra juriſdictionem hujus Tribunalis; ſin feceris, oportet tibi intimem, illos ſuperiores eſſe tuâ objectione: ſedent hîc per Authoritatem Communium Angliæ, & omnes tui Prædeceſſores & Tu tenemini illis rationem reddere.

Rex

Rex. Nego illud, oſtende mihi unum exemplum.

Dominus Præſes. Sire, non debes interrumpere dum Curia te alloquitur, hoc ſubjectum non eſt diſceptandum per te, neu permiſſura eſt Curia hoc tibi, oportere ad modum objectionis contra Iuriſdictionem hujus Curiæ, conſiderârunt ſuam Iuriſdictionem, probant ſuam Iuriſdictionem.

Rex. Aio Domine, Communes Angliæ numquam fuiſſe Tribunal Iudicaturæ, velim ſcire quomodo jam facti fuerint.

Dominus Præſes. Sire, non permittitur tibi procedere in illa Oratione & his diſcurſibus.

Tunc Secretarius Curiæ legit, ut ſequitur: CAROLE STVARTE *Rex Angliæ, accuſatus fuiſti nomine populi Angliæ, criminis læſæ Majeſtatis, & aliorum gravium criminum. Curia determinavit quòd oporteat te ad illa reſpondere.*

Rex; Reſponſurus ſum ſimulac intellexerim quâ Authoritate hæc faciatis.

Dominus Præſes. Si hæc ſunt omnia quæ vis dicere, tum Generoſi qui captivum huc adduxiſtis, reducite illum.

Rex. Poſtulo ut mihi liceat exhibere rationes meas, ob quas non reſpondeam, & concedite mihi tempus ad hoc.

Dominus Præſes. Sire, non eſt captivorum poſtulare.

Rex. Captivorum? Domine, Ego non ſum ordinarius captivus.

Dominus Præſes. Curia conſideravit de ſua Iuriſdictione, etiam confirmârunt ſuam Iuriſdictionem; ſi non velis reſpondere, præcipiemus tuum defectum in acta referri.

Rex. Nondum audiviſtis meas Rationes.

Dominus Præſes. Rationes tuæ non ſunt audiendæ adverſus ſupremam Iuriſdictionem.

Rex. Oſtende mihi eam Iuriſdictionem, ubi ratio non ſit audienda.

Dominus Præſes. *Sire*, oſtendimus eam hîc tibi, Communes Angliæ; & proximo tempore cum adduceris huc, plura cognoſces de placito Curiæ, & fieri poteſt, finalem ipſorum Determinationem.

Rex. Oſtende mihi, ubi umquam Domus Communium fuerit Tribunal judicaturæ, in eo genere.

Dominus Præſes. Sergeante, abduc captivum.

Rex. Domine, reminiſcere Regem non tolerari exponere rationes ſuas pro Libertate & immunitate omnium ſuorum ſubditorum.

Dominus Præſes. *Sire*, non permittitur tibi libertas ita loquendi: quantus amicus fueris Legum & Libertatum populi, tota Anglia & Orbis judicet.

Rex. Domine, cum licentia tua, Libertas & immunitas, & Leges ſubditorum ſemper mihi cordi fuêre, ſi me armis defenderim, numquam ſumſi arma contra Populum, ſed pro Legibus.

Dominus Præſes. Mandato Curiæ obediendum eſt; nullum reſponſum datur contra Accuſationem.

Rex. Bene Domine.

Atque ita deductus ad Domum *Roberti Cottoni* Equitis. Atque ita Curia procraſtinata fuit ad *pictam Cameram* in diem Martis hora duodecima, & inde intendunt procraſtinare ad Aulam Weſtmonaſterienſem, quo tempore omnes quos concernit jubentur adeſſe.

FINIS.

MA-

MAIESTATIS SVÆ RATIONES

Adverſus Prætenſam Iurisdictionem Supremi Tribunalis Iuſtitiæ, quas intenderat exhibere in Scripto die Lunæ Ian. XXII. 1649.

Fideliter deſcriptæ ex Authographo ipſius

REGIS.

CVm jam antè ſim proteſtatus, non ſolùm adverſus illegalitatem hujus prætenſi Tribunalis, ſed etiam nullam terrenam poteſtatem juſtè Me poſſe vocare (qui ſum Rex veſter) in quæſtionem ut delinquentem; nollem ampliùs aperire os hac occaſione, ſed Me referre ad ea quæ dixeram, ſi me ſolum hæc res tangeret. Sed officium quod debeo Deo ad conſervandum veram Libertatem populi mei, non permittit mihi ut hoc tempore ſileam: Nam, quomodo poteſt quivis liberè natus ſubditus Angliæ vocare vitam aut quicquid poſſidet ſuum proprium, ſi potentia ſine jure quotidiè faciat novas & abroget veteres fundamentales leges hujus terræ, quem judico eſſe præſentem caſum. Quapropter cum hîc veniſſem, expectavi quod ſtuduiſſetis mihi ſatisfacere in hiſce fundamentis, quæ me impediunt reſpondere prætenſæ accuſationi; verùm poſtquam animadverto, quod nihil quod poſſim dicere, vos ad id permoveat (licet Negativæ non tam naturaliter probentur, quàm affirmativæ) tamen volo vobis manifeſtare rationes ob quas confido vos non poſſe me ju-

dicare, aut vel viliſſimum hominem in Anglia; nolo enim (quemadmodum vos) ſine oſtenſa ratione, fidem exigere à ſubditis meis.

Hîc fui inhibitus, & non paſſus quicquam ulterius loqui de Rationibus. Nullus eſt proceſſus juſtus adverſus quemquam, niſi qui Authoritatem habeat aut à Lege Dei, aut municipalibus legibus terræ in quâ vivit. Nunc autem certiſſimus ſum, Proceſſus qui hodie fiunt non poſſe confirmari per Dei Legem. nam in contrarium, neceſſitas obſequii Regibus debiti clarè confirmata eſt & ſtrictè imperata in Veteri & Novo Teſtamento; quod ſi negetur, paratus ſum continuò illud probare, & quoad quæſtionem quæ jam agitatur, ibi dictum eſt, *Vbi verbum Regis eſt, ubi eſt poteſtas, & quis poteſt illi dicere, quid facis?* Eccleſ. VIII. ver. 4. Tum quoad Leges terræ, non minus certus ſum, nullum doctum Iurisconſultum affirmaturum, ullam accuſationem eſſe poſſe contra Regem, cùm omnes prodeant ſub Illius nomine: & unum axioma tum illorum eſt *Regem non poſſe facere injuriam.* Præterea Lex ſupra quam fundatis veſtros Proceſſus, aut vetus eſt aut nova; ſi *vetus*, oſtendite illam; ſin *nova*, dicite quæ Authoritas confirmata à fundamentalibus Legibus hujus terræ tulerit illam & quando? Verùm quomodo Domus Communium poſſit erigere Tribunal judicaturæ, quæ ipſa numquam talis fuit (ut omnes Iurisconſulti nôrunt) relinquo Deo & orbi dijudicandum; & valde mirum videbitur quomodo prætendant ferre Leges ſine Rege aut Domo parium, cuivis qui umquam audiverit de Legibus Angliæ.

Sed admiſſo, non tamen conceſſo, quod populi Angliæ commiſſio poſſit confirmare prætenſam poteſtatem veſtram, nihil video quod poſſitis pro eo oſtendere: Nam certè vos numquam rogâſtis hanc quæſtionem à decimo homi-

homine hujus Regni, & in hac methodo manifestè injuriam facitis vel pauperrimo aratori, si ejus assensum liberum non postulatis; neque prætexere potestis ullum colorem huic prætensæ vestræ Commissioni, extra consensum, saltem majoris partis singulorum in Anglia, cujuscunque qualitatis aut conditionis, quem certus sum vos numquam quæsivisse; tantum abest ut illum obtinueritis.

Videtis itaque me non loqui pro meo jure solummodò, ut sum Rex vester, sed etiam pro vera Libertate omnium meorum subditorum, quæ consistit non in dividendo potestatem Regiminis, sed in vivendo sub talibus Legibus tali regimine, quod potest ipsis dare optimam securitatem vitarum & proprietatis suorum bonorum. Neque in his debeo oblivisci aut oblivisco Privilegiorum utriusque Domus Parlamenti, quæ Processus hodierni non tantum violant sed etiam dant occasionem maximæ infractionis publicæ fidei, qualis (credo) numquam fuerit audita, quâ omnino nolim onerare utramque Domum: nam omnia prætensa crimina quæ mihi imponuntur, longè priora sunt Tractatu Neoportensi, in quo cum concluserim quantum erat in Me, & jure expectaverim utriusque Domus assensum, subitò fui subductus, & abstractus inde ut captivus, quo facto contra voluntatem meam deductus sum huc, ubi postquam veni, non possum non quantum valeo defendedere antiquas Leges & Libertates hujus Regni, unà cum justo jure meo; undę quantum videre possum, superior Domus totaliter est excluſa.

Et quantum attinet ad Domum Communium, nimis notum est majorem partem eorum captivam esse aut deterritam à sedendo, ita ut si non haberem aliam, hæc sufficiens causa esset protestandi contra legalitatem vestri prætensi Tribunalis. Præter hæc omnia, pax Regni non est mini-

minima pars mearum curarum; & quæ ſpes eſſe poteſt eam ſtabiliendi, quandiu potentia regnat ſine norma Legis, mutans totam machinam Regiminis, ſub quo hoc Regnum floruit multis ſeculis (neque volo dicere quid ſecuturum ſit, ſi hi illegales & injuſti proceſſus pertendant contra Me) & credo quod Communes Angliæ non ſint vobis gratias acturi ob hanc mutationem. revocaturi enim ſunt ad memoriam quàm feliciter egerint ſuperioribus annis ſub regno R. Eliſabethæ, Regis mei parentis & meo, ante initium horum infelicium tumultuum; & habebunt cauſas dubitandi, numquam ſe tam felices fore ſub aliquo novo.

Et hoc tempore evidenter apparebit, quod arma tantummodò ſumſerim ad defendendum fundamentales Leges hujus Regni, adverſus eos qui ſuppoſuerunt meam poteſtatem totaliter mutâſſe antiquum Regimen.

Poſtquam ita breviter vobis expoſui rationes, ob quas non poſſum me ſubmittere prætenſæ veſtræ Authoritati ſine violatione fidei quam Deus mihi commiſit ad ſalutem & libertatem populi mei; exſpecto à vobis aut claras rationes ad convincendum meum judicium; demonſtrando quod verſer in errore (& tum ſanè paratus ero reſpondere) aut ut proceſſus veſtros ſuſpendatis.

Hæc propoſueram effari in Aula Weſtmonaſterienſi die Lunæ XXII Ian. ſed contra rationem prohibitus fui proferre Rationes meas.

Editum anno $\frac{1648}{1649}$ ſtyl. angl. vulgari.

FINIS.

REGIS CAROLI
ORATIO

HABITA IN SVGGESTV
ad Portam ALBÆ AVLÆ

Immediatè ante Executionem Die Martis
XXX Ian. $\frac{1648}{1649}$

Cum Relatione quo pacto ad ſupplicium
ductus fuerit.

Publicatum ſpeciali Authoritate.

LONDINI.
1649.

REGIS CAROLI
ORATIO

Habita in Suggeſtu ad portam Albæ Aulæ, immediatè ante ſupplicium. Die Martis xxx Ianuar.

CIrciter horam decimam matutinam Rex ductus fuit à St Iacobi aula, pedes incedens per Parcum, cum Regimento peditum, partim ante, partim poſt Ipſum, vexillis expanſis, & tympanis ſonantibus, privatâ Ipſius cuſtodia, cum quibuſdam Ipſius Generoſorum, ante & poſt detecto capite, *Doct. Iuxton* proximè poſt Ipſum, & Col. *Thomlinſon* (cui cura ipſius erat mandata) loquente cum Rege detecto capite, à Parco, per gradus ad porticum, atque ita in (*) Pinacothecam, ubi ſolebat cubare, ibi continuavit ſuam devotionem, refutans prandere (cum ante ſumſiſſet Sacramentum) ſolummodò circiter horam antequam prodiret ſumſit hauſtum vini Claretti, & comedit fruſtum panis circiter horam duodecimam.

Inde comitatus à *Doct. Iuxton*, Col. *Thomlinſon* & aliis officiariis, deſtinatis ut Illum comitarentur & privatis cuſtodibus corporis, cum moſquetariis ab utroque latere, ductus fuit per *Domum epularum* adjunctam, ad quam (†) Suggeſtum erat erectum, inter portam Albæ Aulæ, & portam quæ ducit à St Iacobo ad porticum: Suggeſtum undique opertum erat nigro, & ſolum tectum nigro & ſecuris & truncus in medio ipſius ſuggeſti locata. Diverſa vexilla peditum, & turmæ equitum diſpoſitæ erant ab una parte Suggeſti verſus *King ſtreet*, & ab altera parte verſus

(*) *Obſervatum fuit Regem petiiſſe uſum Pinacothecæ, & exigui conclavis juxta illam ubi erant fores graduum.*

(†) *Erat proximè (ſi non in) locum illum, in quo primus ſanguis fuſus in principio poſteriorum turbarum, cum Regis Cavallerii impetum facerent in Cives, occiderent unum & circiter 50 vulnerarent.*

ſus *Charing Croſſ*, & multitudo populi qui venerat ad ſpectaculum, erat ingens.

Rex cum veniſſet in ſuggeſtum, ſeriò intuitus eſt truncum, & interrogavit Col. *Hacker*, an non eſſet ad manum altior; & tunc ita locutus eſt, (dirigens præcipuè Sermonem ad Col. *Thomlinſon.*)

Rex. Perparum audiri potero à quoquam hîc, itaque verbum profabor ad te: poteram utique tacere, niſi putarem quod ſilentium meum, faceret quoſdam opinari, quod tam crimini me ſubmittam quàm pœnæ; verùm duco officium meum eſſe quod debeo primùm Deo, deinde meæ Regioni, me mundo exhibere honeſtum virum, & bonum Regem & bonum Chriſtianum. Ordiar ab innocentia mea; ſanè opinor haud valdè neceſſarium eſſe diu huic inſiſtere. nam Orbis novit me non incepiſſe bellum contra utramque Domum Parlamenti, & appello Deum teſtem, cui brevi rationem ſum redditurus, me numquam intendiſſe deterere quicquam de ipſorum Privilegiis; ipſi orſi ſunt contra me, inceperunt à *Militia*; fatebantur Militiam eſſe meam, ſed idoneum putabant illam mihi adimere; & breviter, ſi cui lubeat inſpicere data commiſſionum, nimirum commiſſionum ipſorum & mearum, atque itidem Declarationum; liquidò videbit ipſos incepiſſe has turbas, & non me; ita ut à noxa enormium illorum criminum quæ mihi objiciuntur, ſperem Deum Me abſoluturum, ego nolo, ſum in Charitate: Deus prohibeat ut illa imputem utrique Domui Parlamenti, non eſt neceſſitas alterutrius, ſpero illos innocentes eſſe ab hoc crimine: credo enim prava Inſtrumenta inter illos & me, principalem cauſam fuiſſe omnis ſanguinis effuſi: & ut per modum loquendi, me liberum ab his agnoſco, ita ſpero & precor Deum, ut & ipſi eſſe poſſint: his non obſtantibus, Deus prohibeat, quod ſim tam

malus

malus Christianus, ut non agnoscam Dei judicia justa esse contra me: sæpe enim is exsequitur Iustitiam per injustam sententiam, hoc est ordinarium; hoc solum dicam, injustam (*Strafford*) sententiam, quod passus sum illam sortiri effectum, nunc puniri, per injustam sententiam erga me; atque hæc dixerim ut ostendam me innocentem.

Nunc ut manifestem me esse bonum Christianum: spero hic esse (innuens *Doct. Iuxton*) bonum virum qui mihi testimonium perhibebit, quod condonaverim toti orbi, atque adeo iis particulatim, qui fuêre præcipuæ causæ mortis meæ; quinam sint, Deus novit, ego non desidero scire, Deum precor ut omnibus condonet. Sed hoc non est totum; oportet Charitatem meam ulterius progredi, opto ut pœniteant. nam revera commiserunt magnum peccatum in eo particulari: precor Deum cum *S. Stephano*, ut hoc ipsis ne imputetur; quinimo, non solum hoc, sed ut possint inire rectam semitam ad Pacem hujus Regni. nam mea charitas præcipit mihi, non solùm condonare particularibus hominibus, sed etiam præcipit me anhelare ad extremum halitum pacem Regni: Itaque (Domini?) opto ex toto corde meo, & spero (sunt quidam hîc qui longius elaturi sunt) quod sint promoturi Pacem Regni. Nunc (Domini) oportet me vobis ostendere, tam *quomodo sitis extra viam*, quàm *quomodo vobis ad illam revertendum sit:* primò, estis extra viam. nam certè via quam hactenus tenuistis quantum potui animadvertere, est *Via Conquestus*. Certè hæc est prava via. nam Conquestus, meo judicio, numquam est justus, nisi adsit bona & justa causa, sive fiat ob subjectum, pravi aut justi Tituli, & si illum excedas, prima prætensio quam habes ad illum, facit injustum in fine, qui erat justus in exordio: sed si sit solummodo Conquestus, tam est grandis rapina, ut pyrata quidam dicebat *Alexandro*, illum

Conversus ad quosdam Generosos qui scribebant.

lum esse magnum raptorem, & se parvulum; atque ita, Domini! opinor viam quam ingredimini, esse extra viam quamplurimum. Nunc, ut vos in viam reducam, credite numquam justum facietis, neque Deus vos prosperabit, antequam detis *Deo* quod suum est, & *Regi* quod suum est (id est meis Successoribus) & *Populo* quod suum est. Tam sum pro iis quàm quisquam vestrûm

Debetis dare *Deo* quod suum est, constituendo ejus Ecclesiam rectè, secundum illius Scripturas, quæ nunc inordinata est: nam vos nunc particulatim reducere in viam nequeo, verùm hoc solum, Nationalis Synodus liberè vocata, liberè disceptans inter se, debet hæc stabilire; cum uniuscujusque opinio liberè & clarè fuerit audita.

Putans illum hebetare aciem.

Quoad *Regem* (sanè nolo; tunc convertens se ad generosum qui tangebat securim, dixit: *Ne læde securim, quæ posset me lædere.*) Leges terræ clarè vos instruent in illo; quapropter quia Me particulatim concernit, tantum obiter attingo.

Quoad *Populum.* Certè tam desidero ipsorum libertatem & immunitatem, quàm quisquam alius. Verùm oportet ut vobis dicam ipsorum Libertatem & immunitatem consistere in Regimine; & illis Legibus, per quas vita & bona possunt maximè esse ipsorum. Non est in habendo partem in Regimine, quod nihil ad eos attinet. Subditus & Princeps superior sunt res planè diversæ; & propterea donec hoc faciatis puto, quod populum inducatis in eam Libertatem, ut ajo, numquam ipsi illâ fruentur.

Domini, ob hanc causam huc veni: si voluissem dare occasionem *Arbitrariæ viæ* mutandi omnes Leges secundum potentiam armorum, non necesse fuisset huc venire; & propterea dico vobis (& precor Deum ne vobis hoc imputet) quod sim *Martyr populi.*

Sa-

Sanè, non detinebo vos diutius; nam hoc ſolùm adhuc dicendum habeo, quod reverà deſiderâſſem paulò longius tempus, ut hæc quæ dixi in meliorem ordinem digererem, quàm feci; & propterea ſpero vos Me excuſaturos.

Liberavi conſcientiam meam, precor Deum, ut eam viam ingrediamini quæ optima ſit ad incolumitatem Regni, & veſtram ſalutem.

Doct. Iuxton. Placetne Majeſtati tuæ (licet notiſſima ſit Majeſtatis tuæ affectio erga Religionem, fieri tamen poteſt ut hoc exſpectetur) aliquid dicere ad orbis ſatisfactionem.

Rex. Animitus tibi gratias ago, mi Domine, ob hoc; pene ejus oblitus fuiſſem. Revera Domini, opinor conſcientiam meam de Religione, ſatis cognitam eſſe toti orbi; & propterea Declaro coram vobis omnibus, me mori ut Chriſtianum ſecundùm confeſſionem Eccleſiæ Angliæ, qualem inveni mihi relictam à Patre. Et hic honeſtus vir (deſignans *Doct. Iuxton*) teſtis erit. Tunc ſe convertens ad Officiarios, dicebat: Domini excuſate me. Habeo bonam Cauſam, & gratioſum Deum; plura non addo. Tum ſe convertens ad Col. *Hacker*, dicebat: Eſto ſollicitus, ne mihi dolores ingerant, ſi tibi placet; ſed quodam generoſo propiùs accedente ad ſecurim, dixit Rex: *Abſtine* à ſecuri, quæſo abſtine à ſecuri. Tum Rex Carnificem alloquens, ajebat: Tantum breves preces fundam, & quando extendam manus, percutias &c. Tunc Rex petiit à *Doct. Iuxton* caputium ſuum nocturnum, & cum induiſſet illud, dixit Carnifici: An capillus meus tibi eſt impedimento? qui petiit ut illum conderet ſub caputio. quod & Rex fecit cum auxilio Epiſcopi & Carnificis. tum Rex ſe vertens ad *Doct. Iuxton*, ajebat: Habeo bonam cauſam & gratioſum Deum pro me.

Doct.

Doct. Iuxton. Reſtat tantum unum ſtadium, turbulentum quidem & moleſtum; verùm valde breve; quod compendio te traducet longiſſimam viam; nimirum à terra in cælum, ibique invenies magnum gaudium & ſolatium.

Rex. Vado à corruptibili ad incorruptibilem coronam, ubi nulla turbatio eſſe poteſt, nulla omnino.

Doct. Iuxton. Permutabis temporalem coronam cum æterna; per bona hæc permutatio.

Creditur, Principi tradendum.

Rex. Tum dixit Carnifici: An capillus meus bene ſe habet? tunc Rex depoſuit pallium ſuum; & Inſigne Georgii quod dedit D. *Iuxton*, inquiens: Reminiſcere &c. Tunc Rex depoſuit Thoracem ſuum, & reſumſit pallium; tunc intuens truncum, dixit Carnifici: Oportet ut illum firmiter componas.

Carnifex. Iam firmus eſt.

Rex. Potuiſſet eſſe paulò altior.

Carnifex. Non poteſt jam eſſe altior.

Extendens illas.

Rex. Quando extendam manus hanc viam; tunc &c. Poſt illa, cum dixiſſet duo aut tria verba (ſtans) intra ſe manibus & oculis elevatis; immediatè inclinans ſe, impoſuit cervicem trunco: & cum Carnifex denuo conderet ejus capillum ſub caputio, Rex dixit: Exſpecta ſignum.

Carnifex. Ita faxo, ſi placet Majeſtati tuæ. Et poſt paulum, Rex extendit manus; & mox Carnifex uno ictu ſeparavit caput à corpore.

Sic tranſit gloria Mundi.

F I N I S.

RESPONSVM
PERNECESSARIVM
AD

Declamationem Seu Provocationem

Mr IOANNIS COOKE.

Auctore I. V. A. R.

RESPONSVM
PERNECESSARIVM
Ad
Declamationem ſeu Provocationem
Mr Ioannis Cooke.

Auctore I. V. A. R.

MIrum cuivis videri poſſet, in quemquam, non dico Chriſtianum, ſed hominem cadere potuiſſe tantam ferocitatem & truculentiam, quantam *Ioannes Cocus* in ſua *Provocatione* (ut vocat) *ad omnes homines rationales, amantes Dei Iuſtitiæ & Patriæ*, nuper prodidit: qui ignoret plerorumque legulejorum Angliæ (bonos non attingo) intolerabilem faſtum, & rabularum forenſium, immodeſtam, crudelem & ſævam loquacitatem: Hos tamen omnes *Cocus* hic multis paraſangis antecedit. Nam cum omnium fidelium ſubditorum oculi adhuc maderent à triſtiſſimo illo ſpectaculo, maleferiatus hic ſcurra in ſcenam proceſſit ovabundus; & tanquam re bene geſtâ, illegitimis & atrocibus Iudicibus gratulatur ſimul & adulatur. Vocat enim eorum facinus, maxime *comprehenſivam* (quid hoc ſibi velit, fateor me ignorare) *impartialem & glorioſam Iuſtitiam:* quâ nulla umquam extitit iniquior aut deteſtabilior poſt homines natos, & cujus ne unum quidem exemplum in omnium ætatum Hiſtoriis eſt legere. Nam etiamſi daretur, Populo Angliæ jus fuiſſe Regem ſuum judicandi, (quod tamen longè ſecius ſe habet, ut ab iis qui Legum Angliæ peritiſſimi ſunt liquidò eſt demon-

ſtratum, & imprimis ab *Eduardo Coco*, quem, Oraculum Legum ipſi vocant) etiamſi inquam, hoc daretur: ubi erat populus ille Angliæ, aut Illius deputati, cum jam dudum maximè illuſtriæ membra utriuſque Domus, Domos deſeruiſſent & Communium, quos prætendunt potiſſimum Populum repræſentare, alia quidem membra circiter quadraginta per violentiam Exercitus, in varios carceres eſſent concluſa, & penè centum alia haud ſpernenda membra eſſent ſecluſa & à Conventu arcerentur: tota Domo Parium conculcata & abrogata. Si Rex alicui Tribunali ſiſtendus erat, haud dubio à Paribus ſuis (quos tamen Illum habere nemo è legibus Angliæ umquam probabit) fuiſſet judicandus. Et tunc Ipſi non potuiſſet negari, quod etiam viliſſimo cuique in Anglia conceditur, rejicere omnes eos judices & Cognitores, quos noverat capitales eſſe ſuos inimicos, & ſanguinem ſuum jam diu avidiſſimè ſitire. Et tamen tu eò impudentiæ prolabens, ut Tribunal illud *impartiale* voces, cùm conſtet vix unum in eo conſediſſe, qui non diu de Rege præjudicâſſet, eumque prædamnâſſet, aut ſaltem etiam tunc Illum accuſaret. Tu ipſe, cum Accuſatoris partes tibi traditas à tui ſimilibus, avidè ſuſcepiſſes, à Damnatione ordiris, criminibus nondum propoſitis, multò minus probatis aut demonſtratis. Et cum hoc maximè controverteretur, quis bellum orſus fuerit, è quo calamitates illæ publicæ fluxerunt; quaſi jam liqueret Regem illud bellum moviſſe atque intuliſſe, omnium illarum calamitatum invidiam & culpam in Regem derivas. Sed de his poſtea plura erunt dicenda: interea illud prætereundum non eſt, quod omnem atrocitatem in illa tua Declamatione ſuperat, quod dicis: *Si decies mille vitas Rex haberet, non poſſe illas ſatisfacere, pro horrendis & barbaris cædibus myriadum & legionum innocentium per-*

perſonarum, quæ Ipſius mandatis & commiſſionibus inhumaniter & crudeliter cæſæ fuerunt. Dolet utique tibi, quod Rex tantum unam habuerit cervicem, & optares decies mille illi cervices fuiſſe, ne una ſecuri detruncari poſſent. Credo te in Anglia quidem natum, ſed in Hyrcania à tygribus lactatum. neque enim aliter dictum tam ſævum & atrox ex impuro & ſævo tuo ore potuiſſet prodire.

Sed bene habet (quod miror equidem tibi imprudenti excidiſſe) quod poſtquam dixiſſes Regis mandato & Commiſſione tot myriades hominum trucidatas fuiſſe, addas, *aut ſaltem quod potuiſſet impedire, ut omnis Orbis neceſſario debet judicare.* Cœperas amphoram inſtituere, ſed currente rota exit urceus: nec deſinis tamen paratragœdiari & omnia maledicentiæ tuæ vela explicare: *Anglia facta eſt Akeldama, Irlandia terra Iræ & miſeriæ:* has inſulas hîc non bene connecti quivis videt & alluſiones has eſſe perturbati tui cerebri excrementa. Sed quis quæſo toti Orbi neceſſitatem impoſuit tuis mendaciis credendi, quibus nulla fides haberi aut debet aut poteſt. Nam primò, quod ad Angliam attinet; non magis erat Regis illas impedire, quàm Parlamenti: utriuſque fidei Reſpublica credita erat: & è calamitatibus illis Parlamentum commoda cepit, Rex damnum. Rex tantum exiguas copias ad cuſtodiam ſuæ perſonæ & defenſionem dignitatis ſuæ comparaverat in illa Provincia, ad quam excluſus Palatio ſuo & Metropoli confugerat; Parlamentum totum Regnum conturbavit, & in loco, in quo nihil ipſis metuendum erat, ſine ulla neceſſitate, integrum exercitum comparavit: quid tandem impedimenti Rex hîc potuit objicere? ſanè nullum; uti ex iis quæ poſtea acciderunt, ſatis liquet: iis qui in Parlamento dominabantur, hæc omnia præmeditata fuêre, quorum invidia nunc in Regem rejicitur. Leviſſimum

obſequium Regi præſtando, qui jam plurima & maxima indulſerat, ut Parlamentum & populum demereretur; omnes hæ calamitates facilè vitari potuiſſent. Interea hic Rabula non animadvertit, ſecretam Dei providentiam, ob peccata haud ignota, calamitates has populo Angliæ inflixiſſe: nimirum ob Religionis levem curam, luxum, longæ pacis mala, omnium aliarum Nationum contemtum & arrogantiam planè intolerabilem. Nullum ſanè bellum externum magnoperè metuendum erat, civile, quod omnium longè miſerrimum eſt, Parlamentum aut ſaltem ſeditioſi illi, qui in illo omnia pro arbitrio verſabant, ultrò acciverunt; quod tu Regi omnium immeritiſſimo imputas.

Quod autem Rex dixerit, *ſe non turbari ſanguine in Angliâ effuſo*; quod tu hîc odioſè traducis; id ſi candidus & æquus accedat interpres, non arguit Regem minimè affectum fuiſſe effuſione tanti ſanguinis; ſed conſcientiam ejus ſiquidem bellum magis retuderat quàm intulerat, non fuiſſe propterea turbatam: cum non levis ſcrupulus hæreret de unius Straffordiæ Com. ſanguine, quem innoxium, aut ſaltem non mortis reum, reluctante conſcientiâ Parlamentariorum libidini, & plebis clamoribus indulſerat. Vide quæ rex ipſe hac re dixit in Meditatione ſua ſecunda. Addis deinde mala fide, Regem *Oxonii* cum ipſi Catalogus eſſet oblatus quinque aut ſex millium cæſorum in prælio ad *Edge-Hill*, non magis affectum fuiſſe, quàm ſi Tragœdiam aliquam *Ben-Iohnſons* legiſſet: & tanquam illud evidentiſſimè probâſſes (adeò confidens & pertinax es in mentiendo) convertis te ad Regiarum partium milites & paratragœdiaris quaſi & ipſos viles animas Rex duxerit qui pro Ipſo vitas ſuas profuderant. Non eſt dubium quin & in illo prælio multi Regiorum occubuerint; quorum

cæ-

eædem nihil Regem affeciſſe, tibi vis credi: Sed quis aut hoc aut illud tibi credat, qui mendacibus tuis ampullis omnes obtundis? Quid quæſo Rex impetrâſſet ab illo Parlamento, quod poſt tot beneficia ipſi indulta, nihil Ipſi niſi exitiale odium rependit, & hoc unicum egit, ut Illum & Poſteros ejus, omni poteſtate privaret, ut poſtea manifeſtè patuit, ſiquidem ne vitæ quidem Illius pepercerunt. Sed jam tempus eſt, ut ad ſingula crimina, quæ objicis, veniamus.

Atque hîc, antequam ad ipſa crimina deſcendas, longâ & verboſa digreſſione quædam præſtruere conaris, è quibus deinceps principale crimen facilius poſſes deducere; quod ſi bene te capio, eſt, quod Rex voluerit & conatus ſit, antiquum regimen mutare, & fundamentales Regni Leges evertere. Primò dicis, *Regi concreditam poteſtatem regendi ſecundum Leges*; quis concrediderit hîc, non dicis: nobis haud dubium eſt, quod à Deo illam acceperit; ſiquidem, ut Apoſtolus loquitur, *nulla poteſtas eſt niſi à Deo:* (Vnde & tibi jam ante excidit, *Illum veſtræ Nationi datum à Deo Regem, ſed in ira.*) Deus autem Poteſtates non abſolvit ab obſequio Legis ſuæ, ne quidem Naturalis, cujus reliquias, in hominibus poſt lapſum ſupereſſe voluit, ad ſocietatis humanæ bonum; de his itaque non controvertitur: Sed tu qui Iurisconſultus es, non ignoras poſitivarum Legum & conſuetudinum longè aliam eſſe rationem, quæ & variant in diverſis Nationibus, & in uno eodemque Regno figi & refigi poſſunt, & ſæpius illas vices patiuntur, ob varias cauſas. Non tamen negamus Regem etiam ſecundum has, quandiu obtinent, regere oportere. Sed ex eo non ſequitur Regem ipſum non eſſe ſupra has leges poſitivas, quatenus nihil divinæ Legis aut Naturalis manifeſtè implicitum habent, ſiquidem illas fert & abrogat, cum rationes

Rei-

Reipub. hoc exigunt, & ſalus Populi ita poſtulat; unde & *Fons Legum* à conſultiſſimis veſtrûm appellatur: eſt & ſupra omnem Legem eatenus quatenus licet illam tranſgrederetur, à nemine puniri poſſit niſi à ſolo Deo: Itemque quod ſolus habet poteſtatem pœnas etiam nocentiſſimis condonandi. Verum boni Principes hac prærogativâ rariſſimè utuntur. Iuriſconſultorum Angliæ magnus in hac parte eſt Conſenſus, uti & Hiſtoricorum, uno ore teſtantium *Regem Angliæ Monarcham eſſe in ſuo Regno, & tam bono jure imperare, quàm qui optimo:* teſtimonia hîc congerere nimis longum eſſet: Iuramentis illis contentus ero, Supremitatis & Fidelitatis, quæ tu, quæ omnes qui ad Parlamentum umquam admiſſi ſunt, jurârunt: in quorum utroque diſertè aſſeritur, Regem habere merum & abſolutum Imperium, atque adeo Monarchicum, *in omnibus cauſis, & in omnes perſonas, tam Eccleſiaſticas quàm ſeculares.* Verba tam clara ſunt, ut nullæ tenebræ offundi poſſint.

Hæc cùm tam clara ſint, quàm Sol cum lucet ipſo meridie, homo impudens, putat ſe poſſe evadere teſtimonio unius *Forteſcuæ* Cancellarii Henrici V I. quaſi hîc ageretur de re levi & non de toto Regis peculio, cùm ne in re quidem leviſſima unius authoritas aliorum omnium authoritati poſſit officere. dicit Cancellarium hunc haud voluiſſe Principis ſui prærogativæ deterere: eſto, nos idem credimus: ſed an non homo fuit, & errare potuit? atque adeò inſigniter hallucinatus eſt, contra omnium & antecedentium & qui ipſum ſequuti ſunt, Iuriſconſultorum conſtantem ſententiam.

Extra controverſiam eſt, magnam eſſe differentiam inter abſoluta imperia & mixta: Sed quis præter illum umquam dixit Angliæ Imperium mixtum eſſe aut electivum?

omnes

omnes agnoſcunt tam abſolutum eſſe quàm Franciæ aut Hiſpaniæ; nihil eſt certius. Hæc controverſia primùm mota fuit in hoc Parlamento, quod ut ſibi poteſtatem & juriſdictionem in Regem, atque adeò omnem Regis Majeſtatem uſurparet, hoc monſtrum peperit.

Per quod omnes fundamentales Regni Leges everterunt & *arbitrarium regimen* ſibi aſſumſerunt, quod in Rege tam odioſè exaggerant, & ad quod Ille numquam adſpiravit: numquam tributa Populo indixit ſine Parlamenti aſſenſu, aut conſilio Iudicum Angliæ; qui optimè ſcire poterant & ſciebant quid juris eſſet & quid Lex Terræ permitteret: numquam novas Leges tulit aut veteres abrogavit niſi rogatus à Parlamento: quod tamen ab hoc Parlamento factum conſtat: ſiquidem Epiſcopale Regimen quod in hoc Regno ab ipſo exordio Chriſtianitatis obtinuerat, & ab omnibus antecedentibus Parlamentis, adeoque iis quæ ſub Reformatis Principibus Eduardo VI. Eliſabetha, Iacobo, habita fuêre, confirmatum fuerat, funditus ſuſtulit, invito Rege, cum nondum inter eos de alio certo Regimine Eccleſiaſtico conveniſſet. E quo tanta perturbatio & confuſio in Eccleſia nata fuit, tot hæreſes aut veteres reductæ, aut novæ ortæ, tot Schiſmata & profanationes prodierunt, ut horreat animus vel de illis cogitare. Iudices omnes, Iuſticiarii Pacis, cum quibus Rex authoritatem ſuam ex parte communicat, *delegatam* habent poteſtatem, non *abſolutam*, illam enim Rex à ſe abdicare non debet aut poteſt: & Rex ſinit illos liberè munia ſua obire, ſibi ſolummodò reſervans rationem exerciti muneris ab illis exigere, ipſe nullam partem miniſterii ipſorum interea attingit. Idem quoque fit in Regnis, quæ Monarchica eſſe extra controverſiam eſt. Itaque ex his nihil contra abſolutum Regis Angliæ imperium concludi poteſt.

Nam quod hîc *Cocus* dicit, quod oporteat Anglos quotannis aut ſæpius, ſi opus ſit, Parlamentum habere, gratis dicitur & contra conſuetudinem Regni & perpetuam omnium ætatum praxin. Regis eſt vocare Parlamentum, cum neceſſarium judicat: Regis idem procraſtinare & in alium locum & tempus differre: Regis eſt idem diſſolvere cum lubet: neque quiſquam antehac de eo Regi movit controverſiam, aut jus illius in dubium vocavit ante hoc Parlamentum. Si potes, da vel unum exemplum Parlamenti, quod ſine vocatione Regis aut Regni Protectoris ritè & jure convenerit. Sunt quidem exempla pauca damnatorum conventiculorum, quæ per ſeditiones & tumultus tale quid uſurpârunt, è quibus tam horrendæ confuſiones, tam exitioſæ calamitates in Regnum redundârunt, ut eorum memoria deteſtabilis omnibus eſſe debeat, & nequaquam imitanda.

Pergis jam ad Iuramentum quod Rex in coronatione ſua præſtitit, quod cuſtodire vellet Pacem Nationis & adminiſtrare juſtitiam omnibus, & obſervare Leges quas Populus habet. Et hîc primò accuſas Archiepiſcopum, quod caſtraverit Iuramentum, & has voces omiſerit conſuetudines *quas Populus elegerit*: In juramento quod Rex ſe præſtitiſſe dicit hæc ita concipiuntur, *Leges & conſuetudines confirmatas à Regibus Angliæ, legitimis & religioſis noſtris Prædeceſſoribus.* Quis paulò æquior non videt, nihil eſſentiale hîc eſſe mutatum aut interpolatum? Nemo ſanè ignorat, neque Legem neque conſuetudinem valere & obtinere poſſe ſine conſenſu Regis, aut Magiſtratus alicujus: neque enim uſquam terrarum ullus populus (de barbaris & feris gentibus non loquor) reperitur, qui non ab aliquo Magiſtratu leges & conſuetudines accipiat: ne in ipſis quidem Democratiis populus ſibi leges aut conſuetudines

dines eligit. Ip e Populus Romanus cum liberrimus esset, Senatusconsulta sua habuit: & in Regno Angliæ, ut ad illud revertamur, numquam ulla Lex aut consuetudo obtinuit nisi Reges confirmâssent. Neque aliter fieri posse ratio ipsa evincit. Quinimò Parlamentum haud aliter hanc potestatem leges condendi & abrogandi sibi arrogat, quàm per modum Senatus. si enim in universo Populo hæc potestas esset, non paucos Delegatos, sed singulos necesse esset concurrere. Accedit quòd nulla umquam Lex in Anglia perlata fuerit, præterquam à Rege & Parlamento tanquam consilio illius. Nam Rex semper habuit *vocem negativam*, id est habuit potestatem assensum suum negandi, sine quo assensu nulla Lex, nullum Actum Parlamenti umquam fuit perlatum. Vide porrò, quàm iniquus censor sit hîc *Cocus*, & quàm durus vindemiator, qui odio Regem studet vincere. Dicit primò, *Archiepiscopum non ausurum fuisse* hoc *facere sine speciali Regis mandato*. Cur ergo hîc tam odiosè & graviter ob hoc fuit accusatus? si Regi suo paruit, ipse non deliquit. Quanquam ullum speciale Regis mandatum fuisse haudquaquam sit verisimile. Deinde addit, haud levis mihi suspicio videtur, *Regem jam tum in animo habuisse mutare & subvertere fundamentales Leges & introducere arbitrarium & Tyrannicum Regimen*. Si hoc verum esset, (uti longè falsissimum est) debuisset utique totum illum paragraphum de legibus & consuetudinibus à Regibus Angliæ indultis tollere, verùm cùm promittat se illas confirmaturum & observaturum, luce clarius liquet, Regem nihil tale in animo habuisse, quale hîc *Cocus* illi affingit. Quis potest esse innocens, si suspiciones malè animatorum hominum in partem veniant argumentorum? Totum quod hîc infertur calumnia est *Coco* digna. Dicit tertiò, *omnem potestatem*

originaliter esse in populo, & extremè ignorantem, improbum & sui inimicum esse oportere, qui hoc neget. Hæc sanè doctrina planè nova est & paradoxa, neque metuo ne quis rerum humanarum gnarus me ignorantem aut improbum existimet, si *Coco* hac in parte contradicam: Populi est regnari & imperia pati, Regum & aliorum Magistratuum regere; neque hanc potestatem habent à populo, qui dare non potest quod non habet, sed à Deo, nisi forte Paulo non credas disertè dicenti, *Quisquis resistit potestati, Dei ordinationi resistit*; Neque tamen ex eo sequitur Regi licere quod lubet, aut lubidinem ejus esse pro Lege. Absit! numquam Rex ita sensit, aut sibi hoc usurpavit.

Rom. 13.

Optimè intellexit, se Deo minorem esse, utcunque sit superior Populo. Sed omnem impudentiam superat, quod notissimum Sacræ Scripturæ locum, in quo Deus Reges vocat *Deos*, haud aliam ob causam, quàm quod Dei imaginem ferant in Terra, &, ut recte dixit Tertullianus, *solo Deo sint minores*: tu interpretaris de Diabolo, qui Deus hujus Mundi appellatur. Improbitatem autem omnem longè antegreditur, quod è fertili suspicionum tuo cerebro comminiscaris, Regem coram tribunali, cum unum adhuc locum vellet afferre ad authoritatem prætensi tribunalis refutandum, in animo habuisse producere locum illum 1 Samuel. VIII. quod minus verisimile est; siquidem hoc non agebatur. De loci explicatione non disputo. Interea ostendis, te non meliorem esse theologum quàm politicum, cum dicis, *Saulem* & *Davidem* habuisse extraordinarias vocationes. meliùs dixisses, extra ordinem vocatos fuisse, si sequentia tempora spectentur quibus regnum in familia Davidis per descensum est confirmatum, & hoc quoque à Deo, non à populo. Quanquam si animadvertamus, Deum ipsum rexisse populum suum, nunc

per

per duces, nunc per Iudices, nunc per Prophetas, quos ipſe vocabat; ne ſic quidem quicquam extra ordinem factum à Deo in vocando *Saulem* & *Davidem*. Magiſtraliter autem definit *Cocus*, omnes Reges Ethnicorum, omnes Monarchas, Tyrannos fuiſſe. Credo ſanè hunc hominem non intelligere, quid Tyrannum, prout hodie hæc vox accipitur, faciat. Similem ignorantiam, vel potius improbitatem ſapit, quod dicit, *Reges omnes qui per conqueſtum regnum obtinuerunt*, couſque eſſe tyrannos, donec à Populo eligantur, & licet ſit per deſcenſum, non eſſe niſi continuationem conqueſtus, donec populus conſentiat & voluntariè ſe regimini ſubmittat: *ſunt*, inquit, *tantum mancipia, & licet illis ſe liberare, ſi poſſint.* Videte quæſo quò tandem evadat. Ne Angliam adhuc excedamus, quo jure veteres Britanni uſi ſint haud certò conſtat; Reges habuiſſe haud dubium eſt: Anglo-Saxones per conqueſtum regnum obtinuêre, & Normanni ad eundem modum: oſtendat nobis *Cocus* vel tenuem umbram ullius electionis à Populo factæ, & magnum aliquid præſtiterit. Præter Dei ordinationem quæ ſuprema cauſa eſt omnis principatus & poteſtatis, haud obſcurum eſt iis, qui vel leviter principia Politica guſtârunt, Patres in familiis ſuis huic regimini præluſiſſe, deinde familiis jam multiplicatis, in Primogeniti familia principatum hæſiſſe, atque ita denique integras nationes regnatas, & hæc quidem ſecundùm ordinem: extra ordinem verò, rupto fœdere, aut alias ob cauſas, alios ab aliis ſubjugatos. De quibus Politicorum libri plura. Ad *Cocum* redeamus; qui tam ignarus eſt vicini Regni, quàm natalis ſui: ut dicat Franciæ Regem regnum ordiri à Coronatione: oportet ergo inter regna intercedere, quæ nulla in Francia nec in Anglia agnoſcuntur: defuncto enim Rege immediatè ſuccedit primogeni-

tus, & licet adhuc infans ſit, & nondum coronatus, tamen ejus nomine omnia in Regno peraguntur; quod te tantum Iuriſconſultum ignorare, ſummi ſtuporis indicium eſt. Philoſophatur deinde quædam, quæ non ſunt unius aſſis. Illud autem minimè prætereundum eſt quod hominis ſeditioſam inſaniam ſatis arguit: *è quibus*, inquit, *infero, Turcas, Tartaros, Muſcovitas, Francos, Hiſpanos & omnes populos qui vivunt ſub Tyrannico Imperio, poſſe & debere ſe in libertatem vindicare ab illa Tyrannide, ſi & cum, poſſunt.* En tubam ſeditionum & rebellionum! Quaſi domi jam omnia quieta & tuta eſſent, transvolat in vicinam Franciam & Hiſpaniam, & ſuadet ſubditis jugum regium excutere, quantum poſſunt. Nihil niſi ſeditiones & cædes crepat. Ego verò potius author eſſem Anglis, ut ſe liberare maturarent à ferreo jugo eorum Tyrannorum, qui illis impotenter dominantur, & in vitas & fortunas hominum tam immaniter ſæviunt, antequam nimium invaleſcant: *nam* (ut tibi verba tua reponam) *tales Tyranni qui virgâ ferreâ dominantur, non gubernant per Dei approbationem aut benedictionem, ſed permiſſionem, tolerantis illos flagellare populum, ob fines ipſi cognitos, donec populo viam aperiat ſe in libertatem vindicandi.*

Poſtquam è Cerbereo ſuo ore has flammas ſeditionum evomuit, regreditur ad crimina Regis, & primò conatur probare, Regi inde ab initio Regni propoſitum fuiſſe fundamenta regiminis evertere, & adfert has rationes.

Primò, *quia non præſtitit Iuramentum tam plenè quàm Prædeceſſores ſui, ut ſi quando Parlamentum requireret ipſius aſſenſum ad bonas Leges reſpondere poſſet quod ſe juramento non obligâſſet ad confirmandum & roborandum eas.* De Iuramento jam reſpondimus: & periti Legum Angliæ jam dudum. Sed cùm Parlamentum hoc duraverit ſupra annum & tres menſes, antequam

tequàm Rex invitus ab eo recederet, cui bonæ Legi negavit ſuum aſſenſum? id oportebat te demonſtrare: ſed non potes; ſiquidem & talibus aſſenſum præbuit, quas non plene probabat, ut Parlamentum in officio contineret. Res notiſſima eſt.

Secundò: *quod inhoneſtè & perfidè cum populo egerit in ſua coronatione, edens proclamationem, quod ob peſtem tum ſparſam per Regnum, diſpenſare vellet cum illis Equitibus, qui per vetus Statutum coronationi Regis adſiſtere tenebantur; ſed poſt paucos menſes, abſentes mulctâſſe, & cùm illi ſe defenderent per dictam proclamationem, reſponſum fuiſſe Legem terræ eſſe ſupra quamvis proclamationem.* Tam parum penſi habes quid dicas & tam licenter mentiris, ut tibi tutò credi non poſſit. Proclamationis verba apponere debueras, quæ rem dubiam explicâſſent. Et ſi quid tale reſponſum fuiſſet, quod tamen non liquet, hoc ſanè manifeſtè probaret, Regem retinentiſſimum fuiſſe veterum Legum. Sed tam ſtolidus es, ut non videas, hoc contra te facere.

Tertiò: *Quod mutaverit Patentes & Commiſſiones Iudicum, quibus cum ante loca ſua indulgerentur, quandiu ritè officio ſuo fungerentur, Rex illos ad placitum ſuum fecerit.* Nullum equidem hîc crimen animadvertet æquus Regiæ mentis interpres. nam haud dubiè Rex intendit illos ſine ignominia loco ſuo movere, quod fieri non poterat, ſi aliqua culpa ipſis objicienda foret. Sed tu iniquiſſimus, ut in aliis, ita & in hoc Regiæ mentis interpres, id ita explicas, quaſi Rex intenderit Iudices loco movere, cùm Leges non ſecundum illius nutum interpretarentur. Atque hîc rurſus debaccharis in cerebri tui malè ſani monſtrum, non in mentem Regis, quam talem fuiſſe, numquam poteris demonſtrare.

Quam improbè autem hîc retices Regem id ad petitionem

nem Parlamenti mutâſſe, & vetera verba reſtituiſſe, ut è Regis oratione in Parlamento habito liquidò patet. Interea non nego magnum eſſe vitium, quod Iudices loca ſua emant, quare & ſublatum vellem, ſed illud jam in omnibus pene Regnis ita in conſuetudinem abiit, ut difficulter tolli poſſit. Vt autem crimen hoc in Rege probares, ita ut tu explicas, demonſtrandum erat Regem aliquando Iudicem aliquem loco moviſſe, qui ſecundum judicium ſuum & conſcientiam Legem aliquam aliter explicaverat, quàm Rex voluiſſet. Certus equidem ſum, te nullum tale exemplum poſſe producere. Neque tam vulgare eſt in Anglia, loca judicaturæ emere; ſed Rex ea plerumque benemeritis confert gratis. Addis præterea, propoſitum Regis evidentiſſimè & irrefragabiliter ex eo demonſtrari, *quod irrequietè deſideraverit deſtruere Parlamenta, aut infructuoſa facere.* Atque id conaris probare ex eo quod quatuor prioribus Regni ſui annis, tria aut quatuor Parlamenta, fuerunt, quæ tantùm ſubſidia in Regis ærarium contulerint ſed paucas bonas tulerint leges. Quis prohibuit ne plures ferrent, hoc dicendum fuerat. nam libera fuiſſe, ut antè, nemo jure negaverit. nec tu hoc quereris. Sed graviter quereris de Parlamento IV. Car. habito, & intempeſtivè, ut tu judicas, diſſoluto: & quod *Ioannes Eliot* & alii (qui inſtituerant Collationem cum Domo Parium contra Ducem Buchingamiæ, qui inter alia accuſabatur R. Iacobum ſuſtuliſſe) incarcerati fuerint in Turri Londinenſi, ubi & ille ſqualore & mœrore vitam amiſerit. Pax mihi eſt cum mortuis, itaque de Elioto illo nihil dicam, niſi quod judicio Banci Regii, publici tribunalis, in carcerem fuerit miſſus: & plura ejusmodi exempla ſub aliis Principibus edita fuerint, de quibus nemo meritò queſtus fuit. Recordor in illo Parlamento quosdam cœpiſſe rebus novis ſtudere, &

in-

inſolenter, ne dicam turbulentè ſe gerere; nec cauſa ignota eſt: Rex Iacobus ærarium valdè exhauſtum reliquerat, & magnæ expenſæ Novo Regi fuerant faciendæ, nec ſatis liberaliter à Parlamentis fuerat ſuccurſum: & quod rei caput erat, multi Patrum ſperabant Regi (ſicut & ipſi Regi Iacobo) quædam extorquere quibus Prædeceſſores ſui gaviſi fuerant: qui illo tempore rebus agendis interfuerunt, ſatis intelligunt quid velim. Et hæc non tam ſecretè agebantur, quin quotidie ad Regis aures acciderent: hinc illæ lachrymæ! nam Regi tutum non erat gliſcenti tumultui moram concedere, ne invaleſceret & erumperet in ſeditionem, quare prudenti conſilio Parlamentum abrupit: non ullo Parlamentorum odio, ſed ſuæ & publicæ tranquillitatis cauſâ. Sed *Cocus* aliò tendit, & carioſam illam de morte Patris accuſationem, per ambages quasdam in ſcenam reducit, qua accuſatione nihil inficetius aut calumnioſius fingi poteſt. Parricidiis diu nulla pœna conſtituta fuit, quia ſuſpicabantur neminem tam impium futurum. Et perquàm pauca ſunt illius exempla: de Rege autem hoc ſuſpicari longè improbiſſimum eſt: nemo repente fit deterrimus: & illius vita anteacta & pietas in parentem, Illum facile ab eo ſcelere abſolvunt. Pudere debuerat eos qui primùm objecerunt. Sed videamus quàm licenter *Cocus* hic evagetur. Ait, *Regem optimè nôſſe quomodo ad Coronam venerit, Deum & conſcientiam ejus hoc non ignorare.* Novit ſanè, ſe legitimè Regnum adiiſſe ut proximum ſucceſſorem atque hæredem, numquam molitum, aut fieri paſſum, quod Patri mortem acceleraret, ſui amanti, & cujus obitus, quæ erat Regis Iacobi valetudo, diu differri non poterat. *Sed*, inquit Cocus, *notum erat in Palatio & obſervatum, Regem profeſſum fuiſſe inimicum Buckingamii*: quàm hoc verum ſit neſcio, potuêre æmulationes quædam inteceſſiſſe inimicitiis

non ſatis liquet. Sed fuerint ſanè, miti & amabili Regis ingenio imputandum eſt, quod illas poſt obitum Patris condonaverit; potiſſimùm autem quòd omnium Parentis ſecretorum conſcium, ſibi neceſſarium judicabat: ita æqui judices interpretantur. Si autem inimici erant, quomodo auſus fuit Dux conſilium de tollendo Patre Filio communicare, & tam luculentam occaſionem illi tradere ad ipſum perdendum? hoc nobis ediſſeras velim, *Coce!* quamquam Proteus ſis & te vertas in omnes formas; certus ſum te nihil hic comminiſci poſſe, quod prudentioribus poſſit probari. Verùm tu, cui nihil niſi atrox & ſævum placet, longè aliter hæc interpretaris. Aſſeris enim Regem Duci repente reconciliatum ob mortem Patri acceleratam: & ſuſpicionem tuam corroborare niteris ex Hiſtoria jam toties refutata, ut truculenta tua malitia & improbitas manifeſtè ſe prodant. Breviter defungar Buckingamio. neque enim Apologiam pro ipſo ſcribimus, Regem defendendum ſuſcepimus. Capitales erant inimicitiæ inter Ducem & Briſtolienſem Comitem, ex æmulatione, quæ inter Aulicos in gratia Regis florentes, oriri ſolet. Itaque hic cum in Parlamento potentior eſſet, ut ille in Palatio: Articulos aliquot formavit contra illum, ut ipſum perderet; inter quos erat decimus tertius de morte Regis Iacobi maturata, ut *Cocus* hîc dicit, verùm ut alii aſſerunt, & quidem ex ipſo Articulo; non quòd Regis mortem voluiſſet accelerare, ſed quòd improvidè & audacius emplaſtrum applicuiſſet, quòd illam accelerâſſe credebatur: paulò æquiores audaciam & imprudentiam in hoc facto agnoſcent, non autem voluntatem Regem enecandi. nam veniet illis in mentem, *cui bono?* vigebat in ſumma gratia Regis Iacobi, de ſucceſſoris ſimili gratia meritò dubitabat. Inhumanum itaque & ſævum fuerit opinari, ducem voluiſſe Regem

gem ſublatum, cui ſoli ſuam magnitudinem debebat. Interea cautè ſilet *Cocus*, longè majores & manifeſtiores cauſas fuiſſe, quæ Regem Carolum moverunt ad Ducem protegendum. Nam Rex ipſe, non per illum Articulum (qui leviſſimus omnibus tum videbatur, & tantùm ad invidiam Duci conciliandum aſſutus erat,) ſed per reliquos petebatur, ut omnibus qui Articulos accuratè legerint luce clarius patebit. Atque hinc factum eſt, ut Rex Parlamentum illud diſſolveret, ne præter officium ſuum arcana Imperii propalarent, & iis ſe ingererent quæ nihil ad eos pertinebant, uti reſponſo, quod Rex dedit iis qui Articulos obtulerant, manifeſtum eſt, cujus illi qui tum interfuêre optimè poſſunt reminiſci. Et memini ſanè me multorum Parlamentariorum non modò murmura ſed & minas tunc audire. *Cocus* autem hic, tanquam re liquidò probatâ, cùm ipſe imprudens fateatur, tantum *ænigma* eſſe, in ultimo demum judicio intelligendum, varia hinc deducit Poriſmata, quæ nullo fundamento nituntur, ut in re incerta & ænigmatica.

Sed adjicit *Cocus*, Parlamento anno IV Caroli ad hunc modum diſſoluto, Regem promulgâſſe & edixiſſe, ne quiſquam illum moveret ad Parlamentum vocandum: (quod vix credibile eſt. erat enim in Illius poteſtate vocare) *atque adeo duodecim annis nullum vocâſſe, cum affirmaret ſibi non deeſſe media ærarium implendi ſine ope Parlamentorum.* Graviſſimas Regi cauſas fuiſſe ob quas Parlamenta ejusmodi, qualia tunc erant & antè fuerant, odiſſe poterat, nemo ignorat, jam tum enim cœperant, Prærogativam Regis, quæ illi Legibus debebatur, arrodere, & ulterius proceſſiſſent, niſi Rex prudenter prævortiſſet.

Atque hinc porrò *Cocus*, odioſè exaggerat exactiones à Rege factas duodecim illis annis, per Patentes & Mono-

polia: aliter ſanè non potuiſſet ſuis & Regni neceſſitatibus ſuccurrere: utraque via jam trita erat, & ſub regno Eliſabethæ & Iacobi uſitata, non à Rege hæc primùm inventa. Monopolia nolim defendere omnia, quanquam quædam interdum neceſſaria ſunt, & ubique penè uſitata. Sed quod ad alterum attinet, impenſas nimirum in Claſſem, quod tributi genus *Ship-money* vocant, notiſſimum eſt omnibus quàm prudenter & legaliter Rex egerit, antequam illud indiceret; conſultis antè Iudicibus maximè Illuſtribus & Iuris Anglicani peritiſſimis, qui uno ore affirmârunt Regi licere tributa indicere, cum ſalus Regni periclitatur, & quidem Illius ſolius eſſe de neceſſitate & periculo judicare utpote cui Arcana Imperii notiſſima eſſent & cui potiſſimùm incumberet ſalutem Regni procurare. Ea enim ipſi concredita eſt, & malè faceret ſi illam negligeret. Dictator eſt in regno ſuo, ipſi videndum nequid detrimenti Reſpub. capiat. Sed *Cocus* fingit ſibi objectionem; *Iudices & pravos Conſiliarios, & non Regem culpandum, ſiquid peccatum fuerit:* & reſpondet tria: Primò, *Improbos illos & corruptos Iudices creaturas Regis fuiſſe:* manifeſtè declinans ſtatum quæſtionis, An judices illi corrupti fuerint, & improbè egerint? quod non ignorabat pernegari, & credi illos ſententiam ſuam per multas graves & legales rationes confirmâſſe. Sanè haud dubium eſt, ſi Regi vel leviter ſuboluiſſet Iudices illos perperam judicâſſe, nequaquam ipſorum judicium fuiſſe ſecuturum. Atque ut *Cocus* haud lubenter præterit, quin potius avidiſſimè arripit omnes occaſiones Regem invidiâ onerandi, hîc in ſcenam producit, pœnas quibuſdam inflictas judicio Cameræ Stellatæ, quo tribunali haud aliud illuſtrius fuit in Anglia, ſi ſpectes eos qui in illo Iudices ſedent. Et pro ſua Modeſtia Regem, qui illa fieri paſſus ſit meritum ut ſimilia pateretur.

teretur. Præterquam quod nondum demonſtratum fuit quicquam in illo Iudicio à Tribunali peccatum; proceſſus in omnium manibus verſantur; æquiores judicent.

Sed finge peccatum fuiſſe, iniquiſſimè ſanè ageretur cum omnibus qui miniſtros ſub ſe habent, ſi cogerentur præſtare aut luere ipſi, quod à miniſtris ſuis peccatum foret, præſertim à Iudicibus; eliguntur quippe ſæpe, qui non ſunt quod videntur. alii à probitate deſciſcunt: & hæc eſt infelicitas Principum, quod aliquando in judicio ſuo de hominibus falluntur; & quod interdum probi ante, in improbitatem delabuntur, & diu latent etiam oculos perſpicaces. In Secundo reſponſo, eadem planè eſt petitio principii, & præſupponitur conſcientia Principis, cùm æquius ſit credere, Principis conſcientiam aut planè puram fuiſſe à ſcelere; aut penitus ignaram; ita ut & hoc inter ænigmata illa Coci omninò ſit numerandum. Tertium denique ejuſdem eſt generis & licenter ſumitur, quod iniquiſſimum eſt vel ſuſpicari, nimirum, *Regem noluiſſe vocare Parlamentum ne Iudicum horum injuſtitia in quæſtionem traheretur & damnaretur.* Quod falſiſſimum eſt. Et tamen *Cocus* vocat hoc *Machiavellicam politiam:* cùm hæc illius aſſertio merito *diabolica calumnia* ſit appellanda; novit illa dexterrimè uti vulgata illa ſententia, *Calumniare audacter, ſemper aliquid hæret.* Et quid non tales calumniæ effecerunt apud homines alioquin minimè malos?

Quærit deinde *Cocus, cùm Rex tantopere abhorreret à Parlamentis, quomodo factum ſit ut adhuc fuerint habita?* Et ſcurriliter atque ſarcaſticè interrogat; *An non gratioſum habuimus Regem, qui vocaverit Parlamentum cum tantopere illo opus eſſet? & pertulerit tot gratioſa Acta, ut abolitionem Cameræ ſtellatæ* &c. Et reſpondet conſueto ſuo more, *id* non factum *è voluntaria gratia, aut amore erga Populum, ſed ad propriam utilitatem, ad-*

verſus Scotos, quos tum in ſervitutem redigere propoſuerat. Quæ illo tempore inter Regem & Scotos geſta ſunt, non erat neceſſe hîc tam odioſè traducere. nam Hiſtoria nota eſt; & extat Declaratio Regis edita anno M. DCXL. in quâ illa accuratiſſimè narratur: & Scoti ſe longè meliores ſubditos & tum oſtenderunt & hodiè oſtendunt erga novum ſuum Regem Carolum II. Atque hæc de Scotis. Ad Anglos quod attinet, *Cocus*, non modò ſe injurioſiſſimum, ſed & ingratiſſimum oſtendit; dicitque, *quod Rex ſeptem illa Acta gratiæ concedens tantummodò officium fecerit, imò ne dimidiam quidem partem ejus quod populo debebat, neque quidquam indulſiſſe, quàm quod populi proprium erat; quinimo detinuiſſe Militiam quæ cæteris imperabat.* Dolet quippe homini, quod Rex omnia ſua jura & totam Prærogativam non ultrò in manus Parlamenti tradiderit, & patienter tulerit ſe omni poteſtate & Authoritate Regiâ exui, quâ tamen poſtea contra Leges & conſuetudines Regni Illum ſpoliârunt. Poſt hæc truculentus hîc *Cocus*, narrat conſueto ſuo & improbo more, ea quæ tum geſta fuerunt; & primò dicit, Regem, *cum jam plenè propoſuiſſet conſilia Ieſuiticæ partis ſequi*; (quo nihil abſurdius dici potuit) *operam dediſſe ut diſſenſiones ſereret inter Anglos & Scotos:* Atque in illum finem conatum novam formam Precum communium in Scotiam inducere, idque eo aſtu, ut ſive Scoti illam admitterent ſive refutarent, ſeſe in caſſes induerent. Oſtendit ſanè *Cocus* ſe artium Machiavellicarum ſcientiſſimum, ſed nullo argumento probat Regi tale quid propoſitum fuiſſe, niſi forte putat ſibi credi oportere & hoc ſatis eſſe pro Authoritate. Qui illo tempore Regis conſiliis interfuerunt, teſtari poterunt, mutationes illas paucas, in Liturgia Anglica factas, petitione quorumdam Scotorum, non Ipſius Regis ne quidem Archiepiſcopi, deſtinato propoſito. Atque hîc nobis

nobis narrat hiſtoriam *Ægyptii Regis*, qui crudeliter opprimebat populum, eo uſque ut vetaret lachrymas, & aliorum oculos intueri (mirus artifex eſt *Cocus* in fingendo & exaggerando) donec ſuſpiriis mutuis incitati Tyrannum occiderint. Quid hoc exemplo ſibi velit, non explicat; neque ſanè neceſſe erat. nam animum ſuum in Regem in exordio declamationis ſuæ jam ſatis detexerat, & porrò in Epilogo eſt detecturus. Hoc purpureo, ut ipſi videtur, panno ita inſuto, qui latè ſplendet apud Parricidas, progreditur eodem pede, & dicit; *Hibernicam proditionem, jam diu agitatam, tunc maturam factam*; volens ſibi credi, Regem illius non modò conſcium, ſed & Authorem fuiſſe: quo nihil eſt falſius: veriſſimum enim eſt Hibernos ſacris Romanis addictos, cum validam tempeſtatem ſibi imminere cernerent, ad deſperata conſilia divertiſſe, & Regem illorum nequaquam conſcium fuiſſe. Addit *Cocus*, propter proditionem illam Hibernicam jam maturam neceſſarium fuiſſe, Anglos & Scotos inter ſe committi, *ne Proteſtantibus Hibernis ſuppetias ferre poſſent*. Quis hoc tibi credat vel jurato, Regem ſubditos ſuos proteſtantis Religionis (in quâ Ipſe fuerat educatus & quam conſtantiſſimè ad extremum halitum eſt profeſſus) in Hibernia deleri voluiſſe? quod conjuratis illis Hibernis liquet propoſitum fuiſſe.

Sub hæc à Scotis Novum-Caſtrum interceptum dicit, & Regem coactum Parlamentum convocare, à quo tantopere abhorrebat. Sed quivis, cui placuerit legere Meditationes Regis, quæ jam in omnium manibus verſantur, facilè animadvertet hunc *Cocum* ſummam Regi injuriam facere. nam in prima Meditatione accuratè explicat cauſas, quæ Ipſum permoverint ad hoc Parlamentum vocandum. Habuiſſe tamen Regem graviſſimas cauſas, ob quas à vocando Parlamentum abhorreret, non aliam probationem

nem desiderat, quàm diligentem observationem eorum quæ in hoc Parlamento, quod III Novemb. An. 1640. inchoatum fuit, inde ab initio agitata fuerunt: nec *Cocus* dissimulat, cum narrat Parlamentum, quia metuebat, ne Rex simul ac Scoti Regno excessissent, illud dissolveret, à Rege impetrâsse, quod illud non dissoluturus esset sine utriusque Domus consensu. Quid enim faceret, hærebat inter sacrum & saxum: Scoti ab una parte armis, Angli Parlamentarii & Londinenses ab altera importunis flagitationibus & tumultuationibus, omnia intuta & suspecta faciebant. Interea tamen illi qui in Parlamento dominabantur Ipsi palpum obtrudebant, affirmantes, se Regem, nunc *ditissimum*, nunc *glorioſissimum* facturos, uti scilicet fecerunt. Atque hîc obiter indicandum Regem III Feb. permissionem, ut vocant, Parlamento potestatem dedisse liberè determinandi de Iesuitis; ut omnes videant, quâ fide *Cocus* antè dixerit, Regem se consiliis partis Iesuiticæ regi passum.

Attexit deinceps *Cocus*, suâ id est pessima fide; Regi propositum fuisse, *exercitum qui metabatur in partibus Aquilonaribus Angliæ, adducere Londinum, ad confundendum Parlamentum & Civitatem rebellem & perfidam, ut Rex vocabat, premiumque promissum triginta millia librarum & spolia urbis*; idque liquere ex confessionibus Col. *Goring*, *Legge* &c. Vt quid hujus rei sit, & quàm falsò hæc Regi à *Coco* imputentur, omnibus manifestè pateat, historia paulò altius repetenda & prolixius explicanda est. Iam quinto die Maij, 1641. ad Domum Communium erat delatum, miram conspirationem agitari in totum Regnum, exercitum Francicum in procinctu esse, in Anglia exponendum, cum quo sese Anglici & Hibernici exercitus conjungerent, & convenirent omnes XXII. Maij. Videte quæso panicos hos terrores; timent

ment ubi nihil timendum eſt. Idem pene repetitum x Iun. & tunc demum *Goringii* mentio facta, qui aberat; & additum, Epiſcopos & Clerum (vide artes planè diabolicas) conſcios eſſe hujus conſpirationis & mille equites alere in hunc finem. Et eos qui conſcii erant hujus conſpirationis, & membra quædam Parlamenti jurâſſe ſe oppoſituros ſe Communibus in diverſis rebus, & ſi non obſequerentur armis coacturos. Meditabantur enim jam multos excludere è Parlamento, itaque avidè hæc falſa pro veris accipiebant. XVI Iunii examinatio & Declaratio *Goringii* in Domo Communium lecta, in quâ ne verbum quidem de conſcientia Regis. Neque Communes cum Rege expoſtulârunt. Eodem die lectæ examinationes *Bullingſley, Nutth, Balardi Wallis, Goring* & aliorum: ſed altum ſilentium de Rege: multa de exercitu Gallorum, quem ſatis conſtat numquam in rerum natura fuiſſe, aut in intentione Regis Franciæ. XXI demum Iunii *Goringius* auditus, qui Regis nonnullam conſcientiam arguere viſus, ſed ita leviter, ut nihil tale, quale hîc *Cocus* in medium adfert, exſculpi poſſet: neque invenio in diario Parlamenti, Pares aut Communes de hac re Regem conveniſſe, aut Ipſi queſtos. Quippe prudentiores minimè credebant; iis autem qui jam tum ſatagebant Regem populo inviſum reddere, ſatis viſum hæc terriculamenta in vulgus ſpargere. Inoleverat enim jam peſſima conſuetudo, omnia quæ in Parlamento agebantur ſtatim typis divulgandi, quod numquam in antecedentibus Parlamentis factum invenimus. Quinimo tantum abfuit, ut hæc *Goringii* Declaratio Parlamento ullam indignationem in Regem excitaret, ut poſtridie illius diei, Ipſi vectigal, quod vocant *Tonnage* & *Poundage* ad aliquod tempus prorogarent. Poſt illa non invenio ullam hujus conjurationis mentionem factam, & evanuit

panicus hic terror. E quibus satis patet, quàm malitiosè, ne quid gravius dicam, *Cocus* hoc loco nigrum hunc pannum infarserit.

Atque hîc *Cocus*, per digressionem inserit quædam, quæ bello jam ardente gesta sunt, atque ita ab hoc loco aliena, & tantùm comparata ad odium populi Regi conciliandum: & propterea minimè prætereunda. *Atque hîc*, inquit, *non possum non commendare* Civitatis Malignantes: *Rex vocat illos rebelles, illi ipsum gratiosum Regem.* Vtrique sanè merito. Nam & jure Londinenses à Rege rebellionis accusati, postquam ipsum invitum urbe excedere compulerant, & arma contra ipsum portaverant. Londinenses autem veras causas habuêre ob quas Regem *Gratiosum* appellarent, siquidem ante multa beneficia ab ipso acceperant. Quàm putidum autem atque adeò absonum hîc queritur de iis, quæ bello jam fervente gesta sunt & quæ illud necessariò comitantur! Quid enim usitatius est quàm commerciorum intercursum prohibere, quo utique solo civitas populosa & divitiis suis superbiens ad officium & obsequium cogi poterat? Aut quid magis belli rationibus congruum quàm vastare agros vicinos, ne hostibus usui esse possint. Videbat Rex, se ab hostibus suis & rebellibus in Oxonio obsessum iri; *Cocus* autem hîc ita bacchatur quasi nulla differentia esset inter rebelles & in obsequio perseverantes, inter infestissimos hostes & amicos: sed quis æqui aliquid exspectet ab homine qui nihil nisi furias eructat?

Accedit jam ad principem quæstionem; An Rex orsus fuerit bellum, an verò Parlamentum, aut saltem ii qui pro libidine sua circumegerunt? ut autem probet, Regem occasionem dedisse atque adeo bellum inchoâsse, adfert quinque rationes, quas examinare operæpretium erit.

Prima ratio *Coci* est. *Rex contendit militiam terrâ & Mari abso-*

abſolutè habere in ſua poteſtate, utpote illius propriam jure genituræ: id eſt, voluit retinere quod ſuum erat, & quod Prædeceſſores ejus ſemper habuerant per Leges Regni; de quo numquam Regi ulli controverſia mota fuit ab ullo legitimo Parlamento, præterquam huic Regi; ab hoc Parlamento poſtquam jam nonnulla diſcordia orta erat. Quis ex hoc concludat? *Ergo Rex dedit cauſam bello.* Sed tibi demonſtrandum erat, Regem concupiviſſe quod ſuum non erat, ſi aliquid per hanc rationem voluiſſes concludere. Interea oſtendis te non minus Logicæ, quàm Legum Regni atque Politicæ imperitum eſſe, qui per falſam conſequentiam hinc deducis; Regem eodem jure poſſe omnium regnicolarum fortunas ad ſe trahere: quæ quidem falſa conſequentia eſt, ſi Ius ſpectes, neque à Rege umquam uſurpata: non autem ſi ſpectes praxin hujus Parlamenti, quod armorum potens factum, licentioſiſſimè in fortunas populi dominatur. Confido enim facile demonſtrari poſſe, numquam tam intolerabiles exactiones, tam brevi tempore, in Regno Angliæ factas, neque tam vaſtum æs alienum contractum, quàm quatuor aut quinque poſterioribus hiſce annis, ab egregiis hiſce patribus Patriæ.

Secundam rationem ita proponis: *Rex prætendit ſe pugnare pro poteſtate ſua vocandi Parlamenta cum libuerit, & diſſolvendi cum ipſi videbitur opportunum.* Quid? an non hoc jure? omnes illius Prædeceſſores hanc poteſtatem habuêre & hoc jure uſi ſunt, neque ullum Parlamentum ante hoc, contra dixit; & ne hoc quidem primo tempore; ſiquidem humiliter à Rege petierunt ne illos dimitteret antequam omnia ſua negotia abſolviſſent; atque etiam impetrârunt: Sed *Cocus* hîc tot gloſſemata & calumnias admiſcet, ſcenæ ſuæ ſerviens, ut mirum ſit hominem, qui prudens videri

vult, tam inſulſa comminiſci fuiſſe auſum; ſed quid ille non audeat cui pulchrum viſum Leoni jam mortuo inſultare. Affingit enim Regi quæ numquam Illi venerunt in in mentem. contentus enim fuit jure, quod Legibus ei debebatur: neque quiſquam adhuc oſtendit aut probare potuit, Illum quicquam feciſſe, quàm quod Prædeceſſores ejus ſæpe fecerant: & ne quidem fecit quod per Leges facere potuiſſet; nimirum Parlamentum diſſolvere, cum non ignoraret illos hoc agere ut ipſum omni regia poteſtate privarent (quamvis ſtrenuè diſſimularent,) ut tandem fecerunt, & non hoc tantùm ſed & vitam ipſi ademerunt, atque adeò omnes ejus poſteros à Regno excluſerunt. Quare non Rex, quod *Cocus* falſò concludit, calamitoſiſſimi belli cauſa fuit, ſed illi qui contra Leges, Regis prærogativam primùm arrodere, deinde funditùs evellere ſtuduerunt.

Tertia ratio ſumitur ab eo, quod Rex ſibi vindicet *vocem negativam*; hanc quoque Prædeceſſores Illius ſemper habuiſſe & ſæpe illâ uſos nemo jure poteſt negare: & ſanè æquiſſimum eſt atque adeò populo utiliſſimum, Regem poſſe impedire, ne quid ſtatuatur, aut ulla Lex feratur à Parlamento, è qua populus detrimentum poſſit capere: fieri enim poteſt & non ſemel factum eſt, quod Parlamenta à Regibus petierint quædam ſtatui, quæ magnum detrimentum populo attulerunt, & quibus melius fuiſſet Reges non aſſentiri; ut ab iis qui de hac quæſtione diſputârunt, bene eſt obſervatum, præſertim regnante Rege Henrico VIII. & Reginâ Mariâ, ne altiùs aſcendamus.

Non videtur tamen *Cocus*, quamvis ſatis confidens, auſus hanc vocem negativam Regi auferre; ſed argutatur aliquid de formula: ſolet enim Rex, cum non ſatis probat ea quæ ipſi offeruntur, Normannicâ lingua reſpondere,

Le Roy s'adviſera; aut etiam cum aliquid improbat *Le Roy ne veult*: Hujus poſterioris *Cocus* non facit mentionem: priorem phraſin ita interpretatur, quaſi Regi tantum liceret tempus ſumere ad deliberandum, non autem abſolutè, negare: nam hoc vellet *Cocus*, hoc à Parlamento, de quo agimus, unicè expetitum.

Sed antequam ad cæteras rationes pergamus (ſunt autem unius ferè modi) hîc veluti in medio earum indicandum, quàm miſerè hic *Cocus* tergiverſetur, & planè nullum argumentum adferat, quod demonſtret Regem occaſionem bello dediſſe aut illud inchoâſſe. Sed quod contra evidenter oſtendat, eos qui in Parlamento dominabantur, in culpa fuiſſe, qui jura Regis evertere conati ſint. Nam & Militia, vocatio & diſſolutio Parlamentorum, libertas aſſentiendi aut non aſſentiendi rogatis à Parlamento, tam certo jure ad Regem pertinent, omnium Iuriſperitorum in Anglia ſententia, ut *Coco* impudentiorem eſſe oporteat, qui contradicat. Agebatur de vita Regis, & inter principalia crimina, quæ objicebantur, erat quod bellum moviſſet Parlamento. hoc ergo *Coco* accuſatori validiſſimis argumentis erat probandum: ſed quis non videt, illum eodem modo agere, quo illa qui querebatur adverſarium ſuum non toto corpore accepiſſe. quæritur enim haud obſcurè quod Rex haud potuerit æquo animo ferre ſibi omnia jura ſua eripi. Sed quis ex hiſce per ullam vel tortam conſequentiam concluſerit; Ergo Rex fuit cauſa belli. Sed pergamus.

Quarta ratio *Coci*; Regem prætendiſſe poteſtatem judicandi de Equeſtri conditione, conferendi honores, creandi Dominos quos vellet & quot vellet, erigendi burgos & corporationes. Atque hanc poteſtatem eſſe in Rege perneceſſarium eſt. nam quis Principem reſpiciat aut

revereatur qui nullam facultatem habeat de quoquam ſive viro ſive ſocietate bene merendi? Quem æquius eſt hanc poteſtatem habere quàm Principem? ſed *Cocus* cum illam refellere non poſſet, utpote jus quod Reges ſibi vendicant ſecundùm Leges & conſuetudines Regni, ſuo peſſimo & improbo more vellicat, & contendit Regem per hanc poteſtatem, Domum Parium ita numero Dominorum poſſe augere, ut Communium Domui par ſit. Quaſi verò; an hoc à quoquam Rege aut ab Hoc factum? licet impudentiſſimus ſit; non tamen audet hoc dicere. Nam Rex hic totis illis XVIII annis tantùm viginti aut triginta Dominos creavit. Et ad hoc Parlamentum tantùm ſeptuaginta Duces, Marchio-comites & Vice-comites vocati, quorum quidam pueri fuerunt. Sex & viginti Epiſcopi: Et Barones circiter ſexaginta: quorum octodecim ab hoc Rege dignitatem acceperant. Cum Communium qui vocati ſunt & electi numerus fuerit quadringentorum & quadraginta trium; ſi Indiculo edito credimus: quos tamen non affirmo omnes veniſſe.

Quinta ratio eſt: *Quod Rex ſibi Prærogativam arrogaverit, quæ ipſi per Leges non debebatur*: quod aliquot exemplis nititur probare.

Primum exemplum eſt: Si Regi placuerit aliquem è medio tolli cui infenſus ſit, hic occiditur; & ſi homicida notus ſit, Iudici ſiſtitur, qui fortaſſis judicabit tantum eſſe homicidium, id eſt cædem fortuitam & non è præmeditata malitia, quam Angli vocant *Manſlaughter*: verùm ſi deprehendatur *Murdrum* id eſt cædes ex deſtinata voluntate, & reus condemnetur; Rex illi pœnam condonabit, & Iudex illam remiſſionem admittet, ſi vox *Murdri* in literis expreſſa ſit. Sed, inquit *Cocus*, quia abſurdum videri poterat *Murdrum* à Rege condonari, eapropter Rex illi uſuram

vitæ

vitæ concedet ad ſeptem annos, & ita porrò. Si hoc non ſit ludere in re ſeria, neſcio quo nomine debeam appellare. Interea *Cocus* hic malitioſiſſimè Regi attribuit voluntatem hominis occidendi, quod aliquo ſaltem exemplo probari oportuit, ut crimen hoc graviſſimum meritò intentatum videretur. Ille verò longe aliud hîc nobis adfert exemplum *Prichardi* cujuſdam, famuli Comitis *Lindſey* qui murdrum commiſerat & damnatus fuerat, cui tamen Rex modo jam dicto, vitam ad tempus indulſerit, quod probat ex relatione amicorum hujus *Prichardi*; an verum ſit neſcio, magis inducor ut credam improbi hujus accuſatoris commentum eſſe. Interea notiſſimum eſt iis qui Leges Angliæ callent, hanc poteſtatem condonandi Regibus Angliæ propriam eſſe, non modò in homicidiis, murdris aliiſque criminibus, ſed etiam in graviſſimis. Quod autem Rex illa abuti poſſit; non ſufficit ad illam Ipſi auferendam; neceſſarium enim eſt, atque adeo populo utile, aliquem eſſe qui poſſit rigorem Legum mitigare & miſericordiâ uti; neque melius hæc poteſtas collocari poteſt quàm in Rege, aut etiam ſupremo Reipub. miniſtro. Et ſævum eſſet hanc clementiæ moderationem è Societate hominum auferre. Quanquam non abnuo Principum eſſe cautè & parcè admodum eâ poteſtate uti: Et veriſimile eſt Regem rariſſimè uſum, ſiquidem improbus hic accuſator, tantùm unum adducit.

Secundùm exemplum eſt, quoad populi libertatem: *Rex*, inquit, *aut quivis aulicus, mittit aliquem in carcerem, ſi Iudex illum liberum dimittat, loco ſuo movebitur.* Odioſè hæc dici quis non videt? ſiquidem nulla exempla afferuntur. Interea tamen *Cocus* duas conſequentias hinc deducit admodum injurioſas, primùm in Iudices, quos accuſat metu ab officio declinare, ex ſuo enim ingenio alios æſtimat:

Deinde

Deinde in Regem, quasi propterea subditus cum Rege contendens necessariò succumbere debeat. Nihil tam æquum est, quod hoc modo iniquum asseri non possit.

Tertium exemplum sumit à prærogativa Regis, quâ pretium numismatum aut auget aut minuit, quam non negat Regi secundùm Leges competere. neque enim poterat: sed dicit hanc potestatem Ipsi competere ad commercia moderanda & non ultra. Esto sanè: num potest demonstrare Regem secus illa usum fuisse? certus sum non posse. neque enim siluissset, & ad tam ludicra Porismata confugissset, quorum, si frontem haberet, debuit illum puduisse. Nam quis umquam audivit Regem per hanc potestatem posse aut voluisse corium convertere in pecuniam, aut pretium numismatum ita intendere, ut juberet nummum qui dimidium solidum valet, 20 solidos valere? quid hoc est aliud quàm patientiæ Auditorum stolidè & impotenter illudere?

Quartum exemplum est prætensæ, ut ille vocat, prærogativæ; quod Rex possit quamvis concessionem (Angli vocant *Grantum* & interpretantur donum talis rei quæ tradi non potest solo verbo) declinare & revocare, atque ita unum quemque decipere per legem (non igitur negat Legem hanc prærogativam Regi tribuere) idque hoc prætextu, quod oporteat ejusmodi concessiones aut donationes accipere secundùm Regis intentionem, verbo aut scripto expressam. *Verùm*, inquit, *cum difficile sit nôsse Regis intentionem* (quid ne tum quidem cum scripto expressa fuerit? non ignorat, credo, *Grantum* Regis per patentes literas dari. nam Iurisconsultum ignorare nefas fuerit quid sit *Grantum* aut literæ patentes.) *Granta illius fuêre uti diaboli oracula, in contrario sensu accepta, ut Ipsi utile erat.* Videte hominis truculentam maledicentiam in Regem; quid à tam im-

immodesto homine exspectes, qui quâvis occasione Diabolum in scenam producit? Bona verba quæso, ne tantopere sævi, non solent in Anglia tam negligenter in talibus rebus versari, sed plures Iurisconsultos consulere antequam scripta signentur. Atque hîc adducit exemplum Domini *Lovel*, qui cum ejusmodi *Grantum* per patentes literas à Rege sibi & hæredibus suis masculis impetrâsset; *Iudices*, inquit, *judicârunt nullum fuisse*. Atque hîc diabolico suo more, non modò Iudices, sed & Regem calumniatur. Hunc quidem quod pecuniam pro *Granto* datam injustè voluerit retinere & nihil pro illa tradere; illos autem quod in hac re Regi morem gesserint: Cùm iniquissimum sit de alterutris aut utrisque hoc suspicari. Sed dicit, *neminem aliam rationem, quàm hanc suam posse comminisci*; vult enim omnes tam bardos & improbos esse, quàm est ipse. Non dubium est Iudices rationes judicii sui explicuisse, neque enim aliter solent. Quare & Grantum & Iudicum sententia diserte fuerant citanda, ut plenè de hac re cognosceretur. Sed quis non indignetur hunc accusatorem, cùm ipsi gravissima crimina explicanda & probanda essent, in ejusmodi nullius momenti rebus tempus terere? Enumerat deinde & conjungit has Regis prærogativas, de quibus paulò antè & nunc egit, ad eum modum quem notavimus, & enumerat quidem omnino septem: quas omnes odiosis titulis, quantum in ipso est, & falsis interpretationibus, populo abominabiles conatur facere. Additque, se quovis pignore cum omnibus Machiavellistis audere certare, non posse dari magis exquisitam & perfectam formam Tyrannicæ Dominationis. Ego verò ausim condere vix ullo seculo quenquam extitisse qui exactius calumniandi artes calluerit, quàm hic *Cocus*. Cum videretur confessus esse, has prærogativas Regi secundum Leges competere (ut

ſanè competunt) & ſibi hoc dolere: derepente vertit ſe in aliam formam, & dicit, *non eſſe legales prærogativas ſed uſurpationes, & invaſiones in populi jura & libertates.* Quid ergo vellet? Populum habere militiam in ſua poteſtate, ſimul milites & Imperatores eſſe; convenire ad Parlamentum non vocatos, & ſedere in eo quandiu luberet: leges ferre quas vellent: creare Iudices: conferre honores & dignitates: indulgere homicidis: pretium nummis conſtituere? Num tum meliùs cum Regno ageretur? aut eſtne ullus populus aut natio quæ hoc jure utatur?

Hæc ubique ad Principes aut Magiſtratus pertinent: abſurdum fuerit populo hæc tribuere, cujus eſt obſequi, non regere, ex ordinatione Dei. Vt autem aliquid dixiſſe videretur, dicit primò, *Legem non eſſe aliud quàm rectam rationem:* Ita eſt: ſed non eſt cujusvis judicare quæ ſit recta ratio, variant hominum judicia; quamobrem tribunalia inventa ſunt, ut à Iudicibus Legum & conſuetudinum gnaris veritas requireretur. Addit porrò, Communem Angliæ Legem, non concedere Regi majorem prærogativam quàm cuivis privato, niſi in tribus caſibus: 1. In dignitate & præeminentia ipſius Perſonæ, & emolumentorum, videlicet, quod metalla auri & argenti ad Illum ſolum pertineant, in cujuscunque demum agro reperiantur: item regii piſces, ut ſturiones & cete in quovis fluento aut mari: item decimæ è Parochia quam nemo ſibi vendicat: ſiquidem Lex dicit, *Nobiliſſimas perſonas oportet habere res nobiliſſimas.* 2. quod non poſſit decipi in ſuis contractibus, ſiquidem occupatur circa magna & ardua negotia Regni. 3. Quod jura Illius nulli temporis præſcriptioni ſint obnoxia. *Et ſimiles*, inquit, *prærogativæ mediæ & indifferentis naturæ, quæ populo nullum præjudicium afferunt.* Quam citò obliviſcitur dicti Legis, quod oporteat Nobiliſſimas perſonas

nas habere res nobiliſſimas? Sed huic homini populus nobiliſſimus eſt, Rex tantùm illius creatura & vas. Quemadmodum autem has prærogativas (è quibus reliquæ haud difficulter deduci poſſunt, ſi Legis illius dictum bene advertamus) Regi ſecundum Leges concedit, ita probandum fuerat, cæteras illas, quas uſurpationes vocavit, Regi per Leges non competere: ſiquidem certum eſt, quod Lex nulla negat aut vetat, uſurpationem vocari non poſſe. Sed cum videret ſe hoc probare non poſſe. Sed cum videret ſe hoc probare non poſſe, & ignoraret omnes Regis Prædeceſſores iis prærogativis uſos, conatur multiloquentiâ ſuâ tenebras offundere: & dicit non videri veriſimile, Legem Angliæ voluiſſe Regi dare, tam vaſtam poteſtatem aut divinam conditionem attribuere, ut non ſit neceſſe Ipſi rationem reddere improbi facti, aut mali regiminis. Et tamen liquet omnium, cujusvis ætatis, Iuris Anglici peritorum, hanc conſtantem ſententiam fuiſſe, *Regem non poſſe facere injuriam*: & *Soli Deo teneri rationem reddere.* Sed dicit has Regis prærogativas cum populi libertate & incolumitate conſiſtere non poſſe, ſed non ſatis eſt dicere, probandum erat. Nos meliori jure aſſerimus illas optimè cum libertate & incolumitate populi conſiſtere; ſiquidem jam multis ſeculis viguêre, ſine vel leviſſimo populi detrimento, aut ulla querelâ. Exſpectabamus jam dudum & meritò, ut *Cocus* probaret, Regem bellum inchoâſſe ſed quæcunque hactenus dixit, nihil tale arguunt: nunc dicit demum, Regem ipſum profeſſum & declarâſſe hanc cauſam belli fuiſſe; & quod non fuiſſet illis prærogativis contentus ſi armis ſuperior fuiſſet. Sed ubi aut quando Rex hoc declaravit? Ede nobis hanc Declarationem: verſantur in omnium manibus multæ Regis Declarationes & ad Parlamentum & ad populum quibus profitetur, ſe à bello ab-

horrere, neque unquam niſi invitum & coactum ad arma venturum. Leguntur ab omnibus, non ſine admiratione, prudentiſſimæ & piiſſimæ ipſius meditationes, in quibus tam planè & plenè demonſtrat, deſignat & notat incendiarios funeſtiſſimi illius belli, ut non poſſit ampliùs de eo ambigi. Bene autem habet, quod fateris duas ſupremas poteſtates in una Natione non magis eſſe poſſe, quàm duos Soles in uno firmamento: ſi Rex ſit ſupremus, Parlamentum eſſe ſubordinatum; ſi Parlamentum ſit ſupremum, tunc Regem ſubordinatum: quorum poſterius tu eligis, atque ita uno ictu Regiam poteſtatem jugulas, cujus eſſentia ipſa deſtruitur; ſi alteris quàm Ipſi, inter homines, ratio reddatur. nam Regem eſſe populi & populum habere ſuperiorem in regno, planè paradoxum eſt & ab hoc demum Parlamento contra omnes Regni leges atque ipſam rectam rationem nuperrimè inventum. Quis autem quæſo hoc allegavit; *Regem tantum prætendere coordinatam poteſtatem, ita ut Parlamentum nihil poſſet ſine Ipſo; neque Rex ſine illo?* Peſſimè mentem hujus dicti accipis; nam cum Parlamentum conſtituatur è Rege & utraque Domo, & veluti unum corpus efficiant: ita tamen ut Rex ſit caput & ſupremus arbiter, nulla collateralitas hic admitti poteſt: non magis quàm in Eccleſia, quæ Chriſti corpus eſt, ſicut Chriſtus illius caput; è quo nemo ſanus concluſerit, Chriſtum & Eccleſiam coordinatam habere poteſtatem. Interea non negamus, quandiu Parlamentum congregatum eſt, nihil rite ſtatui aut pro Lege perferri poſſe, niſi Rex & Parlamentum conſentiant. Atque ideo *vox negativa* ſemper Regi conceſſa fuit. Quod cum *Cocus* abſolutè negare non quiret, ſine ulla Authoritate, in re maximi momenti, magiſtraliter decernit, hanc *vocem negativam* non habere locum niſi in rebus exigui momenti, ſecus ſe habere cum

ſalus

ſalus populi periclitatur. Sed quis judicabit ſalutem populi periclitari? An non hoc Regis eſt, cui ſalus populi concredita eſt, & qui optimè intelligit arcana imperii? ſi ſalus populi concredita non eſt, cur Ipſi toties objectum fuit quod fidei ſibi concreditæ non ſatisfecerit?

Nunc tandem nobis aperit *Cocus* Helenam illam propter quam in Anglia pugnatum fuit: Parlamentum non poterat ferre ſuperiorem; neque Rex ſe in ordinem redigi: uter horum aggreſſor fuit, qui ſe ſuaque tueri debuit, an ſeditioſi illi in Parlamento qui Regi auferre ſatagebant, quod ipſi jure debebatur? Nemo paulò æquior aliter judicabit, quam Regem ſe defendiſſe; hos verò belli incentores & motores fuiſſe: Quin etiam primos aggreſſores; notiſſima enim ſunt quæ ad Hullam geſta, & quàm indignè Rex ab *Hothamo* oppido fuerit excluſus, qui erat Communium unus & ad hoc miſſus ut armamentarium Regis interciperet & cujus improbè & perjurè facta, ab illis incendiariis fuêre injuſtè probata. Hæc *Cocus* cautè præterit, & cavet ulcus illud attingere.

Porrò, quemadmodum ii qui res novas moliuntur, ſolent aut periculum Reipub. aut ſingulare aliquod illius bonum prætexere; ita etiam hi fecerunt. Multa enim jactârunt de periculis Regno imminentibus, quæ tamen non apparebant, aut falſa fuiſſe poſtea patuit: & remedia adhibuerunt ipſo morbo, ſi quis fuiſſet, deteriora: quod ſi illa pericula liquidò demonſtrâſſent, potuiſſet utique Rex melius illis occurrere, habens militiam in manu, quàm ſi illam ipſis contra Leges tradidiſſet. Sed Rex prudentiſſimus ſatis providebat fore ut militiâ ad ſuum detrimentum atque adeo deſtructionem abuterentur; neque æquum erat armis ſe exuere, quæ contra ſe videbat verſum iri. Atque hîc perlepidè quærit? *An quisquam dicturus eſt, Regis po-*

tentiam imminutam, quia non poteſt populo nocere, aut quemquam pejus valere, quia plures habet medicos qui illi attendunt: Sanè nullus cui ſanum eſt ſynciput dicturus eſt eum bene valere cui multis medicis ſit opus; nec quisquam talibus medicis ſe credet, quos novit vitæ ſuæ inſidiari: nam quàm boni medici fuerint ſeditioſi hi, exitus comprobavit; ſiquidem non ante finem medendi fecerunt, quàm Regem vitâ privâſſent: & hos tu *Coce* medicos vocas, qui ſe atroces carnifices demonſtrârunt? Interea toties objicis, & numquam probas, Regem populo nocere voluiſſe, cùm hoc unum egerit ut populo bène eſſet. Populus non rarò æger eſt, & ut ægri ſolent, de medico & medicina queritur: imprudens eſt qui opinatur populum ſemper bene judicare de morbo ſuo aut de medici officio & beneficio. Accedit plerumque delirium, quod illi mentem & judicium pervertit, uti hîc factum liquet, cum manum prudentis medici aſpernatus, ſe carnificibus tradidit cruciandum.

Sed quærit *Cocus: Per quam Legem eſt Rex condemnatus?* non meminit ſtolidus ſe adhuc in accuſando verſari.

Et Reſpondet: *per fundamentales Leges hujus Regni, per generalem Legem omnium Nationum, & per unanimem conſenſum omnium rationalium hominum in mundo, ſcriptam in omnium cordibus ſtylo adamantino, capitalibus literis & tam legibili charactere, ut à prætercurrente legi poſſit.* Videlicet, *cum alicui gladius concreditus eſt ad protegendum populum & conſervandum, ſi illo abutatur ad ejus deſtructionem, per Legem terræ evadit hoſtis populi, & meretur tam exemplarem & ſeveram punitionem, quàm excogitari poteſt.* Quid? an etiam ſi illo utatur ad deſtructionem populi rebellis? Regibus à Deo gladium concreditum ad populi tuitionem & conſervationem, haud dubium eſt, & Reges malè facere ſi illo abutantur ad illius deſtructionem: ſed in tali caſu licere populo inſurgere

in

in Regem, illi bellum inferre, atque adeò illum occidere, axioma novum eſt, & veteribus Chriſtianis incognitum, quos conſtat numquam tale quid molitos, cum tamen vires non deeſſent: ne quidem hodie plerique Chriſtiani & imprimis Reformati aliter ſentiunt aut docent. Sed tu nondum probâſti Regem tam malè animatum fuiſſe in populum ſuum, ut illum vellet deſtruere; & mera hæc eſt calumnia, & manifeſta petitio principii. Atque hîc *Cocus* prolixè philoſophatur de Lege Naturali, quam vocat ſororem divinæ, (rectiùs filiam vocâſſet) per quam vult cuivis licere, non modò ſe defendere contra inimicum ſed & illum occidere. Et ut eſt lepidus comparationum inventor, dicit: *Si gubernator navis ſit ebrius & navem ſcopulo illidat, ſi illi qui in navi vehuntur, aliter prævortere non poſſunt, licet illis eum projicere in mare.* Sed gubernator ſit ſobrius, & illi ebrii & eum impediant munus ſuum ritè obire, quid tum fieri, oportebit? Quis *Cocum* docuit hanc doctrinam privatæ vindictæ? certè non ſana Theologia. *Hæc quæſtio*, inquit, *determinata fuit in hoc Parlamento.* Egregiam verò laudem! Attexit & aliud exemplum Imperatoris exercitus: ſed etiamſi plura adduceret, numquam perſuaderet iis qui probè principiis Chriſtianæ religionis imbuti ſunt, licere ſubditis Principes etiam notoriè tyrannos occidere: nimis enim longè hoc abit à præceptis Chriſti, qui meliùs intelligebat Naturalem Legem, quàm *Cocus* aut Parlamentum hoc, quod quæſtionem hanc ita determinavit, ut nodum incideret, quem ſolvere non poterat. Poſt multas verborum ampullas, huc denique evadit, *Populos eſſe ligios Dominos ſuorum Regum. & omnes gubernatores tantùm eſſe populi creaturas, & opus manuum ejus:* Ego verò hactenus credidi Reges eſſe Ligios Dominos, & ita ſolent Angli Reges ſuos alloqui: & putavi poteſtatem

ſuam

ſuam accepiſſe à Deo, & eo nomine eſſe nobiliſſimas Dei creaturas, quippe me ita docuerat Apoſtolus Paulus: quod mihi dediſcendum video, ut inter rationales homines à *Coco* haberi poſſim.

Mirum autem quod hîc adferat exemplum *Rehoboam*, cum ignorare non debuerit, Deo factum illud decem tribuum tantopere diſplicuiſſe, ut ex una calamitate illas conjecerit in aliam, donec tandem abductæ fuerunt in miſeram captivitatem & ſervitutem. Horrere debueras hoc exemplum: ſed quid tu horreas, qui tam perfricta fronte doces populum non modò rebellare in Regem, ſed & illum trucidare. *Sed*, inquit, *populus eſt ſupremus Dominus, contra illum arma movere, crimen eſt læſæ Majeſtatis.* Nova hæc eſt doctrina, & hactenus inaudita. Et ut ſe ſuperlativè ſtolidum & improbum oſtendat, provocat ad *Indos* (nimis enim vulgare erat, ad Chriſtianos; & *Indi* non patiuntur tyrannos, ſcilicet) & poſtulat ut illi judicent, *an non ſuperlativa fuerit Regis proditio.* Ita nihil illi moderatum placet: quapropter & *Anathema Maranatha* in Regem detonat: oblitus haud dubio ejus quod Apoſtolus Iudas monet: *Dominatum verò rejiciunt, & dignitates convitiis inceſſunt; At Michaël Archangelus, cum adverſus diabolum certans, diſceptaret de corpore Moſis, non eſt auſus illi impingere notam maledicti, ſed dixit: Increpet te Dominus.* pulchre ſanè mores depinxit tuos. Proponis deinde aliam objectionem.

Sed: quare non eſt aliqua ſcripta Lex quæ crimen læſæ Majeſtatis faciat Regi, deſtruere populum, ut eſt homini qui machinetur mortem Regis?

Reſpondet: *Quia Anteceſſores noſtri non imaginabantur, quemquam Regem Angliæ tam deſperatè ſtolidum futurum ut bellum moveret Parlamento & Populo.* Egregia ſanè reſponſio! ſed neque anteceſſores veſtri imaginabantur ſe Rege ſuperiores

periores esse, illum esse vas, se figulos, ignari scilicet adhuc erant suæ Majestatis. Verùm cur tu tam astutè hîc præteris, crimen Majestatis per Actum Parlamenti judicatum machinari mortem Regis & primogeniti illius &c? (Cum jam diu exempla Improborum Regum in Anglia extarent.) E quo luce clarius patet illos Majestatem in Rege suo agnovisse, neque ita stolidos & improbos fuisse, ut illam Ipsi adimerent & sibi arrogarent: quod vos jam tandem feciſtis. Certè Majestas tantùm in uno Rege esse potest & hanc habet per Dei ordinationem, non per communicationem Populi aut Parlamenti: quicquid tu aut alii contra ganniant. Objicis tibi Secundò:

Sed, nonne est axioma Legis, quod Rex non possit facere injuriam? Et respondes: *Blasphemum hoc est adversus magnum Deum veritatis & charitatis, siquidem solus Deus non potest errare, quia justum est quicquid vult, propterea quod illud vult.* Sed docti illi, quos tu tam indignè tractas, non hoc voluerunt, Regem non posse errare, nec quicquam humani ab Illo alienum putaverunt; quod vos putare videmini qui populo hoc attribuitis aut ejus Delegatis in Parlamento, & imprimis Sanctis illis vestris, sed voluerunt Regem non posse peccare in leges positivas, quòd illarum arbiter esset. neque pœnis illis subjici, quas Leges constituunt in Delinquentes, quia solus gladium gestat & tradit illum quibus vult. Ita ut manifestè transeas ad aliam quæstionem, quæ huc minimè pertinet. Sed pergis huic opinioni Iurisperitorum contradicere. *Affirmo*, inquis, *cum confidentia, sed in omni humilitate* (quid audio? confidentiæ tuæ multa specimina jam vidimus, nulla adhuc humilitatis,) *nullum talem casum in Lege reperiri, non esse injuriam si Rex committat latrocinium aut murdrum.* Et tamen fateris à summo Iudice Angliæ tempore Henrici VII. pronuntiatum, *si Rex occidat*

aliquem, non esse Feloniam ob quam morte plectendus sit. Sed excipis, illud accipiendum esse *de ordinariis tribunalibus Iustitiæ, & non esse dubium, quin Parlamentum possit judicare Regem aut alios deputare qui hoc faciant.* Non dubium sanè est, Seditiosos quosdam in Domo Communium ita sensisse atque fecisse: cùm interea verissimum & certissimum sit, eos nullam Legem potuisse producere, per quam hoc illis licuerit: ut Rex jure adversus illos pertendit. nam ejusmodi extraordinaria tribunalia Iusticiæ, non minus evertunt Populi libertatem, quàm authoritatem Regis, cujus solius est Tribunalia Iustitiæ constituere, ad id enim gladius Ipsi à Deo traditus. Atque hîc rursus miris modis injurius est in Iudices, quos novimus in Anglia ut plurimum provectæ ætatis & multos gradus in actionibus juridicis emensos, ad id munus eligi. Nam & haud obscurè *Lupos* vocas & loqui cœpisse Regi *placentia:* Illumque appellâsse *Angelum lucis* id est bonum & quidem angelum Dei: atque eo designâsse illum teneri soli Deo rationem reddere, quæ communis est omnium Doctorum tam antiquorum quàm recentiorum ante paucos hos annos, sententia. Item Deum fecisse, vocantes Illum *Sacram Majestatem*; & *gratiosam Majestatem:* qui tituli ubique obtinent. An ergo & vos cum vos Sanctos dicitis, vos facitis Deos? nam *Sanctus* est è præcipuis Dei attributis, quod tamen ab Apostolis tribuitur omnibus fidelibus in communi. *Sed*, inquis, *certus sum, nullum esse casum in Lege, non esse crimen læsæ Majestatis, si Rex inferat bellum Parlamento & populo suo.* Atqui illud neque certum est, neque à te probatum: multo minus Regem bellum inchoâsse in Parlamentum; cùm contrarium verum sit, Parlamentum ubique delectus contra Regem habuisse, & per omnes pene provincias turbas concitâsse & populum ad seditiones excitâsse, antequam Rex quicquam

mo-

moveret, niſi ad ſui defenſionem. Deinde falſum eſt Regem aut bellum intuliſſe Parlamento, cum tantum arma ſumſerit adverſus eos qui in Parlamento Ipſum deſtruere moliebantur: aut Populo ſuo, qui in obſequio Ipſius perſeverabat, ſed tantùm perduellibus ſuis qui Ipſum oppugnabant. Et cur minus militet Lex naturalis hîc pro Rege, quàm pro Parlamento illo, aut hoc Rebelli populo? Sed objicis tibi tertiò.

Annon ſunt negativa verba in Statuto An. XXV *Eduardi* III. *Nullum dicendum crimen læſæ Majeſtatis, quàm quod ibi expreſſum fuit.*

Reſpondes Primò: *Statutum illud intendiſſe populi incolumitatem, ne Iudicibus liceret crimina Majeſtatis multiplicare ad libitum Regis & Aulicorum.* Eſto ſanè, nam crimina Majeſtatis ſuis limitibus circumſcribi neceſſarium eſt: interea liquet Parlamentum in quo Statutum illud factum non agnoviſſe Majeſtatem niſi in Rege & familia ejus; non autem in aliquo altero, ne quidem in Parlamento: nam duæ Majeſtates ſimul conſiſtere non poſſunt. Sed ais; *numquam mens fuit Regi dare libertatem deſtruendi populum ſuum:* Non ſanè, neque Rex eam libertatem aut poſtulat, aut vellet ſibi concedi. ſcit enim Populi ſalutem ſibi à Deo eſſe commiſſam: ſed ſi populi aliqua pars rebellet, & Regem hoſtiliter aggrediatur, eique & familiæ ejus exitium machinetur, quis tam inſanus eſt, qui neget, Regi licere arma armis opponere & tales ad officium cogere cum aliter non poteſt? Perpetuus autem eſt Elenchus apud hunc declamatorem & ipſius ſimiles nomine populi univerſi accipere eos qui tantum pars ſunt populi & quidem minima, ut alibi probavimus. Qui ſunt autem illi qui dicunt, *Solummodo Regem & Parlamentum conjunctim declarare poſſe, quod ſit crimen læſæ Majeſtatis?* An non Rex ſolus hoc poteſt face-

re, & ſemper fecit in flagranti delicto, & cum liquidè conſtat aliquem aut plures deſtructionem Regis & familiæ ejus machinari? Multa exempla adduci poſſunt, hoc ſæpius factum ſine ullo Parlamento. Quod autem Parlamentum per ſe ſolum & ſine Rege, hoc poſſit facere hactenus inauditum; niſi forte turbulenta aliqua Parlamenta, qualia & ſuperioribus ætatibus fuêre, tale quid attentârunt: quod nemo facilè laudaverit, niſi qui ſimilia ſuadet. Objicis tibi Quartò:

Sed, eſtne aliquod exemplum; umquam quemquam morte multatum qui non offendiſſet in ſcriptam Legem? nam ubi non eſt Lex, ibi non eſt tranſgreſſio.

Et Reſpondes: *Veriſſimum eſt, ubi neque eſt Lex Dei, neque Naturæ, neque poſitiva; ibi non poteſt eſſe tranſgreſſio, & propterea abutuntur Scripturâ qui illud accipiunt tantùm de Lege poſitiva.* Sed qui ſunt illi qui illud accipiunt tantùm de Lege poſitiva? Generale eſt axioma & ad omnes Leges pertinet. Neque hoc hîc quæritur, ſed cum agitur de pœnis quæ à judicibus infliguntur reis, non eſt dubium nuſquam gentium quemquam plecti, niſi qui peccaverit in Leges Poſitivas illius Regni in quo degit. Quas tamen oportet ſemper cum lege Divina & Naturali convenire, quoad definitionem peccati; non tamen ſemper quoad pœnam: quod liquet in pœna furti, quam non invenimus lege divina definitam eſſe, uti hodie ubique infligitur. Tu tamen pergis hîc argutari, & dicis primò: *Non poſſe Legibus comprehendi omnes particulares caſus, ſed tantùm qui frequentius occurrunt.* Sed hoc non controvertitur, non magis quàm *omnia explicanda eſſe ad ſalutem communitatis.* Omnes enim agnoſcunt generale hoc axioma, *Salus populi ſuprema Lex eſto.* Interea tamen hoc manet immotum, Regis eſſe & Iudicum, declarare Leges, in quibus Salus populi conſiſtit.

Di-

Dicis Secundò, Lex Angliæ *eſt Lex non ſcripta, & habemus directionem in Epiſtola ad* 111 *Reipubl.* quod *cum Libri Legum noſtrarum ſilent* (ſunt itaque ſcripti & editi illi libri, quod ſtatim de lege negâſti) *recurrendum eſſe ad Legem naturæ & Rationem.* Et adducis ad hoc probandum aliquot exempla; quibus nihil opus erat in re confeſſa; dummodò hoc obſervetur, judicum aut Rectorum Reipub. aut Regni, officium eſſe in talibus caſibus Legem Naturalem & rectam rationem conſulere; ut in illis exemplis factum liquidò conſtat.

Venit jam tandem ad Tragœdiam illam Hibernicam, in qua 152000 promiſcui ſexus & ætatis ſint cæſa. Nemo eſt qui non tantam & tam ſævam lanienam abominetur. Sed Regem illius conſcium fuiſſe aut authorem (ut ſæpè odioſè Ipſi fuit objectum ab iis, qui omnibus modis ſatagebant Ipſum non tantùm populo ſuo, ſed & Proteſtantibus omnibus odibilem reddere) hoc verò tibi probandum eſt. Sed nihil adfers niſi præſumptiones tuas & tui ſimilium. Cum, ſi ſecundum Charitatem velimus judicare (quam fruſtra quis à te expectet, cum ne gurtulam quidem illius hactenus adhibueris, aut porrò adhibiturus ſis) ne quidem hoc nobis in mentem venire debeat, niſi patiamur nobis à te perſuaderi, Regem non tantum Chriſtianum, ſed & humanum affectum penitus exuiſſe: ſed jam antè de eo diximus. (cum autem ea quæ in Hibernia acciderunt, temporibus ſuis diſtinguenda fuerint, tu conſultò omnia ita confundis, ut ex eo ſatis liqueat, te tenebras rebus offundere ſtuduiſſe. Dicis Regem *ægre adductum ut Hibernos rebelles declararet; & Declarationis ſuæ adverſus eos tantum quinquaginta exemplaria excudi voluiſſe: quinimo rebellium duobus & quidem præcipuis gratias egiſſe:* Quod Rex ægrè adduci potuerit ut Hibernos rebelles declararet; falſum eſt: de

exemplaribus res ita ſe habet; cum moris eſſet tantùm unam Declarationem in pargameno ſcriptam manu Regis ſignari, & ex illâ exempla in Hibernia excudi & paſſim diſtribui: pieterat Concilium Hibernicum alia exempla viginti manu Regis ſignata mitti ut quibuſdam potentioribus fidem facerent; Rex ut compendium deſcribendi faceret quadraginta excudi curavit, quæ manu ſuâ ſignata miſit. quid quæſo in eo peccatum; cum unum exemplar Regis manu ſignatum poſſet ſufficere? quod duobus illis gratias egerit, alia cauſa fuit quia operam ſuam promiſerant ad rebellionem compeſcendam, atque adeò, præſtitiſſe credebantur. quid? annon poſſint etiam improbiſſimis hominibus gratiæ agi ob unam actionem probam, licet, antè ab illis improbè acta minimè probentur? Si Regis commiſſio ſub illius manu & ſigillo oſtendi poteſt, ut tu affirmas, cur non produxiſti? facile Edimburgo afferri poterat; nam quod ad exempla attinet in Hibernia paſſim diſperſa, ea ficta eſſe à Rebellibus Illis certiſſimum eſt. Sed objicis tibi ipſi, & quidem peſſima fide: *Rex non dedit commiſſionem occidendi Anglos, ſed intercipiendi ipſorum munimenta, caſtella, oppida & arma, & tranſeundi in Angliam ad Ipſius auxilium.* Sed cum non ignores Regem utrumque negâſſe, tanquam poſteriùs illud de munimentis, caſtellis &c. in confeſſo eſſet, reſpondes, *illud ſine effuſione ſanguinis fieri non potuiſſe, Regem non declarâſſe Hibernos rebelles niſi invitum & ob Parlamenti importunitatem.* Nondum itaque tum bellum erat inter Regem & Parlamentum, ut opus eſſet copias in Angliam ex Hibernia accerſere, quod tu paulò antè aſſeruiſti. Neque Parlamentum Regem conſcium aut authorem opinabatur. nam abſurdum fuiſſet à Rege poſcere, ut rebelles declararet, qui mandatis illius obtemperaſſent. Atque hîc denuo inſignem tuam charitatem prodis:

dis: *Lanienam proteſtantium Regi acceptiſſimam fuiſſe:* quod nemo paulò æquior aut ſanus tibi credet. Et tamen hiſce & aliis diabolicis calumniis ubique ſparſis tantam invidiam & odium Regi apud incautiores conciliâſtis, ut difficulter evelli poſſint. Dicis porrò; *Regem cum res Hibernorum labaſcerent, bellum in Anglia moviſſe ut illos protegeret:* quis non videt hæc confuſim narrari, & malè inter ſe cohærere? Regem primùm moviſſe bellum in Anglia falſum eſt, nec tu hactenus probâſti; quemadmodum & illud, Regem voluiſſe Hibernis ſubſidium ferre, cùm notiſſimum ſit, Regem in Anglia ſeipſum ægrè tueri potuiſſe. Quod autem civili bello jam provecto & partibus regiis in Anglia laborantibus atque adeò in Hibernia Proteſtantium partibus ita afflictis, ut ſe amplius tueri non poſſent, ceſſationem armorum in Hibernia concupiverit, nemo paulò humanior culpare poterit, niſi qui contendat Regem debuiſſe ſeipſum deſerere, & ſe ultro in manus infeſtiſſimorum ſuorum hoſtium tradere. Non enim Seditioſis illis in Parlamento ſatis fuerat maximam partem Regni in illum concire, ſed & validiſſimum exercitum Scotorum in ipſa Regni viſcera attraxerant. Et cuiquam mirum videri poteſt, Regem in hiſce anguſtiis conſtitutum, animum applicuiſſe ad eos, à quibus adhuc aliquid ſubſidii afflictis ſuis rebus ſperabat? ſi in eo peccavit, vos compuliſtis.

Sed *Cocus* ita argumentatur; *Rebelles noverant quod Rex illos proclamâſſet rebelles, & quadraginta exemplaria erant excuſa, & tamen juramenti à Generali Concilio Rebellium imperati prima clauſula erat; Verùm obſequium & fidelitatem præſtare Regi Carolo, & omnibus modis tueri Regalem Ejus prærogativam contra Puritanos in Parlamento Angliæ: An quisquam eſt tam imbecillis judicii ut imaginetur; Rebelles, ſi ſine ejus mandato aut conſenſu trucidâſſent tot Proteſtantes, & Rex eos reverà rebelles declarâſſet, illos*

poſt

poſt illa juraturos fuiſſe novum jusjurandum ad tuendam Illius prærogativam? nequaquam, ſanguinarii iſti diaboli, plus judicii habebant, quàm ut ludicrè pugnarent: ſi Rex ſeriò illos Rebelles declarâſſet, non profeſſi fuiſſent ſe Regis & Reginæ exercitum, uti fecerunt. Quæ, præterquam quod de veritate hujus narrationis meritò ambigi poſſit, valdè abſurda & calumnioſa eſt argumentatio: ſiquidem imitati ſunt vos, qui idem non ſemel feciſtis. Verùm demus, Hibernos ita feciſſe ut narras, quid hoc ad Regem? An etiam Londinenſes diaboli fuerunt, qui poſtquam Rex eos rebelles pronuntiâſſet Ipſum *gratioſum Dominum* appellârunt, ut tu ante dixiſti? aut Parlamentarii tui, qui ſimilia non ſemel proteſtati ſunt & declarârunt? Sic quippe ſolent omnes ſeditioſi initio aſtutè ſenſus ſuos & deſtinata celare. Temporis nota ſignanda fuerat, quæ hanc quæſtionem facile ſolviſſet. E ſophiſticis Elenchis petita eſt hæc argumentatio, ad incautos fallendos, quam hic nobis pro demonſtratione obtrudis. Sanè & Hiberni illi Rebelles, & Parlamentarii tui in hoc imitati ſunt Iſcariotam, qui Dominum ſuum oſculo prodidit. Sed pergis; *& ſanè quod Rex pro ſe dixit, ſe paratum eſſe proficiſci in Hiberniam ad opprimendum Rebellionem, miſerum eſt argumentum ad probandum, quod non fuerit reus illius Laniena:* Certè omnibus, quibus vel mica æquitatis in pectore eſt reliqua, longè ſeciùs videtur; tibi non videri haud mirum eſt, qui hominem exuiſti. Quid ergo? *Mihi*, inquis, *potius videtur, Regem ſperâſſe reverti cum* XX *aut* XXX *millibus rebellium, ad deſtruendum hanc Nationem.* Ergone tuæ inficetæ & maleferiatæ ſuſpicionis, ſatis validum ſunt argumentum ad Regem hujus criminis reum peragendum? an te ignorari putas? ſi quis jubeat te abire in malam crucem cum hiſce tuis ſuſpicionibus & calumniis, non credo illum quicquam præter decorum facturum. Ratio quam adfers ad

ſuſpi-

ſuſpicionem tuam probandam æque falſa eſt: *Cum* Comes Liceſtriæ *mitteretur à Parlamento ad ſubjugandum rebelles, an non Rex iter illius impedivit?* Sæpius à Rege & ab aliis Ipſius nomine luce clarius demonſtratum fuit, *Liceſtrium* non à Rege, ſed à Parlamento potius remoratum: neque veſtimenta, aliaque parata ad ſubſidium miſerorum Proteſtantium in Hibernia, mandato Regis à militibus ſuis direpta, & direpta niſi admodum pauca & Rege inſcio, qui omnem operam dedit ut reſtituerentur. Quinimò cum Rex aliquot millia veſtimentorum *Ceſtriæ* ad eundem uſum parata inveniſſet, nullo modo ſibi perſuaderi paſſus eſt, ut illa militum ſuorum nuditati impenderet, ſed quantocius in Hiberniam mitti mandavit. Quod autem Rebelles iſti, cum naves Parlamentarias omnibus diripiendas concederent, Regias exceperint; quis hoc jure Regi poteſt imputare? niſi tu qui ubique tui ſimilis es, ſuſpicaciſſimus & malitioſiſſimus hariolator? *Sæpius*, inquis, *credibiliter relatum audivi, Regem dixiſſe, quod nihil æquè ipſum malè haberet, quàm quod non tantum ſanguinis Proteſtantium in Anglia & Scotia inundaret, quantum in Hibernia.* Quanquam ſis ſuperſtitioſè credulus, ægrè adduci poſſum ut credam, te huic relationi plenam fidem habuiſſe: interea ſuperat omnem malitam talia ſpargere in vulgus ad odium Regi conciliandum. Sed videris tibi æquitatem tuam ſatis probare, quod addas; *Te non opinari, Regem eſſe papiſtam, aut voluiſſe Papæ ſuprematum in ſpiritualibus rebus in hoc Regnum introducere.* Quàm malè hæc inter ſe congruant, quivis videt. Quid ergo? *Ieſuitica factio quæ prævalebat in Illius conciliis, & quidam Pſeudo-proteſtantes, qui minus oderant Papiſtas, quàm Puritanos, Regina mediante, conjunxerant ſe ad deſtruendum Puritanos; ſperantes Papiſtas & Laodicenſes Proteſtantes bene inter ſe conventuros.* Atque ita, quæ hactenus de omnibus Proteſtantibus delendis dixiſti, jam

contrahis ad Puritanos, æquè improbâ calumniâ. Quos autem intelligas per *Puritanos* non explicas, cum non ignores id nomen in Anglia variè accipi. Quinetiam ſi ritè & probè accuſatoris partibus voluiſſes fungi, debuiſſes prodere nomina eorum qui erant Ieſuiticæ illius factionis, quod tamen à te, neque quoquam alio factum. Odioſa nomina aliquibus attribuere calumniatoribus facillimum eſt, ſed rem ipſam probare, *hoc opus, hic labor eſt.* Quid? quod *Prinnius*, Communium unus hoc ipſum Parlamentariis ſuis & Exercitui exprobravit: crede ergo & huic qui relationibus tam facilè fidem adhibes. Videbis ſanè praxin optimè congruere. Sed objicis tibi *niſi Rex & Rebelles hoſtes fuiſſent, quid opus erat* Ormondum *pacem cum illis facere, per Regis commiſſionem ſub magno Sigillo Hiberniæ?* Hac autem objectione, quam veriſſimam & graviſſimam eſſe quivis videt, perbellè & tuo more defungeris. ais enim: *Sanè illo tempore tantùm incruſtationis fuit & tam parum bonæ fidei, ut mirer tot eſſe mendicos.* Ex conſiliis & factis tuorum magiſtrorum, Regem & Conſiliarios Illius æſtimas. nam omnibus notiſſimum eſt, tuorum conſilia, dicta, facta plena fraudum & malarum artium fuiſſe, ab initio uſque ad finem: quare non miror, multos illorum ex inopia ad ſummam opulentiam emerſiſſe & miſeram plebem Angliæ (Reginam utique veſtram, ſiquidem ſumma poteſtas in illa eſt) ad incitas & mendicitatem redactam: nobiliſſimas aliquot familias penitus exhauſtas, & longè maximam populi partem ægre animam trahere. Nec dum miſeriarum & exactionum finis eſt.

Prinnius.

Pergis jam porrò ad *Rupellam*, cramben toties recoctam, ut quemvis occidere poſſit, & mirum ſit miſeros ſuos magiſtros non occidiſſe: & narras nobis quæ & Genevæ & alibi in Gallia è miniſtris Euangelii audiveris; nimirum

mirum horrendas exclamationes in Regem & ducem Buckingamiæ ob proditionem *Rupellæ:* atque adeò *Deodatum* (Profeſſorem & Miniſtrum Genevenſem) ſæpiùs dixiſſe te audiente; *Papiſtas habuiſſe corpus Henrici* IV, *ſed Proteſtantes Illius cor & animam; Regis verò Angliæ, Proteſtantes habuiſſe corpus, Papiſtas cor:* Hoc ille vir dixerit, qui Regem ſemper maximi fecit, ut apparet ex illius literis ad Parlamentum, quæ in omnium manibus verſantur? Qui nôrunt Deum ſolum eſſe cordium Inſpectorem, non ſolent tam temerariè de proximis, nedum de Principibus judicare. Atque hîc *Cocus* præter morem ſuum, nonnihil mitigat priorem ſuam ſententiam, & ait, *Non quod opiner Illum credidiſſe Tranſſubſtantiationem (abſit ut mortuo injuriam faciam) Sed certò credo, Illum magis amâſſe Papiſtam, quàm Puritanum.* Annon hæc quoque injuria eſt & calumnia inſignis? & ubi quæſo ſe alienum oſtendiſti à faciendo Regi tuo injuriam? quid aliud, obſecro, eſt hæc tua Declamatio in Regem jam vitâ functum, quàm olentiſſima ſentina injuriarum & atrociſſimarum calumniarum? ſed hæc tantùm præludia ſunt, ad rem ipſam veniamus.

Dux Rohanus, inquis, *honeſtiſſimus vir, & Regis Patrinus, ſæpius dixit, omnem ſanguinem in Delphinatu fuſum Regi Angliæ imputandum.* Quæ hæc licentia eſt vitâ functos teſtes citandi ſine ulla Authoritate & tua tantùm fide, quàm ſceleſtiſſimam eſſe jam aliquoties deprehendimus? Negamus Illuſtrem illum Heroem tale quid umquam dixiſſe, aut jure potuiſſe. nam ſanguinis illa effuſio in Delphinatu & alibi in Francia accidit, è bello, quod tum gerebatur inter Regem & Proteſtantes, cujus Rex incentor dici non poteſt. Et an non ſumma ingratitudo fuiſſet de Rege benemerito, & qui neceſſitudines ſuas cum Rege Franciæ, Proteſtantium defenſioni ſemper poſthabuit, ita ſentire

& loqui? Prudentior fuit Dux quàm ut tale quid diceret. Præterquam quod ratio tua, quam addis, ineptiſſima eſt, & quæ Ducem ſummæ imprudentiæ argueret, neque enim debuerat copias ſuas educere, antequam certò ipſi conſtitiſſet Regis copias non modò paratas eſſe, ſed & in Franciam jam traductas; ſiquidem multa incidere poterant quæ expeditionem & imprimis transfretationem impedirent. Atque hîc rurſus Hoſpiti tuo *Deodato* inſignem facis injuriam, dum illi attribuis ſententiam, non modò tanto Theologo, ſed quovis Chriſtiano indignam: *Mandatum nobis condonare inimicis noſtris; non autem amicis.* Quis vel leviter memor præceptorum Domini noſtri ita argumentaretur? nam, cùm præcipiat nobis condonare hoſtibus noſtris, quantò magis amicis?

Viles animæ pulchrum putant magnorum virorum nominibus ludere, præteribimus ea quæ *Cocus* hîc rurſus de Rohanio crepat; teſtimonia ejuſmodi odioſa ſunt, præſertim cum è talibus fucis indiſcretim citantur, ſine neceſſariò examine omnium circumſtantiarum.

Neque ea quæ adfert ad probandum melioris ſunt commatis. Narrat nobis hiſtoriam de navibus ſub *Penningtonio*; Primò, res ea accidit circiter biennium antequam Rupella caperetur, ita ut nihil faciat ad perditionem illius oppidi. Deinde peſſima fide narrat illam hiſtoriam. nam & aliorum naves in illo prælio navali adfuerunt, quibus nequaquam propoſitum erat Proteſtantium partem affligere; neque plures tum naves Regiæ in illa claſſe fuêre quàm una illa *Penningtonii*, & ſeptem aut octo navigia mercatoria ab Agente Francico conductæ Rege permittente: Tertiò, illud factum cum pax eſſet in Francia, inter Regem & Proteſtantes ſuos ſubditos. Quartò, illæ naves Regi Franciæ, à Rege conceſſæ fuerunt ſtatim poſt con-

conjugium cum filia Franciæ, cum honestè & amicè non poterat illas negare, & sub prætextu quod in Mare Mediterraneum mitterentur contra Hispanum. Quintò, tantum abfuit ut Rex Carolus conscius fuerit eorum quæ contra classem Rupellanorum gesta sunt, ut indignissimè tulerit postquam rem gestam intellexit, & tantopere fuerit indignatus ut Regi Franciæ ob illam causam bellum indixerit, & aliquot annis postea gesserit & eos apparatus fecerit ad Rupellam obsidione liberandam, qui toti orbi notissimi sunt. E quibus patet nihil ex compacto aut cum conscientia Regis gestum in illa captione & destructione classis Rupellanorum : quemadmodum sæpius à Rege, cum hoc factum Ipsi imputaretur, fuit demonstratum, ut summa impudentia & malitia sit, hæc tam præposterè & odiosè denuo objici. Quid ? quod luce clarius sit, Naves illas tunc non fuisse missas ad Rupellanos, ut *Cocus* narrat, sed ad Regem Franciæ cum illo tempore bellum inter Regem & Protestantes suos subditos nondum recruduisset.

Similem improbitatem & impudentiam sapiunt, quæ *Cocus* attexit de *Buckingamio*, quasi destinatâ operâ & mala fide frumentum à Rupellanis mutuatus fuerit: cum omnes qui nôrunt ea quæ ad Rupellam gesta sunt, summo fervore à Buckingamo gesta, & Regem maximos sumtus feciſſe in illam classem quæ missa fuit ad Rupellam ab obsidione liberandam, & aggerem illum qui portum occludebat perrumpendum, ut nemo compos mentis suæ possit credere aut Regem aut Ducem quicquam simulatè aut mala fide eo tempore egisse.

Et satis liquet *Cocum* cum hæc commentaretur, non modò non humano judicio usum, sed & memoria lapsum, cum interserit miraculum illud de novo & illis partibus

insolito genere piscium; cum hoc ab Auctoribus fide dignissimis Thuano & Aubigneo, referatur ad obsidionem illam Rupellæ, quæ accidit Anno 1573. Cætera quæ sequuntur eandem stoliditatem & malitiam redolent, & cum ante Buckingamium haud obscurè accusâsset, nunc ut omnem invidiam in Regem derivet, dicit Ducem quidem seriò bellum administrâsse, & ad illud permotum, non amore Religionis, sed ob vota quædam in Francia facta; & siquid ab ipso peccatum fuit, id ignorantiâ & imprudentiâ factum, cum impar esset muneri Ammiralii & Generalis. Sed vide hujus declamatoris improbam malignitatem, Ducem ultrò excusat, Regem verò condemnat; non aliam ob causam, quàm quod ipsi ita videatur, & hoc agere jussus erat, aut ultrò sibi sumpserat, Regem jam mortuum hac invidiâ onerare & Protestantium odiis objicere. Dicit se antè in illa opinione fuisse, Regem nullius ingenii aut judicii, à pravis consultoribus, & præsertim Buckingamio, ut puerum circumductum (cum paulò ante hunc seriò egisse fassus sit) nunc aliter sentire, postquam Regis literas Nassebyæ captas vidit, & credere Illum judicio & politicâ prudentiâ ita excelluisse, ut nefas sit opinari Regem quidquam egisse, nisi proprio judicio & consilio, aut ab aliis de sua sententia potuisse dimoveri. Atque hinc quærit; *An quisquam tam imbecilli est cerebro, ut credat Ducem aut Penningtonium ausuros fuisse Rupellam prodere sine Illius mandato? an non illos in crucem egisset inde revertentes, si ultrò transgressi fuissent Illius mandatum?* Nemo sanè mi *Coce*; sed quis tam emoti est cerebri qui credat, aut ducem aut Penningtonium prodere voluisse Rupellam, aut ultrò prodidisse? neque Penningtonii factum quicquam commune habuit cum facto Buckingamii; & hunc tu ipse paulò antè asseruisti ignorantiâ & imprudentiâ peccâsse: Quis

non

non videt hæc peſſimè inter ſe cohærere & te hærere in illis Hibernicis paludibus uſque ad mentum, neque ex iis emergere poſſe? Nam ut Penningtonum omittam, quia alia eſt hiſtoria; ſi Buckingamius miſſus eſt cum mandato ut Rupellam proderet, non poteſt ejus imprudentia argui, & multo minus mala ejus fides, egerit enim quod juſſus erat. Sed eſtne quisquam tam ſtupidus, præter te & Dominos tuos, cui vel in mentem veniat, Regem, ſi ipſi deſtinatum fuiſſet Rupellam perdere, tantos ſumtus fuiſſe facturum in claſſem & exercitum, quantos conſtat Illum feciſſe? vel atrociſſimam autem malitiam ſuperat quod adjicis: *Si Rex gratiam habuiſſet parem robori judicii ſui, alter Salomon fuiſſet, ſed illius cognitio & ingenium fuêre inſtar gladii in manu furioſi.* Eſtne quisquam cui vel mica charitatis in pectore eſt reliqua, qui præſumat de proximo ſuo, (nedum de Principe ſuo) tam inclementer judicare? ſi quisquam antehac te virum bonum credidit, poſthac non poteſt, niſi tui ſimilis eſſe velit, improbus, mendax, & qui non tantum licentioſè decernat de proximo, ſed impiè invadat in conſilia Dei. Primis aliquot annis hujus Parlamenti nihil frequentius audiebatur, quàm Regem innoxium eſſe, imprudentia, & ſeductione improborum Conſiliariorum tantùm peccare: nunc longè alia oratio eſt, quidquid peccatum eſt, à Rege peccatum, Conſiliarios tantùm inſtrumenta fuiſſe, & Regi tantummodò obſequutos, non Illum ſeduxiſſe. Tandem hic rabula, quaſi omnia crimina Regis liquidò probâſſet, cùm hactenus ne unum quidem ita demonſtraverit, ut vel mediocri ingenio poſſit ſatisfacere, pergit ad atrociſſimam & crudeliſſimam perorationem.

Ex hiſce præmiſſis, inquit, *poſtulo à ſummo hoc Tribunali* (quod nullum eſſe nedum ſummum & Rex Ipſe, & omnes qui Leges Angliæ intelligunt, ſæpè aſſeruerunt) *Juſtitiam, neque*

que tam ego, quàm innocens ſanguis, qui in tribus hiſce Regnis effuſus eſt: Et deinceps pro ſua eloquentia comparat illum ſanguinem cum ſanguine *Abelis* & *Nabothi*, & concludit, non eſſe comparationem inter ſingulos & multa millia. Sed in hoc uti & in aliis omnibus mera petitio principii eſt, & argumentatio à non cauſa, ut cauſa. In bello illo civili multum innocentis ſanguinis effuſum eſſe haud dubium eſt, & periiſſe multos probos cum improbis, ut in bello accidere neceſſe eſt; ſed quis cauſa fuerit tam funeſti belli, ſtatus controverſiæ eſt. Nos antè, atque alii multi, qui æquius de hac cauſa judicârunt, probaverunt, ſeditioſos illos Parlamentarios faces fuiſſe civilis illius & funeſtiſſimi belli, & non Regem, qui ſemper illud abhorruit, & non niſi invitus & coactus ad illud deſcendit, quia ferre non poterat neque debebat, ſe in ordinem redigi & poteſtate illa, quam Deus Ipſi dederat penitus ſpoliari: Hæc Rhodus, hic ſaltus eſt. Rex haud aliter à vobis tractatus fuit, quàm *Naboth* ab Achabo & Iezabele, ſiquidem illum obtruncâſtis, quia noluit vobis tradere legitimum ſuum peculium Regiam poteſtatem. Et ſanè jure quærit ſua Majeſtas *quid ſunt Communes? quid eſt Exercitus?* proclive enim eſt reſpondere, ſubditos eſſe, ſed rebelles in ſuum Principem, atque omnem illum ſanguinem jure ipſis imputari: cæſi ſunt, ubicunque tandem, ut perduelles; cæſi ſunt in acie pugnantes contra unctum Domini: itaque non clamat eorum ſanguis adverſus Regem, ſed adverſus eos qui contra debitum Majeſtati ſuæ obſequium, nefandis fraudibus & diabolicis artibus eos in in culpam illam Rebellionis conjecerunt, & in aciem eduxerunt; clamat adverſus illegitimum Parlamentum, vociferatur adverſus Cainos, altè attolit vocem ſuam contra ſeductores ſuos, reos læſæ Majeſtatis, non contra Regem, qui commiſeratus calamitatibus Populi ſui, multo-

ties

ties plura obtulit & concessit, quàm quisquam à Principe, tam indignè tam graviter læso, umquam potuisset sperare.

Sed pergis maledicentissimum tuum virus in Regem jam defunctum evomere; & duo agis. 1. Primum de ipso Rege, ut vocas, *Captivo*. & dicis, *Deum non velle condonare temporale Illius supplicium*. Sapiens non judicat ex eventu: & malè permissio Dei sumitur pro ejus voluntate: siquidem permissio illa etiam locum habet in pessimis actionibus, & quas constat tales esse è voluntate Dei in verbo Ipsius scripto, expressa, *Nolite tangere Vnctos meos*. Sed ais te sollicitum esse de æterna ejus conditione & salute, quia metuis ne condonet Sanctis tuis, quos Ille ignominiosè appellaverit Presbyterianos, Anabaptistas, Independentes, sectarios: sed quæso annon tales sunt quales eos appellavit? Nam ut de Presbyterianis taceam, quorum pauci, si modò ulli, in supplicium Illius conspirârunt; annon reliqui fuêre Anabaptistæ, Independentes & sectarii? Scapham scapham appellavit. Sed quid necesse erat te sollicitum esse, cum non ignorares Regem in ipso momento mortis suæ omnibus inimicis suis condonâsse?

Tragicè deinde declamas in arrogantiam Regis, à quâ quàm longissimè abfuit. neque enim majorem sibi venerationem impendi postulavit, quàm quæ jure & per leges Regni Ipsi debebatur, quamque Idolum illud tuum Parlamentarium sibi arripuit & universam usurpavit. Quàm putidum autem est, Rebelles & Reos læsæ Majestatis appellare *Sanctos Christi*? Christus sanè non docuit suos rebellare in Principes, eosque hostiliter persequi, incarcerare, omnibus opprobriis afficere, denique injustissimè condemnare & immanissimè supplicio afficere, sed docuit persecutiones tolerare, & præcepit *Cæsari dare quod est Cæ-*

ſaris, & Deo quod Dei. Noli metuere *Coce*, nemo qui modò mentis ſit compos, optaverit numero tuorum Sanctorum accenſeri, aut partem habere in eorum hypocriſi. Tu tamen fronte meretricia concludis, & Deum introducis Regem ita alloquentem: *Abi ad animarum inſtitores, Epiſcopos tuos, qui te paleis nutrivêre & veneno, & nunc tibi veſcendum eſt igne & ſulfure in æternum.* Quod ſanè ſuperat omnem ſævitiam & impietatem. Interea tu audes ſecundò de te ipſo affirmare.

2. *Haud magis male volo huic Homini, quàm Parenti meo; ſed odi maledictum illud principium tyrannidis, quod tandiu hoſpitium habuit in Ipſo, & quod aquas Legis vertit in venenum.* Quis ferat cruentiſſimos Tyrannos querentes de principiis Regiæ poteſtatis? Reges ſanè ferreum gerunt ſceptrum, ſed nemini metuendum, quàm qui ſe vas dedecoris eſſe probaverit: geſtant gladium, ſed non diſtringendum niſi in reos læſæ Majeſtatis aut aliorum criminum, in quæ Lex mortis pœnam conſtituit: bonum faciat neceſſe eſt qui gladium nolit timere. Quàm egregiam autem libertatem Populo Angliæ attulerint ſeditioſi illi Parlamentarii, poſtquam univerſam poteſtatem Regiam uſurpârunt, res ipſa loquitur; auditur toto orbe gemitus miſeræ plebis ad ſummam inopiam redactæ & adhuc fatiſcentis ſub intolerabili onere tributorum: vociferatur Honorabilis ordo Nobilitatis gradu ſuo dejectus, & Parlamento, contra conſuetudines Regni, ab omni pene memoria, excluſus: mœret Clerus omnibus honoribus & magna parte bonorum Eccleſiaſticorum ſpoliatus: Luget Religio tot Hæreſibus contaminata, Eccleſia in tot ſectas, quot vix eſt numerare, diviſa: Denique terrentur omnes, quia nullam ſpem vident reliquam quandiu hi Tyranni dominabuntur, ex hiſce calamitatibus eluctandi. Hos ſcilicet fontes Libertatis

tatis exercitus gladiis ſuis aperuit, qui non modò Regiam dignitatem, quâ vigente Regnum hoc floruit, ſed & dominorum ſuorum, quorum ſtipendiis alitur, pedibus conculcavit & triſtiſſima experientiâ veritatem docuit illius ſententiæ, *Inter arma ſilent Leges.* Apage hanc libertatem, præ quâ quævis ſervitus optanda eſſet.

Cætera quæ de Ipſo hîc blateras, facilè falſi convincet qui modò hanc tuam Declamationem vel obiter inſpexerit, ut non opus ſit me hanc operam ſumere. Videamus concluſionem tuam. Cum tu nullum hactenus crimen in Rege, nedum capitale probaveris, tantùm calumnias, ænigmata, ſuſpiciones, maleferiati tui cerebri commenta, & meras petitiones principii in medium attuleris, & ſophiſticis deliriis Iudices infatuaveris, concludis; *Regem reum plurium tranſcendentium proditionum & enormium criminum, quàm quisquam Regum in hac parte orbis umquam fuerit.* Et ego contra concludo; nullum horum criminum Regi jure & merito imputari poſſe. Infelix pictor es qui Regem alienis coloribus depinxeris, cum interea nobis dederis imaginem in te ipſo, improbiſſimæ, maledicentiſſimæ & ſæviſſimæ Belluæ, ut ſi quis ſuperare te contenderit, oleum & operam ſit perditurus. Atque hinc poſtulas in Regem tale exemplum edi, *quod Reges terræ audiant & metuant porrò impiè agere.* Sanè audiverunt exemplum ſine exemplo in omnibus ætatibus antecedentibus, monſtrum horrendum, informe, ingens, cui non modo lumen Iuſtitiæ & æquitatis, ſed & rationis, & communis ſenſus ademtum; & quod nemo alio convenientiori nomine poſſit appellare quàm *Parricidium & Myſterium iniquitatis.* Et quia omnes Principes, omnes Magiſtratus jure metuunt tam hactenus inauditum exemplum, præter officium facturi forent, ſi non unanimi conſenſu, & conjunctis viribus, tam immane &

deteſtabile facinus vindicarent, & exempla publicæ vindictæ facerent omnes eos qui hoc monſtrum in luminis oras produxêre.

Remittis deinde benevolum Lectorem, *in puncto Legis, quamobrem Rex teneatur rationem reddere de tyrannicis ſuis & proditoriis exorbitantiis ſecundum Leges Terræ, ad doctiſſimam & judicioſiſſimam Domini Præſidentis orationem, antequam ſententia legeretur.* Fateor me illam numquam vidiſſe, ſed ſi haud alia fuerit, quàm illæ quas habuit, Rege præſente, neceſſariò dicendum eſt, inſicetiſſimam & abſurdiſſimam fuiſſe. *Ex ungue Leonem.*

Paraſitaris deinceps illegitimo huic Tribunali, & dicis, *Supremum hoc tribunal ſimile eſſe Magno illi Diei Iudicii.* Abſit hæc impietas à nobis, qui novimus Deum in illo judicio juſtè judicaturum. Non ut hi Sancti tui in ſuo *Sanctuario*, ut tu vocas, qui ſibi judicium arrogârunt ipſius Dei, qui Tribunal arbitrarium conſtituerunt, quod ipſis per Leges Terræ non licebat, & omnes fundamentales leges Regni conculcârunt, ut idolum illud ſuum in Dei templo collocarent. Quid tu nobis hîc prædicas preces & ſupplicationes, commune hoc eſt omnibus, etiam improbiſſimis hypocritis, Deum longis ſuis precibus fatigare & hoc fuco ſimplicioribus hominibus illudere. Interea ſi quis contra hiſcere audeat (& perſuaſus ſum longè plures eſſe in Regno Angliæ, qui deteſtentur illud judicium, quàm qui probent, ſi liceret liberè mentem ſuam aperire;) ſtatim cauterio tuo inuretur, & arguetur improbitatis, & quaſi non ſatis Chriſtianus exſibilabitur.

Palpum deinde obtrudis Præſidenti; *quod nihil magis timuerit, quàm non facere juſtitiam.* Illene qui totus quantus eſt ex injuſtitia & improbitate compoſitus eſt? & contemſerit omnes minas quæ intentabantur, licet invitus ad illud munus

munus pertractus fuerit; ſcilicet, homo antè ignotus, & miſer legulejus, poſtquam ad illam dignitatem erepſit, eam in pectore cepit confidentiam, ut Regis dignitatem præ ſua vilem duceret. Laudas dein Ieſuitas, *quod numquam meritorium cenſuerint occidere hominem, quia Tyrannum aut homicidam ad Iuſticiam perduxerit.* Sed cur ſiles quosdam eorum Tyrannicidium (nam proclive eſt Reges *tyrannos* appellare ut jure cæſi videantur) probâſſe & docuiſſe, quod Sancti tui imitati ſunt? Interea imprudens fateris Tribunal illud & condemnationem atque ſupplicium Regis eſſe ſine exemplo; & ſperas te evadere poſſe dicendo, numquam ſimile exemplum Tyranni extitiſſe poſt orbem conditum. quid? an ergo Rex Dionyſios, Caligulas, Nerones ſuperavit? & *ſi Regem non modò decollâſſent, ſed & in quatuor partes diſſecuiſſent & avibus in cibum objeciſſent, nihil facturos fuiſſe, quin ipſius noxa adhuc graviora ſupplicia mereretur.* Miror equidem quod Phalaridis taurum huc non arceſſiveris. Rex tantus tyrannus fuerit, atque adeò omnes alios ſuperaverit, quorum ſævitia in Hiſtoriis memoratur? qui & mitiſſimus fuit, & maximè abhorruit à ſanguine innoxio fundendo, & cui nihil magis fraudi fuit quàm nimia clementia. Hic ille homo eſt, qui paulò antè profeſſus eſt ſe non pejus affectum eſſe erga Regem, quàm erga parentem ſuum. Bone Deus! Tantáne malitia, tanta maledicentia, tanta mentiendi libido habitare poteſt in pectore humano, tanta ſævitia contra Principem ſuum, locum invenire in corde cujusquam ſubditi, quantam monſtrum hoc hominis & ſævîſſima hæc bellua hîc prodit? Atque hinc iterum ſycophanta paraſitatur Dominis ſuis: *Supremum*, inquit, *tribunal hoc, capite diminuit Tyrannum hunc, & benè fecit: ſine dubio optima eſt actio, quam umquam in vita ſua egerint.* Tu ita judicas odio cæcus, alii contrà, illegitimos

hos Iudices, dum Regem obtruncant, Regnum occidiſſe, & ſe cruentiſſimos Tyrannos probâſſe; ut nihil certius ab ipſis expectari poſſit quàm intolerabilis tyrannis in totum populum Angliæ. Ad te quod attinet, non credo quenquam manus ſuas tuo ſanguine maculaturum: ſed metuendum tibi eſt exitium proditoris Domini ſui *Iudæ*, poſtquam conſcientia tua, quæ jam dormitat, arguere cœperit quàm malitioſè, perfidè, perjurè egeris in Dominum tuum, & unctum Domini, cujus juſto judicio te relinquo.

FINIS.

Monumentum

ÆTERNÆ INFAMIÆ PARRICIDARVM

Qui

Deteſtabili illi Iudicio interfuerunt

Et

Sententiam tulerunt in

CAROLVM I. MAGNÆ BRITAN. MONARCHAM.

De quorundam ſeditioſis Machinationibus quædam in præcedentibus Tractatibus memorantur, reliqua de ſingulis proximâ occaſione dici poterunt & Monſtra hæc hominum vivis ſuis coloribus depingi.

Sergeantus Bradshaw Præſes.
Ioannes Liſtel.
Wilhelmus Gay
Oliverius Cromwel L. G.
Iretonus Commiſſ. Gen.
Hardredus Waller. Eq.
Colon. Harriſon.
Colon. Haley
Colon. Pride.
Colon. Ewer
D. Gray de Groby
Ioannes d'Anvers Eq.
Thomas Mallevre Eq.
Ioannes Bourchier Eq.
Wilh. Henningham
Aldermannus Penninghton.
Henricus Martin
Col. Pierefoy
Col. Barbſtead.
Col. Thomlinſon
Mr. Blakiſton.
Mr. Millingthon.
Gregorius Northon Eq.
Coll. Harvy.
Coll. Venn.
Mr. Scott.
Alderm. Andrewes.
Mr. Cawley.
Mr. Burrell.
Coll. Stapely.

Coll. Do-

Coll. Domnes.
Mr Norton.
L. G. Hamon.
Mr Lone.
Mr Potter.
Mr Garland,
Wilhelmus Conſtabel Eq.
Coll. Ludlow.
Coll. Hudkinſon.
Miles Liveſey Eq.
Mr Dixwell.
Coll. Steetwood de Buck.
Mr Mayne.
Iacobus Temple.
Mr Belgrave.
Coll. White.
Coll. Tichtborne.
Coll. Rowe.
Coll. Scroope.
Coll. Lilborne.
Coll. Deane.
Coll. Okey.
Coll. Huſon.
L. C. Goff.
Cornelius Holland.
Mr Careuw.
Ioannes Iones.
Miles Corbet.
Mr Allen.
Peregrinus Pelham.
Coll. More.
Mr Elduer.
Mr Smith.
Mr Edwards.
Mr Clement.
Coll. Woghan.

Errata ſic corrigenda.

PAg. 4. l. 4. Illuſtria. l. 17. prolaberis. p. 16. l. 2. habita. p. 21. l. 23. Ille. p. 24. l. 15. per Miſſionem. p. 26. l. 16. queri. l. 29. libid. ſua *illud* circumeg. p. 29. l. 22. Ille. l. 23. poſt ſuum addeficam. p. 30. l. 13. Marchiones, Comites. p. 31. l. unum exemplum add. p. 33. l. 29. contendere. p. 46. l. 4. petierat. p. 48. l. 28. ſuſpiciones. p. 52. l. 18. à pro è.